COLLATIONES BRUGENSES.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS X

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
CB
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM
Typis Ad. Maertens-Matthys
MCMV

27243

v. 10
1905

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IX, pag. 609).

CAPUT IV.

A morte Josuë seu occupatione terræ promissæ, ad constitutionem regni hujusque gloriam sub Davide et Salomone.

433. Quod de modo rationalistico pertractandi historiam patriarcharum, exitus Israël ex Ægypto, itineris per desertum, in antecedentibus notavimus, id pariter de historia subsequente occupationis terræ promissæ (in *lib. Josuë*), sicut et de historia Judicum ac porro Regum valet. Videlicet, ante omnia eliminant a priori Rationalistæ quidquid supernaturale est, quidquid interventum divinum insinuat.

Præterea selectione et reconstitutione historica, ut ajunt (1), sibi pro phantasia sua fingunt historiam: eligentes e documentis biblicis quod sibi verosimile est (2), relinquentes quod legendis annumerandum (3)

(1) « Je me bornerai à prendre les résultats acquis par le travail continu de plusieurs générations, et à les exposer, tout en m'excusant de ne pas pouvoir, faute de place, rendre à chacun la part qui lui revient dans ce travail de sélection et de reconstitution historique. » Ita Maspero, *Hist. ancienne des peuples de l'Orient classique*, t. II, *Les premières mêlées des peuples*, p. 679, note 3.

(2) Exemplo sit: « Sauf l'extension à tout Israël des maux particuliers aux clans d'Ephraïm *(Juges, III, 12-15)*, et une clausule tendancieuse (III, 27-30), le corps même de l'épisode d'Ahoud (III, 15-26) ne présente rien qui ne soit historiquement vraisemblable. » *Ibid.*, p. 683, note 5.

(3) D'autres (Juges) arrivent jusqu'à nous avec un cortège de récits populaires et de légendes, parmi lesquels on ne devine pas toujours la part qui revient à la réalité. » *Ibid.*, p. 684. « L'épisode d'Othniel et de Koushân aux deux plumes, par lequel l'histoire de ce temps débute dans le texte actuel (*Juges*, III, 8-11), repose, de l'aveu général (!), sur une tradition sans valeur. » *Ibid.*, p. 685, note 2.

censent; emendantes suo modo (1) errores scriptoris sacri, imo supplentes quod deest (2).

434. Verum, omnem jam disceptationem cum Rationalistis relinquimus, et, pro scopo nostro, ad altiora transimus, scilicet mirabilem Dei providentiam speculaturi omnia conducentis ad præparandum adventum Christi Redemptoris.

Qua in re, merito attendet lector summa quidem capita atque generalia lineamenta divinæ actionis in aperto esse; quædam etiam magis particularia ex revelatione divina in sacris literis tum antiqui fœderis, præprimis prophetarum, tum novi præsertim testamenti, cujus antiquum umbra erat atque figura, manifesto ac certo deduci; neminem tamen, absque divina revelatione totam amplitudinem divinæ actionis perspicere

---

(1) V. g.: « Le récit en prose *(Juges IV, 5)* a confondu la prophétesse Déborah, femme de Lapidoth, avec Déborah, nourrice de Rachel [lisez: Rebecca, que Maspero confond avec Rachel], qui fut enterrée près de Béthel, sous le *Chêne des pleurs* (*Gen. XXXV*, 8), et il la fait siéger en conséquence entre Rama et Béthel, dans la montagne d'Ephraïm. » *Ibid.*, p. 686, note 4. Qua fronte hæc affirmantur?

Ratione magis generali idem Maspero narrationem occupationis terræ promissæ in *lib. Josuë* emendat, ita quidem ut illi substituat narrationem plane diversam, quam diceres testis oculati; si vero petas ab ipso et a cæteris rationalistis unde hæc habeant, respondebunt, sicut ipse: « à l'examiner de près [narrationem scil. libri Josuë], il semble bien [en fontem historicum rationalistarum] qu'Israël n'agit pas avec autant d'ensemble et de vigueur qu'ils [les chroniqueurs hébreux] se le figurèrent. Le peuple ne conquit point son patrimoine en une fois: il s'y glissa, groupe à groupe..... Il n'y eut à proprement parler, ni guerres ni batailles rangées, mais une série de razzias... etc. » Tædet hujusmodi elucubrationem phantasticam totam recitare, quam legere est l. c., p. 681.

(2) Quod autem Maspero, non modo verius cognoscit historiam biblicam, quam ejus auctor, sed etiam plus scit quam ille, habes in nota 4 ad textum modo citatum: « Si l'on ne trouve plus trace de son action [de Lévi] en cette circonstance, c'est que les documents qui la signalaient ont disparu naturellement (!) au temps où l'on ne voyait plus en lui qu'une tribu sacerdotale. »

Quod homines malefidi et veritati catholicæ infensi celebrent hujusmodi scriptores rationalistas, non adeo stupendum est; sed quod etiam catholici quidam similem scientiam mirentur atque nonnumquam imitandam putent, nonnisi mentis aberrationi tribui potest.

posse, nec ad minutissima divinæ Providentiæ acta descendere. *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.*, XI, 33-34). Interim quæ certa sunt, utpote revelationi innixa, quæ vero conjecturali ratione, prælucente fide, deducuntur, haud ægre ab invicem discernet attentus lector.

435. Quod supra ostensum et constanter ob oculos retinendum hoc est, divinam Providentiam in præparationem adventus Salvatoris elegisse sibi populum, eumque ita constituisse sub Lege ut a cæteris gentibus segregatus cultum veri Dei et promissionem Redemptoris custodiret, cujus quidem missionis et conscius esset ipse populus, et inter cæteras gentes testis ac signum.

Ad hos fines spectabat manifesto tota Lex mosaïca, sub qua, Josuë mortuo, jam videmus hunc populum in propria sua indole plene constitutum, et occupantem terram promissam, situ suo ad eosdem fines, ut vidimus, aptissimam.

Neque parum populo Israël profuit, ita providente Deo, occupatio terræ Chanaan, tamquam sedis perpetuæ a Deo promissæ, ut autonomia politica sensusque nationalis apud eumdem populum sese evolveret, adeoque et conscientia missionis suæ vividior fieret.

Ab altera parte, permisit Deus ut non statim delerentur omnes gentes Chananææ, tum ne terra, nondum sat multiplicato populo, in desertum mutaretur, tum ut probaret populum suum (*Jos.*, XXIII, *Jud.* I-III), et porro ex probationis eventu manifestaret evidentius suam providentiam. Etenim, maxime ex inobedientia populi, nolentis propter cupiditatem urbes evertere divitiasque gentium perdere, hasque ipsas delere, factum est ut, ipsi in scandalum remanentibus gentibus, populus ad commercium prohibitum et ad matrimonia cum gentilibus, indeque ad idololatriam omneque vitium

pertraheretur; quem ideo Deus in servitutem redigi permittebat severeque puniebat; postquam vero resipuisset, profligatis hostibus, nominatim per Judices, rursum misericorditer liberabat. Ita manifesto apparebat Deum Legem suam sancire, infidam plebem suam puniendo, pœnitentem ac fidelem liberando ac protegendo. Hoc reapse totum argumentum est libri Judicum, scopusque Auctoris id ostendere. Unde rursum vides omnia in hac periodo Judicum ad hoc dirigi, ut populus magis magisque conscius fieret se esse populum Dei, cujus Legem et cultum atque promissa custodire debebat; simul autem gentibus, quibuscum pugnabat, aliisque etiam remotioribus, bellorum hujusmodi testibus, apparebat Israël in signum, utpote peculiaris Dei omnipotentis populus.

436. Cum jam per spatium trium ferme sæculorum populum suum ita probasset Deus, nec quidquam proficeret, imo, cum in deterius continuo mutatetur populus et periculum esse videretur, ne Chananæorum idololatriæ adhærens a Deo plane deficeret, atque sensum nationalem et unitatem suam, simulque conscientiam suæ missionis amitteret, novo jam modo prospexit Deus præparationi redemptionis. Videlicet, permisit Deus ut populus peteret regem. Sentiebat populus se indigere majori unione ac manu fortiori quæ continuo, non per intervalla, tum interne vires populi contineret, tum externe hostes impugnaret; videbat quoque gentes circumjacentes a regibus gubernari et ad bella duci: et cum erga paternum imperium Dei, qui omnipotenti manu eum fecerat, duxerat, terra promissa donaverat, hostesque omnes profligaverat, per plura sæcula ingratus fuisset, jam ad humana subsidia magis deflectit, et regem petit. Re quidem vera, exclusis ratione ingratitudinis populi speciali providentia immediatoque imperio ac ductu Dei, bonum humano modo videbatur remedium adversus dispersionem virium et anarchiam regimen regium. Ipse Auctor libri Judicum

notat bis: « In diebus illis non erat rex in Israël, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur hoc faciebat (1). » Idemque bis infra repetit: « In diebus illis non erat rex in Israël (2). » Neque vero regimen regium per se non compatiebatur theocratiam, cum et in Deuteronomio prævidebatur (3) ejusque leges præscribebantur (4), et ab antiquo prædictum fuerat (5), sed quod per Samuëlem reprehendit Deus in petitione regis infidelitas est et ingratitudo populi, quæ nunc necessitatem regis induxerunt et quas significant ipsa petitionis rationes ac motiva a populo allata, appellante ad cæteras gentes, ex timore hostium, ob Samuëlis senectutem (6), quæ omnia ostendunt absentiam fiduciæ in Deo et animum sese assimilandi gentibus.

Deus autem, concedendo regem, ea concessione usus est ut jam novo modo Christi adventum præpararet ejusque regnum præsignaret, et speciatim quidem modum redemptionis per passionem Christi prædiceret ac præfiguraret, ita tamen ut hic modus celaretur diabolo et omnibus incognitus remaneret, donec omnia implerentur ab ipso Christo et tum manifesta fieret prophetia et præfiguratio. Quod nunc paucis ostendendum est.

437. Itaque admirabili providentia, salva omnino libertate humana, Deus res ita direxit ut, subtracta jam ingrato populo suavi gubernatione sua immediata, necessarium factum fuerit, propter inclinationem populi ad idololatriam et inde periculum amittendæ unitatis nationalis et missionis messianicæ, regimen regale; utque populus hanc necessitatem sentiret, peteretque regem. Quod adeo Deus, inspecta illa necessitate culpa populi inducta, concessit, tum ad hoc ut populus duræ

---

(1) XVII, 6, et XXI, 24.
(2) XVIII, 1 et XVIII, 31.
(3) *Deut.* XXVIII, 36.
(4) *Deut.*, XVII, 14-20.
(5) Cf. *Gen.*, XVII. 16; XLIX, 10; *Num.*, XXIII, 7 et sq.
(6) Vid. 1 *Sam.*, VIII, 7; XII, 12; VIII, 5.

cervicis sub jugo duriore regum suæ infidelitatis pœnas lueret et nihilominus Dei providentiam experiretur, tum maxime ad altiorem finem, nempe in figuram et præparationem regni Christi.

Et primo quidem dedit Deus Israëli regem, non ex tribu Juda, adeoque nec progenitorem Messiæ, optimum quidem e populo, postea vero ob repetitam infidelitatem reprobandum, Saülem. Hujus missio providentialis videtur tantum fuisse ut præpararet sedem David, et ita quidem præpararet invitus, ut David nonnisi per multas tribulationes continuasque Saülis persecutiones ad regnum perveniret. Regnum autem statim sub Davide, ejusque filio Salomone evexit Deus ad apicem gloriæ. Utramque enim notam, scilicet et tribulationem maximam in adipiscendo regno, et gloriam regni definito consilio in eo volebat divina Providentia, quem primum inter reges progenitorem Messiæ elegit, utpote quem non solum inter progenitores Christi sed et insignem typum seu figuram constituit Christi, similiter per passionem ad gloriam redemptionis regnumque suum tum terrestre in Ecclesia, tum gloriosum in cœlis perventuri; quem tandem non tantum figuram Christi effecit sed et prophetam magnum, qui duplici serie prophetiarum insignium rursum et modum redemptionis per passionem seu Christi humiliationem, et gloriam Christi ejusque regni, Deo inspirante, prædicere debebat.

Et hæc per partes evolvenda nunc sunt.

438. Imprimis rex David electus est a Deo tamquam progenitor Christi. Adam redemptionis promissionem acceperat. Postea Abraham, vocatus ut pater populi Dei, magis definitam audiverat, et ex semine suo, filio nempe Isaac, Redemptorem exspectabat. Pariter Isaac et filius ejus Jacob. Inter hujus filios, principes duodecim tribuum Israël, Juda ejusque tribus a cuncto populo agnoscebatur ut promissionis divinæ hæres. Sed nunc magis etiam definiet Deus, promittens fore ut Christus

filius sit David, ita ut deinceps usque ad adventum Christi, universus populus Israël futurum Messiam hoc nomine filii David sit appellaturus.

Præterea idem rex David inter insigniores figuras Christi venturi, ita providente Deo, fuit constitutus, idque tum persona sua, tum regno suo, præsignante regnum Christi.

Si personam David consideramus, fuit David ortu humilis, pastor ovium, in Bethleem natus; ita Christus in stabulo Bethleem natus, ipse pastor æternus ad humiles cunas vocat adoratores pastores ovium.

David baculo et fronde gigantem Goliath prosternit, Christus cruce sua diabolum devincit.

David jussu Dei unctus multo tempore a Saule quæritur innocens, multaque mala perpessus ad regnum pervenit. Christus homo per unionem hypostaticam inunctus in regem cœli et terræ, cum transisset benefaciendo, post multos labores et persecutiones, innocens damnatur ad mortem, et per passionem redimit genus humanum suumque regnum constituit, videlicet terrestre in Ecclesia, æternum in civitate cœlesti.

Quod quidem eo diligentius notandum, quod David cum esset in summis angustiis, vaticinando describat in persona sua, ut infra videbimus, passionem Christi, divinitus menti suæ objectam.

Præterea, multis factis et circumstantiis particularibus David refert et præsignat Christi vitam et passionem. David ultra morem sui temporis, imo supra modum humanum patiens injuriæ, mansuetus et clemens erga inimicos, Saülem, Absalon, Achitopel proditorem, Semeï, cum malediceretur non maledicebat, bonum pro malo reddebat; ab omnibus derelictus, a familiari proditus, maledictus fugiendo transit torrentem Cedron et ascendit montem olivarum: quis non videt quomodo hæc omnia adumbrent Christum patientem?

439. Quod jam regnum David attinet, istud pariter regnum Christi luculenter præfigurat, non solum, ut

jam dictum est, modo adipiscendi, sed in se consideratum. Et ipse quidem rex populi Israël, qua talis, ut unctus a Deo figura est Christi seu per excellentiam Uncti seu Messiæ, et ipse Christus se regem solemniter professus est et voluit crucifigi sub titulo regis Judæorum. Atque regnum Israël duplici caractere figurativo insignitur: quod nempe reges Israël et Messias principes sunt unius ejusdemque regni, cujus centrum est Sion; et quod Messias, legitimus regum successor, jure hæres est illorum regni.

Sed David præ cæteris regem Christum præsignavit, cum ipse Sion constituerit tamquam centrum politicum ac religiosum regni, et cum ipse receperit a Deo promissionem ac prædictionem regni æterni, quod constitueret suus filius, Salomon verus (1).

Multa quoque sunt particularia facta et adjuncta quibus regnum David Christi regnum adumbrat, quæ omnia tandem ad hoc reducuntur, ut, præterquam quod utrumque patiendo obtentum fuit, gloria regni temporalis Davidis et Salomonis ejusque supernaturalis quædam dignitas regnum Christi spirituale ac supernaturale, idque universale, optime præsignat. Videlicet cum illud regnum Christi futurum esset in signum redemptionis peractæ omnibus populis, voluit Deus regnum Israël temporale statim sub Davide et Salomone ad magnum splendorem extolli, quo regnum Christi præfiguraret, et speciali dignitate et gloria, magis spirituali quam temporali, esset in signum exspectationis et desiderii regni Christi tum populo Israël, tum cæteris gentibus. (Attende verba reginæ Saba, II *Par.*, IX, 8).

440. Hæc gloriosa dignitas regni David et Salomonis aliquam quidem potentiam ac extensionem involvit, non tamen universalem, cum tantum figura esset, præ-

---

(1) II *Sam.* seu *Reg.*, VII, 11-16. Hæc est una e primariis prophetiis messianicis in toto vetere testamento, de qua consulantur interpretes.

primis vero sapientiæ laudem, atque veræ religionis ac cultus splendorem, præ cæteris omnibus gentibus. Et in his tribus, potentia, sapientia atque religione ac cultu luculenter apparet regni Davidis filiique ejus caracter figurativus relate ad regnum Christi.

Quod potentiam attinet, David rex terram promissam universam, devictis cunctis gentibus in ea relictis, sibi subjecit, sed et cæteras quoque nationes in circuitu debellavit fecitque tributarias. Similiter Christus, devictis omnibus inferorum potestatibus, universam terram sibi spiritualiter subjecit, Ecclesiamque universalem condidit ceu regnum suum in terris, atrium civitatis seu Ecclesiæ æternæ in cœlis, cujus Ecclesiæ seu regni Christi figura erat terra promissa; sed et tributarias fecit portas inferorum, quarum perversos conatus omnes in opus redemptionis, ad suam gloriam hominumque salutem perficiendam deflexit.

Porro, multitudo cui imperabat David constabat tum Israëlitis, tum proselytis ex qualicumque natione, observantibus legem Moysi. Priores habebant divinam promissionem, quod ex genere suo per David oriretur Messias, simulque conditionalem promissionem prosperitatis temporalis, quamdiu nempe Deo fideles essent. Posteriores tantummodo promissionem habebant participationis bonorum temporalium et salutis messianicæ. Ideo Israëlitæ erant veluti domini ac liberi, veri hæredes; proselyti vero subjecti ac servi, hæredum quodamtenus participes in bonis. Utrique, tamquam unum corpus, prosperitate, sapientia, dignitate morum et cultus veri Dei in signum erant reliquis gentibus.

Pariter, Ecclesia antitypus constat fidelibus ex omni natione, quorum alii sunt filii Dei, liberi, divites in re spiritualibus divitiis; alii sunt servi dæmonis, qui tamen, fidem cum habeant, sunt divites in potentia. Quæ quidem Ecclesia propriis notis, unitate, sanctitate, catholicitate ac apostolicitate, necnon miraculis, in signum est evidens cunctis gentibus quod sit Dei Ecclesia ad salutem hominum instituta.

441. Deinde sapientiæ laude atque ordinatissima rerum et officiorum omnium compositione regnum Davidis ac Salomonis emicuit.

Si psalmos et cantica David, Salomonis, aliorum, necnon cætera scripta Salomonis inspexeris, nihil est in tota antiquitate quod cum illis, doctrinam morum ac sapientiam quod attinet, imo et abstrahendo a divina inspiratione, formam ac litteras quod spectat, vel a longe conferri possit; ita ut merito dicatur prælusisse hæc dignitas, hic splendor doctrinæ ac litterarum regno æternæ Sapientiæ, hocque regnum præfigurasse, sicut et reapse fecit, simulque in signum et admirationem fuit gentibus coævis.

Sed et rex David per universum regnum misit docere legem Dei, eamque ab omnibus servari præcepit. Similiter Christus, et ipse divinam doctrinam revelavit, exemplo et verbo legem Dei per civitates et vicos docuit, apostolosque suos ac discipulos docere jussit. David quoque varia officia, quod sacerdotium, judicium, militiam attinet, accuratissime ac sapientissime ordinavit. Pariter Christus in suo regno, apostolos ac discipulos elegit et constituit, sacerdotium seu potestatem ordinis, necnon magisterium atque potestatem legiferam, judiciariam, coactivam perfecte ordinavit.

Quod denique religionem ac cultum in specie spectat, David idololatriam extinxit omneque commercium cum dæmone in universo regno, idemque rex et post ipsum Salomon, extructo templo magnifico, omnia a Deo præscripta summo cum decore executi sunt et splendide ordinaverunt, quo quidem maxime cultu cunctis populis in signum apparuit regnum Israël. Christus idola omnemque errorem in regno suo universali evertet ac delebit, dæmonemque omnino devincet. Quomodo autem templum ipsum, suppellectile, utensilia et vasa omnia, necnon sacrificia et cultus exercitium universum figura fuerint eorum quæ in novo testamento a Christo instituta et ordinata sunt, longius esset exponere et passim ab auctoribus demonstratur.

Igitur regnum a Davide ope Dei supernaturali constitutum unicum erat in universo orbe, in quo solus verus Deus adorabatur, habebatque omnia elementa, quibus sub Salomone ad perfectum deductum, ad se, tamquam ad institutum supernaturale, omnium populorum attraheret conspectum, quod ex historia Salomonis novimus verificatum, et quibus etiam præsignando referret regnum spirituale ac supernaturale, idque universale Christi Redemptoris.

442. Verum rex David non tantum et persona et regno suo typus fuit Christi, sed et propheta magnus qui duplici serie prophetiarum et regnum Christi ejusque fata et modum redemptionis seu modum quo Christus regnum suum condere meruit, luculenter, Deo inspirante, prævidit atque prædixit.

Nemo nescit esse inter psalmos David plures messianicos dictos, quorum alii sensu litterali et immediato Messiam prænuntiant, Ps. II, XV, XXI, XLIV, LXXI, CIX, alii sensu mediato ac typico, ut sunt Ps. VIII, XXXIV, XXXIX, XL, LXVII, LXVIII, LXXVII, LXXXVI, LXXXVII, LXXXVIII, XCV, XCVI, CVIII, CXVI, CXVII. Et hos quidem psalmos vaticinia messianica exhibere ex certa doctrina novi testamenti constat, consentientibus Patribus, et ipsa nonnumquam Synagoga. Porro duplicem quasi seriem, ut diximus, vaticiniorum complectuntur psalmi: alteram respicientem modum redemptionis per humiliationem et passionem Christi, ut Ps. XL, LXVIII, LXXXVII, CVIII, præprimis vero XXI; alteram prænuntiantem Redemptoris gloriam, vocationem omnium gentium, regnum Christi universale, æternum sacerdotium. Ita autem divina Providentia res disposuit ut, quæ post eventum apparent tamquam luculenta certaque vaticinia, ante eventum a Synagoga satis quidem intelligerentur ut Christus tamquam filius David in æternum regnaturus exspectaretur, de cætero vero natura hujusmodi regni Messiæ ipsis Judæis obscura maneret;

modus autem redemptionis, seu modus quo regnum suum stabiliret Christus, occultaretur omnino, ipsique diabolo celaretur. Quod necesse omnino erat secundum divinum consilium, « si enim, *dicente Apostolo* (1), cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. » Ita mirabili modo ab hac duplici prophetia omnia jam, disponente Deo, tendebant propius ad adventum Christi ex Davide et simul ad passionem ejus.

443. Igitur hujusmodi fuerunt viæ per quas Providentia Dei populum suum hucusque conduxit; atvero, cum præter gentem Israëliticam fuerint tot aliæ gentes, quarum pleræque etiam singulæ et numero et potentia humana longe superaverunt populum Dei, lector forte petet a nobis, nec sine ratione, quid Deus circa cæteras illas gentes disposuerit. Cui quidem quæstioni, quamquam melius responderi poterit, cum ad considerationem plenitudinis temporum adventusque Christi perventum erit, aliquod tamen nunc responsum dare opportunum videtur.

Itaque, notetur præprimis aliam evidenter fuisse Providentiam Dei erga populum a se electum, aliam erga gentes reliquas. Etenim, elegit Deus Israël eos in fines, ut servaret iste populus cultum veri Dei et promissum redemptionis, essetque in signum cæteris gentibus. Unde constanter actione positiva, salva tamen libertate humana, ad hos fines speciali providentia eum Deus conduxit. Reliquas vero gentes, in modum unius massæ, divina Providentia alio plane respexit modo, coque duplici: absoluto quasi in se, et relativo ad populum electum.

Respectus absolutus erat potius negativus, sibi quasi relinquendo istas gentes, non impediendo quominus in idololatriam ac errorem morumque corruptionem omnimodam deciderent, ita ut tum etiam, cum ad summam

---

(1) I *Cor.*, II, 8.

potentiam atque apicem cultus humani, litterarum, artium pervenissent, sub respectu religioso et morali essent desperatæ abjectæque salutis. Idque in divinis consiliis eo tendebat, ut necessitas redemptionis pateret evidentius, sentiretur vividius.

Hæc de gentibus, qua talibus, valent, nec impediunt quin individuis singulis, ratione et traditione prælucente, et divina gratia interne operante, salus possibilis maneret. Sed et ipse populus electus, ut statim videbimus, etiam gentibus in signum erat et eas identidem illuminabat.

Tandem ad eumdem respectum absolutum divinæ Providentiæ spectat, quod Deus positive usus est gentibus istis ut una puniret aliam, vel et deleret ob excessum impietatis et corruptionis. Cæterum, quæ magis in specie circa gentes disposuit Deus, ad arcana pertinent divinorum consiliorum.

Divina Providentia attigit quoque gentes relative ad populum electum. Scilicet iisdem usus est ut probaret plebem suam, ut deficientem a missione sua castigaret et ad fidelitatem revocaret. Simul vero et gentes erudivit per contactum cum populo electo, tum in bello, tum in pace. Sic Ægyptiorum gens hebræos incolas apud se habuit per sæcula, in exitu ex Ægypto mirabilia Dei maxima conspexit, sicut et in transitu maris rubri; sed et postea filia Pharaonis data est in uxorem Salomoni, qui etiam cum Ægypto negotiationem exercebat (1). Sub rege Roboam Sesac, rex Ægypti, Jerusalem invasit et spoliavit templum. Pharao Nechao II regem Josiam devicit. Quæ omnia satis demonstrant Israël non fuisse Ægyptiis ignotum; ut nihil nunc dicamus de iis quæ post exilium judaïci populi contigerunt, quando nempe eidem populo Ægyptus altera quasi patria facta est et Alexandria altera Jerusalem.

Quod populos Chananæos spectat, aliosque finitimos,

(1) III *Reg.*, X, 28-30.

continuum fuit ipsis spectaculum populus Dei, sub Josuë, sub Judicibus, sub Davide et Salomone, cæterisque regibus, sive a populo electo clades acciperent, sive ipsum, Deo permittente, devincerent, sive spectatores essent bellorum, in quibus divina protectio, vel punitio populi electi apparebat et sæpius veris miraculis evidentius demonstrabatur.

Quod autem tempore pacis et potissimum sub ratione sapientiæ, divini cultus, supernaturalis cujusdam dignitatis, populus Dei, regnante Salomone, fuerit omnibus gentibus etiam Syris, Phœnicibus, Tyriis ac Sidoniis, necnon Saba, Ophir, etc. in signum, luculenter patet ex iis quæ de rege isto in sacris litteris legimus, l. III *Reg.*, IV-X.

Neque minus signum fuit populus Dei, propria sua indole et doctrina ac cultu religioso, potentissimis gentibus Assyriorum, Babyloniorum, Persarum atque Medorum, Græcorum atque Romanorum, ut postea de captivitate et tempore post exilium agendo notandum erit, eoque evidentius fiebat signum et testis efficacior suæ missionis, quo magis propinquabat plenitudo temporum; quemadmodum pariter Deus ab illis temporibus incipiebat uti magis positive istis gentibus ad præparandum adjunctis externis mundum regno Christi seu prædicationi Apostolorum.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii

—

I

Da analysim partis dogmaticæ epistolæ ad Colossenses I, 13 — III.

II

Solvatur sequens difficultas: Si Maria est immaculata in sua conceptione, non est redempta a Christo; atqui hoc ultimum falsum est; ergo.....

III

Indica et explica conditiones requisitas ut actio damnificans inducat obligationem ex stricta justitia restituendi.

IV

An famam injuste læsam reparare sufficit apud auditores immediatos tantum?

V

An et cur licet pro fama læsa accipere occulta compensatione pecuniam?

VI

Quelles sont les attributions du commissaire d'arrondissement dans l'administration fabricienne?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Ostende quomodo cum Gal. V, 2, 6 et VI, 15 non pugnent Act. XVI, 3 et Gal. II, 3.*

R. *Ad vim obligandi circumcisionis quod attinet ejusque justificandi virtutem, nulla contradictio reperitur inter doctrinam S. Pauli qualis Gal. V, 2, 6 et VI 15 exponitur — et modum ejus agendi in circumcidendo Timotheo (Act. XVI, 3) et recusata circumcisione Titi (Gal. II, 3). Varii hi textus rite cohærent, dummodo a contextu non avellantur et diversa de quibus agunt adjuncta, accurate perpendantur.*

Idem **fundamentale principium** *omnes hi textus supponunt: legalia, in specie circumcisio, sub nova œconomia sunt per se et ex natura sua ad salutem indifferentia.*

I. *Principium fundamentale de indifferentia legalium ac circumcisionis S. Paulus* (1) *explicite proponit* **Gal. V, 6**: « Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur », et **Gal. VI, 15**: « In Christo enim Jesu (2) neque circumcisio aliquid valet (*melius*: est) neque

---

(1) Hoc principium in concilio Hierosolymitano implicite admissum fuit et Ethnico-christianis practice applicatum: « per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari » (*Act.* XV, 1). Ex quo principio logice et necessario immunitas omnium christianorum, etiam Judæorum brevi deducenda erat. Quam consequentiam relate ad Judæo-christianos S. Paulus infert in controversia Antiochena (*Gal.* II, 21): « Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est ». Cf. COLLAT. BRUG., T. IX, p. 688.

(2) Hæc verba probabilius glossema sunt, ex V, 6 huc fuerint translata. Cf. SIEFFERT, *Der Brief an die Galater*, Göttingen 1899. p. 358 n.

præputium, sed nova creatura » ; — quibus locis addi potest I Cor. VII, 19 : « Circumcisio nihil est et præputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei ».

Tribus hisce sententiis idem principium exprimitur : Pro iis qui per baptismum Christo mystice sunt incorporati, nihil ad salutem refert utrum antea circumcisi fuerint, an præputiati (neque ulla Legis observantia), sed solùm refert, ac plurimum valet fides quæ per charitatem eam informantem operosa est, *vel* (quod eodem recidit) observatio mandatorum Dei, *vel* nova in Christo regeneratio. — Circumcisio igitur, sicut et reliqua legalia, nihil refert ad salutem christianorum, seu per se et ex natura sua est indifferens.

Hoc principium fundamentale universæ S. Pauli de lege doctrinæ subjacet ejusque agendi rationem totam inspiravit.

Nullibi legalia velut in se mala damnat, neque ullibi ea observantes absolute reprobare videtur (1). Quando a christianis legalia ut indifferentia habentur, jam non sunt jugum servitutis, neque mortis Christi virtuti salvificæ injuriam inferunt, neque medius existunt paries Judæo-christianos inter et Ethnicos conversos. Permanere quidem possunt tanquam honorificum pristini fœderis memoriale, velut usus patrii, origine, antiquitate ac primæva institutione venerabiles. Primis Ecclesiæ annis a multis Judæis conversis observantur, verùm pedetentim in desuetudinem abibunt ac oblivioni tradentur, maxime autem post excidium Urbis ac Templi.

Per se igitur et ex natura sua legalia a Christianis rite observari poterant, dummodo ea non usurparent tanquam instituta ad salutem necessaria, vel ad majorem perfectionem assequendam utilia, neque unitati in communitatibus christianis servandæ obstaculum ponerent (2).

---

(1) Cf. THOMAS, *Melanges d'hist. et de littér. relig.*, Paris, 1899, p. 132 ss.

(2) Ità SS. Patres jam monuerunt nocivam esse circumcisionem

Verùm quotiescumque legalia tanquam elementum ad salutem requisitum vel utile jactantur, vel etiam unitati christianorum periculo esse videntur, S. Paulus ea reprobat damnatque.

Idcirco omni quo potuit conatu restitit Paulus Judaisantibus qui descenderant de Judæa Antiochiam « et docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari » (1). Eadem de causa Petrum publicè reprehendit quando hic, a Gentilium convictu recedens, « timens eos qui ex circumcisione erant », Gentiles moraliter cogebat ad Legem observandam, quasi majorem dignitatem perfectionemque legalia contulissent (2).

II. Pari modo **Gal. V, 2**: « *ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* » dicto principio de indifferentia legalium minime contradicit. Nam uti patet ex integra epistola et in specie ex contextu (3), de tali circumcisione Apostolus agit ex qua aliquid utilitatis ad salutem quæritur. Ethnicos conversos alloquitur, qui non circumcisi aliam recipiendæ circumcisionis causam nec habebant nec habere poterant, nisi judaisantium errorem: Legem, vel saltem circumcisionem, etiam baptizatis observandam esse, ut omnium benedictionum filiis Abrahæ promissarum participes fierent, adeoque majorem perfectionem consequerentur (4). Hunc esse sensum hujus loci patet tùm ex v. 4 ubi asserit *evacuatos esse* i. e. separatos esse *a Christo qui in lege justificantur* i. e. qui ex operibus legis

---

« quum aliquid per se ipsam putatur utilitatis afferre » (Hier.), « nihil verò obesse ei, qui salutem in illa esse non credit » (Aug.) apud CORNELY, *Comment. in Epist. S. Pauli*, T. III, Parisiis 1892, p. 561.

(1) Act. XV, 1. Cf. COLL. BRUG., IX, p. 571 s.

(2) *Gal.* II, 11 ss. Cf. COLL. BRUG. IX, p. 686 ss.

(3) Cfr. CORNELY, *l. c.*; — ID. *Introd. in U. T. libros*, V. III Parisiis 1886, p. 386. Pseudoapostoli Galatas « carne consummare » volebant, i. e. circumcisione impertita ad perfectionem adducere.

(4) Cfr. CORNELY, *l. c.*; — SIEFFERT, *o. c.*, p. 299; — THOMAS, *o. c.*, p. 134; — COLL. BRUG., T. IX, p. 682 ss.

(in specie ex circumcisione v. 3) modo prædicto justitiam salutemque perfectius se inventuros esse confidunt; tùm ex v. 6 « *nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur* », ex quo legalia in œconomia salutis adiaphora esse apparet.

Veniamus jam ad ipsam agendi rationem Pauli circa legalia, in specie circa circumcisionem.

III. **Circumcisio Timothei Act. XVI, 3.** Priusquam Paulus Timotheum tanquam itineris socium et apostolici laboris coadjutorem assumpsit et cum ipso a Lystris et Iconio profectus est, « *circumcidit eum propter Judæos qui erant in illis locis* » sc. *propter Judæos nondum conversos* (1) qui civitates circumvicinas inhabitabant per quas mox cum Timotheo transiturus erat (v. 4). Paulus enim prius fidem in synagogis prædicabat: prædicator autem incircumcisus, præsertim Judæus origine, apud Judæos nullatenus fuisset acceptus. Sciebant autem vicini Judæi Timotheum esse incircumcisum, nam « *sciebant omnes quia pater ejus erat gentilis* » (v. 3) incircumcisus qui filium circumcidi non permiserat; aliunde etiam noverant eum fuisse « *filium mulieris judææ* » (v. 1); vi nativitatis igitur censebatur Israelita, adeoque incircumcisus abominationi habitus fuisset a popularibus suis tanquam apostata a paterno fœdere, et tanquam impurus gentilis ab eorum conventibus fuisset repulsus (cfr. *Act.* XI, 2 ss.). Timotheum ergo circumcidit Paulus ut aptus evaderet ad fidem Judæis prædicandam. Hæc agendi ratio nullo modo contraria est decreto apostolico quod de Judæo-christianis nihil statuerat (2); neque pugnat cum doctrina S. Pauli de

---

(1) Eum autem non circumcidit *propter Judæos qui crediderant*, uti perperam legitur in Breviario Rom. (24 Jan.); hoc facere non potuisset Paulus iisque circumcisionem Timothei postulantibus certocertius restitisset, sicut falsis obstitit « fratribus » Titi circumcisionem velut necessariam ad salutem urgentibus. *Gal.* II, 2 ss. V. *Infrà*.

(2) Cf. Collat. Brug., IX, p. 624 ss.

legalibus: circumcisio non assumitur quasi præscripta esset, vel necessaria aut utilis foret saluti, sed ex prudenti consilio ac indulgentia usurpatur ad captandam benevolentiam Judæorum. In hoc casu, sicut in aliis (1) ubi principium de indifferentia legalium ad salutem sartum tectum erat, absque ullo veritatis aut unionis periculo « *factus est Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucraretur* » (I Cor. IX, 20) (2). Recte et acute dicit S. Chrysostomus (in h. l.): « Circumcidit ut circumcisionem aboleret » (3).

IV. **Titum circumcidi noluit Paulus** (Gal. II, 3 ss.) quia Judæo-christiani quidam ejus circumcisionem in concilio Hierosolymitano urgebant tanquam necessariam ad salutem, uti patet ex integro contextu quem paraphrastice exponimus (4).

2. *Ascendi autem* iterùm Jerosolymam cum Barnaba, assumpto etiam Tito, monitus *revelatione* divina et deputatus ab ecclesia Antiochena (*Act.* XV, 2): *et contuli* i. e. exposui *illis* (ecclesiæ Jerosolymitanæ) *evangelium quod prædico* inter ethnicos absque onere

---

(1) Ità *Act.* XXI, 20 ss.

(2) Cf. Thomas, *o. c.*, p. 129 ss.; — Knabenbauer, *Comment. in Act. Ap.* Parisiis 1899, p. 276 s.; — Cornely, *ll. cc.*; — Ceulemans, *Comment. in Act. Ap.* Mechliniæ, *in h. l.*; — Van Steenkiste, *Comment. in Act. Ap.* Brugis, (Edit. VI) *in h. l.*; — E. H. Plumptre, apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, London 1863 (art. Timothy); — Wendt, *Die Apostelgeschichte*, Göttingen 1899, *in h. l.*; — Lock, apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh (art. Timothy); — Dods (*ibid.* art. Ep. to the Gal.); Lesêtre apud Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, Paris (art. circoncision).

(3) Immeritò igitur circumcisionem Timothei Rationalistæ plures repudiant ut historicæ veritati repugnantem et ab auctore Act. Ap. confictam ut Paulus veluti Legis observator et priscis consentiens Apostolis appareret. Ità Baur, *Paulus, der Apostel J.-C.* Leipzig 1866, *h. l.*; — Zeller, *Die Apostelgesch. nach Inhalt u. Urspr. krit. unters.* Stuttgart, 1854, *h. l.*; — De Wette-Overbeck, *Kurze Erklärung der Apostelg.* Leipzig, 1870 *h. l.*; — Weizsæcker, *Das apost. Zeitalter de christl. Kirche*, Freiburg 1892, p. 179; — H. Holtzmann, *Die Apostelgesch. im Hand-Comment. Z. N. T.*, Freiburg i. B. 1892, *h. l.*

(4) Cf. Collat. Brug., T. IV, p. 566 ss., 573.

quovis legalium; *seorsum* seu privatim exposui illud *iis qui videbantur aliquid esse* i. e. primariis Apostolis ac Senioribus. Eum autem in finem exposui meam doctrinam ut palam fieret num (μήπως), ut aliqui dubitabant (1), frustrà laborarem et hucusque laborassem. 3. Jamvero Apostoli primarii ac Seniores non tantum negarunt me in vanum laborare inter gentiles, *sed ne Titus quidem*, qui socius meus erat itineris ac laboris licet *esset gentilis* (2), *compulsus est* (3) ab Apostolis *ad circumcisionem*. 4. Ideo autem Titus non est coactus circumcidi quia ejus circumcisionem imperabant illi (4) *falsi fratres* christiani qui subreptitie *introierant* in Ecclesiam ut insidiose *explorarent* et calumniarent *libertatem nostram* a legalibus (5) qua usi eramus in ecclesia Antiochena et quam habemus tanquam *in Christo* inserti ac viventes, et sic tentarent *nos in servitutem* Legis mosaicæ *redigere*. 5. *Quibus* falsis fratribus ne uno quidem momento ego et alii Apostoli *cessimus subjectione* illa quæ postulabatur, sed fortiter illis restitimus ut *veritas Evangelii* indifferentiam legalium docentis, *permaneret apud vos* et alios ethnicos.

Ex contextu igitur liquet Paulum aliosque Apostolos Titi circumcisionem denegasse quia *falsi fratres* judaisantes ea abusi essent *ad veritatem evangelii* et *libertatem* a legalibus maxime apud Ethnico-christianos everten-

---

(1) Commoti a Judaisantibus circumcisionem ad salutem requisitam esse contendentibus, *Act.* XV, 1 ss.

(2) Cf. SIEFFERT, *Der Brief an die Gabater*, Göttingen, 1899. Verba « cùm esset Gentilis » referenda sunt ad « qui mecum erat », non àutem ad « compulsus est ».

(3) Circumcisionem Titi in concilio Hierosolymitano postulatam fuisse minime inficiamur; verùm *Apostolos* eam efflatigasse — uti perperam Baur ejusque schola contenderunt — omnino negamus.

(4) διὰ δὲ τοὺς ψευδαδέλφους sc. propter falsos fratres historice notos. Cf. *Act.* XV, 1 ss.

(5) Ex contextu sicut ex tota ep. ad Gal. patet Paulum loqui de libertate a servitute Legis mosaicæ. Cf. CORNELY *in h. l.*; — SIEFFERT, *o. c.*, p. 102.

dam. Ipse Paulus innuit (1) se in aliis adjunctis forsan circumcisionem, utpote indifferentem, tolerare potuisse, sed in dato casu eam respuisse quia judaisantes eam *necessariam* jactabant. Tantum igitur abest ut denegata Titi circumcisio circumcisionem Timothei excludat, ut eam potius doctrinæ Pauli consentaneam ostendat.

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Quænam est peccati originalis* pœna *quæ luenda est post hanc vitam terrestrem.*

R. I. De *fide* est omnes qui cum solo originali peccato moriuntur in perpetuum carere *visione Dei intuitiva*. Definivit enim Concilium Florentinum *illorum animas qui in solo originali peccato decedunt mox in infernum descendere* (2).

Porro hæc visionis beatificæ carentia est vere *privatio:* est enim carentia perfectionis *debitæ:* nam, ex Dei ordinatione, omnis hominis anima, statim ac mors acciderit, debet, in cœlum recipi et Deum intueri (3), nisi ab hac visione arceatur vel peccato vel pœna pro peccato luenda. Tandem visionis Dei intuitivæ privatio est vere *pœna:* nam est privatio alicujus boni delectabilis quam ratione culpæ, scilicet *originalis,* contra naturalem appetitum suæ voluntatis patitur creatura (4).

Facile intelligitur *cur* privatio visionis beatificæ sit pœna correspondens originali peccato: nam originale

---

(1) Cf. THOMAS, *o. c.*, p. 56 ss., 140 s.

(2) Cf. DENZINGER, *Enchiridion,* n. 588. Idem jam continebatur in professione fidei Michaelis Palēologi: cf. op. c. n. 387.

(3) Quamdiu homo in hac terra vivit, visionis beatificæ carentia non est privatio, nec proinde pœna: quia hæc visio debita non est homini in statu *viæ* degenti.

(4) Cf. COLLAT. BRUG., T. IX, p. 689 et p. 692.

peccatum consistit essentialiter in privatione gratiæ sanctificantis voluntaria ex actu voluntario primi parentis (1); omnis autem qui illa gratia caret *privatur* principio quo homo radicaliter capax fit seu disponitur ad intuendum Deum, ideoque recte privatur ipsa Dei intuitiva visione.

II. Deinde inquirendum est de pœna *sensus:* hîc duplex occurrit quæstio: 1. utrum propter peccatum originale detur aliqua pœna *positive inflicta*, v. gr. ignis; 2. utrum illi qui ob solum originale peccatum privantur visione beatifica *tristitiam* patiantur ex hac privatione.

1. Quoad primam quæstionem, licet quidam patres tenuerint infantes sine baptismo morientes cruciari igne, tamen communior imo jam communissima dici potest sententia negans illos affici aliqua pœna positive inflicta (2): huic sententiæ omnino adhærendum videtur, propter rationes nunc indicandas.

a/ Uti in præcedenti nostra responsione diximus, omnis pœna quæ habetur per inflictionem alicujus contrarii et positive cruciantis, sicut quando quis flagellatur vel in ignem mittitur, immediate afficit *personam* seu naturam ut individuatam in tali supposito: ideoque tales pœnæ non conveniunt peccato originali quippe quod est peccatum, non personæ, sed naturæ.

b/ Pœna quæ positive affligit aliquem directe respondet *conversioni indebitæ ad commutabile bonum*, h. e. ad creaturam: quia peccator nimis indulget delectationi vel fruitioni ex creatura sumendæ, ideo æquum est ut ex ipsa creatura percipiat dolorem: sic enim habetur quasi compensatio et proinde restitutio ordinis læsi. Jamvero in originali peccato nulla habetur conversio ad commutabile bonum: ergo originali peccato non convenit pœna positive inflicta et crucians.

---

(1) Cf. Collat. Brug., l. c., p. 372.

(2) Cf. Hurter, *Theologiæ dogmaticæ Compendium*, Œniponte, 1896, T. III, p. 595, n. 663.

c/ Sententia quam propugnamus videtur confirmari ab Innocentio III qui in decreto adversus Petrobussianos aliosque hæreticos declarat: « Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus » (1). Ex hac oppositione videtur Summus Pontifex docere *solam* carentiam visionis Dei esse pœnam peccati originalis, nec alium adjungi cruciatum.

2. Tandem quæritur utrum illi qui cum solo originali peccato moriuntur afficiantur *tristitia* ex privatione visionis Dei.

Quidam, inter quos Bellarminus (2), affirmant; sed negandum videtur: quum enim peccatum originale nullam importet inordinatam conversionem ad creaturam, et consequenter nullam positivam inordinationem moralem in ipsa natura vel ejus facultatibus operativis, non convenit ut subjectum, solo peccato originali infectum, afficiatur aliquo quod opponitur bonæ habitudini naturæ, consequenter non convenit ut afficiatur tristitia, quæ est cruciatus omnino oppositus bonæ habitudini naturæ (3).

Nota. Si admittitur nulla affici tristitia illos qui cum solo originali peccato moriuntur, ulterius inquiritur quomodo hoc fieri possit. Imprimis, etiamsi non nobis innotesceret ratio cur non doleant de carentia visionis Dei, non ideo negandum foret illos ab omni tristitia immunes esse. Sed rationabiliter dicitur illos *non cognoscere se privari visione beatifica:* se ad hunc supernaturalem finem destinatos esse cognoscere nequeunt naturali cognitione, hoc scire tantum ex *revelatione*

---

(1) Cf. Denzinger, op. c. n. 341.

(2) *De Amissione gratiæ et statu peccati,* L. VI, c. 6.

(3) Cf. S Thomas, in II, D. XXXII, Q. II, a. 2; *De Malo,* Q. V, a. 3; S. Bonaventura, in II, D. XXXIII, a. 3, q. 2: Jungmann, *De Novissimis,* n 74; Lambrecht, *De Novissimis,* Gandavi, 1883, p. 72; De Baets, *De ratione ac natura peccati originalis.* Lovanii 1899. p. 90; Lahousse S. J. *De Deo creante,* Brugis, 1904, n. 254.

divina possunt: non autem adest ratio ut Deus hoc ipsis revelet.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Quoad possessorum malæ fidei quæritur:*

a/ An restituere debeat pro rebus quæ apud ipsum pericrunt, sed et apud dominum periissent?

R. I. **Ex jure naturæ.** Hæc quæstio nonnunquam sat intricata, stando in solo jure naturali, solvenda est ex hoc **principio generali:** *Possessor malæ fidei restituere debet quoties damnum quod patitur dominus, sequitur ex injusta acceptione possessoris tanquam ex causa efficaci, secus vero si injusta detentio non est causa efficax illius damni* (1).

Sola enim injuria stricte dicta ad restitutionem obligat. Est autem injuria stricte dicta læsio juris rigorosi voluntaria et efficax (2).

Proinde

1° *Possessor malæ fidei non tenetur restituere si res aliena ex eodem periculo apud dominum periisset*, uti si res periit v. g. intrinseco vitio vel communi naufragio, inundatione, incendio, quæ rem æque apud dominum consumpsissent. — *Ratio*, juxta principium generale traditum, est quia in hoc casu injusta detentio non fuit causa efficax damni quod dominus patitur. Posuit quidem possessor malæ fidei quodammodo causam damni; sed illa causa efficax non fuit, adeoque vera causalitate seu effectu detentor damnum non intulit. Privavit quidem dominum usu rei et possessione per aliquod tempus, sed illius totalis amissio ipsi nequit imputari. Præterea possessor non est causa damni ratione interi-

(1) Ctr. Marres, *De Justitia*, T. I (Ruræmundæ, 1879), p. 254; — Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia*, Brugis, 1886, T. II, n. 245.

(2) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, n. 9 s.

tus rei, cùm ad hunc non cooperetur uti supponitur; neque ratione injustæ acceptionis; cum illa res, etiam non accepta, similiter peritura fuisset: est igitur rei jactura ab injusta detentione penitus independens (1).

Patet ergo pro re ipsa nihil in casu esse restituendum, neque pro fructibus qui æque apud dominum periissent (2). Ita quoque communius theologi docent (3).

2° *Possessor malæ fidei tenetur restituere si res aliena ex diverso periculo apud dominum periisset.* Ità si periisset culpa possessoris vel alterius, vel casu quo non periisset apud dominum, sive antea sive postea apud dominum periisset, sive juxta multos, et meritò quidem, eodem tempore, dummodo diversum sit periculum (4). — *Ratio est* quia in his casibus injusta detentio est causa efficax cur res pereat, adeoque causa efficax damni.

---

(1) Cfr. CARRIÈRE, *De Just. et Jure*, Parisiis 1839, T. III, n. 1067; — LESSIUS, *De Just. et Jure*, L. II, c. XII, Dub. XV, n. 92.

(2) Dicimus « pro re ipsa et pro fructibus qui æque apud dominum periissent ». Etenim, juxta tradita apud COLL. BRUG., T. II, p. 518, tenetur possessor malæ fidei reddere domino omnes *fructus rei*, etiam eos quos mala fide consumpsit, quin inde ditior factus sit; tenetur pariter omnia damna ex injusta acceptione ac detentione prævisa resarcire: nempe damnum emergens et lucrum cessans.

(3) Cfr. MOLINA, Disp. 725, n. 11; — LESSIUS, *l. c.*, a quo COVARRUVIAS, JOAN. MEDINA, SILVESTER, PETRUS NAVARRA et NAVARRUS allegantur; — DE LUGO, *De Just. et Jure*, Disp. XVIII, s. VI, n. 143; — SALMANTICENSES, *De Restit.* C. I. n. 52; — WIGGERS, *De Jure et Just.*, Tract. III, C. I, n 95, qui hanc sententiam satis communem vocat; — LAYMANN, L. III, Tr. II, C. IV, n. 2; — S. ALPHONSUS, *Theol. mor.*, L. IV, n. 620, qui hanc sententiam communem dicit; — GOUSSET, *Théol. mor.*, Paris, 1844, T. I, n. 933; — CARRIÈRE, *o. c.*, n. 1067 ss.; — MARRES, *o. c.*, p. 254, n. 34; — Ill^{s} ac Rev^{s} WAFFELAERT, *l. c.*; — BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol. mor.*, V. III, (Prati 1890), p. 356; — LEHMKUHL, *Theol. mor.*, Friburgi B. 1898, T. I, n. 955; — NOLDIN, *De Præceptis Dei et Eccl.* Œniponte, 1904, n. 441; — COLL. BRUG., T. II. p. 517 s; — D'ANNIBALE, *Summula theol. mor.*, Romæ 1896, n. 240; — GÉNICOT, *Theol. mor. Instit.*, Lovanii, 1896, V. I, n. 519; — THEOL. MECHL., *Tract. de Jure et Just. et de Contr.* 1896, n. 31, p. 86; — BUCCERONI, *Instit. Theol. Mor.*, Romæ, 1896, T. I, n. 1350.

(4) Cfr. Ill^{s} ac Rev^{s} WAFFELAERT, *l. c.*, Excipi forsan posset cum quibusdam AA. casus satis metaphysicus quo res prævidebatur certo peritura apud dominum.

Ità a/ si res peritura fuisset apud dominum *ante* tempus quo periit apud possessorem, v. g. res ablata peritura fuisset ex incendio apud dominum; post incendium non statim restituit fur, et res apud ipsum casu fortuito perit, non jam peritura apud dominum: certe tenetur ejus valorem restituere. Nam elapso tempore quo peritura fuisset, nihilominus pertinuit ad dominum, ut per se patet; ergo debuit illam restituere: si restituisset, jam apud dominum non periisset. Ergo injusta detentio causa efficax est cur dominus eam amiserit (1).

b/ Si *postea* peritura fuisset apud dominum quam periit apud possessorem, tenetur etiam possessor ad restitutionem. Evidenter enim injusta detentio fuit causa efficax damni illati, et actio personalis damni resarciendi quam dominus contra injustum possessorem nactus est eo momento quo res apud illum periit, sequenti periculo non fuit extincta (2).

c/ Casu (speculativo magis quam practico) quo etiam sine culpa possessoris vel alterius, res aliena *eodem moraliter tempore* periit quo apud dominum certò periisset, contra Lehmkuhl *(l. c.)* obligationem restituendi urgere arbitramur. Ratio est quia interitus rei nexu causali ab injusta detentione dependet et, ad actionem damnificativam quod attinet, mere per accidens est rem alienam eodem momento apud dominum — sed casu diverso — perituram fuisse: ipsa injusta acceptio rem alienam *huic* periculo exposuit, adeoque vera causa efficax cur res pereat, esse videtur.

II. **Ex jure nostro civili** (art. 1302) **fur** *ab obligatione restituendi non liberatur quocumque demum modo res apud ipsum perierit:* « de quelque manière que la chose volée ait péri ou ait été perdue, sa perte ne dispense pas celui qui l'a soustraite de la restitution du prix ».

---

(1) Cfr. Carrière, *o. c.*. n. 1065.

(2) Quoad a/ et b/ sententia propugnata est *communis* inter Auctores. Cfr. Marres, *o. c.*, p. 255.

Jamvero ex motivis legis (1); ex generalitate verborum, et ex eorum comparatione cum præcedentibus in eodem art. ubi possessor qui est in mora liberari dicitur, si probetur rem pariter perituram fuisse apud creditorem; demùm ex modo quo articulus ille a jurisperitis (2) explicatur, quæcumque exceptio excludi videtur.

Hoc autem onus restituendi ultra quod ex jure naturali definivimus, rationem habet pœnæ post judicis sententiam tantum subeundæ (3).

IV

Q. Quoad possessorem malæ fidei quæritur:

b/ Quid restituere debeat quando res varium habuit valorem tempore detentionis?

Prænota. 1. Licet hîc illîc quidam dissensus reperiatur (4), non ità tamen diversæ sunt opiniones ac primo aspectu videri possit: *ad substantiam doctrinæ quod attinet concordes inveniuntur Auctores.* Unde variis sententiis exponendis ac dijudicandis non immorabimur. Verùm solutionem ab Exim. Marres et Ill° ac Rev° Waffelaert ll. cc. traditam proponemus.

2. *Hæc quæstio in singulis casibus solvenda est ex hisce generalibus juris principiis:* Res crescit domino; ex re aliena nemo cum injuria alterius ditescere debet;

---

(1) Ità Bigot de Préameneu (*Code et Motifs*, T. V, p. 76): « Si la cause de la dette était un vol, l'ordre public s'opposerait à ce que le débiteur fût admis à proposer contre la demande de restitution aucune exception, pas même celle de la perte de la chose sans sa faute ».

(2) Cfr. Thiry, *Cours de Droit Civil*, Paris-Liége 1892-1893, T. III, p. 118.

(3) Ità Gousset, *o. c.*, n. 933; — Carrière, *o. c.*, n. 1072; — Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *l. c.*; — Coll. Brug., T. II, p. 518; — Lehmkuhl, *o. c.*, n. 955; — Génicot, *o. c.*, n. 519; — Theol. Mechl., *o. c.*, p. 87; — Bucceroni, *l. c.*

(4) Cfr. de Lugo, *De Just. et Jure*, Disp. XVIII, s. VI, n. 117 ss.; — Carrière, *De Just. et Jure*, Parisiis 1839, T. III, n. 1073 ss.

integrum damnum domino per injuriam illatum restitutione reparandum est (1).

R. I. **Quando ipsa res aliena adhuc restitui potest:** distinguimus prouti apud possessorem malæ fidei accrevit vel decrevit seu deterior facta est.

1/ *Si accrevit*, v. g. agnus accrevit in ovem, *res ipsa, uti accrevit domino est reddenda*, quia res crescit domino. Possessor deducere tamen potest sumptus erogatos et pretium industriæ aut laboris rei impensi, ne dominus re aliena ditescat (2).

2/ *Si decrevit* seu deterior est facta, e. g. equus junior olim ablatus jam veterascit, res reddenda est, atque insuper rei addendum quanti deterior est facta: secus enim dominus non recuperaret quantum sibi ablatum fuit. Ita communiter Auctores.

II. **Quando res non amplius extat, atque illius pretium est reddendum.**

1/ « Injustus possessor solvere debet rei pretium *summum, si hoc pretium illi quocumque demum modo profuit*, e. g. venditione rei, consumptione, *idque ratione rei acceptæ*. Possessor tamen deducere potest auctarium pretii *peculiari sua industria quæsitum*, ne dominus re aliena ditescat: hinc, e. g. frumentum ablatum alio transtulit et majoris pretii vendidit quam dominus vendidisset, hoc pretii auctarium quod industriæ est fructus, sibi retinere potest (3).

2/ Possessor injustus etiam summum debet solvere pretium, etsi illud sibi quidem non profuerit, sed tamen *domino profuisset*, quia e. g. dominus rem vendidisset aut consumpsisset, cum summo esset pretio: ad illud enim obligatur *titulo damni* illati, ut damnum domino injuste illatum compenset. Ita communis fert Auctorum sententia.

---

(1) Cfr. MARRES, *De Justitia*, T. I (Ruræmundæ, 1879), p. 255; — Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *De Justitia*, Brugis 1886, T. II, n. 247.

(2) S. ALPH. *Theol. Mor.*, L. IV, n. 621.

(3) S. ALPH. *ibid.*, n 618.

3/ Quodsi rei pretium *neque possessori profuit, neque domino profuisset*, reddatur pretium quo dominus eamdem fere rem sibi comparare potest, idque sive res ipsa, sive illius pretium tantum primum accreverit et deinde decreverit. Possessor enim hac ratione et integrum domino illatum damnum compensat, et ex re aliena nullatenus ditescit » (1).

Nota. Quando de hujusmodi circumstantiis certo constat, possessor malæ fidei ad totum damnum resarciendum juxta modo dicta compellendus est. In praxi tamen sæpe non erit urgenda nisi restitutio rei aut ejus pretii secundum valorem quem tempore furti habuit, quia supradictæ circumstantiæ aut penitus ignorantur aut saltem non cum certitudine cognoscuntur.

V

Q. *Quinam restituere debent quando res aliena, donatione aut venditione, per manus plurium malæ fidei possessorum transivit?*

R. I. **Quoad rem ipsam**: qui hanc in se vel in æquivalenti possidet restituere tenetur, sive rem in alium valorem mutavit aut consumpsit, sive quovis modo amisit. Tenetur enim titulo rei acceptæ; nam in quibusvis manibus res aliena pervenerit, clamat domino. Quodsi talis possessor deficiat, tenetur restituere raptor, etiamsi furtum ipsi minime profuerit: tenetur enim titulo injustæ acceptionis. Quodsi neuter neque rei possessor neque raptor debito suo satisfecerit, cæteri detentores injusti pro rata sua parte pretium solvere debent, et in

(1) Cfr. Marres *l. c.*, qui sequentes auctoritates adducit: Lessius (L. II, c. XV, n. 403); — de Lugo (D. XVIII, s. VI, n. 132 ss.); — Salmanticenses (Tr. XIII, c. I, n. 57 ss.); — Lacroix (L. III, p. II, n. 233); — Carrière (*o. c.*, n. 1075); — Gury (T. I, n. 648). — Quid faciendum sit quando non constat utrum dominus fuisset rem consumpturus vel venditurus, cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, n. 248; Theol. Mechl. *Tract. de Jure et Just. et de contr.* 1896, n. 31, p. 87 s.

defectu aliorum in solidum (1) ad totum pretium tenentur, salvo recursu erga alios (2): singuli enim injusta et efficax causa integri damni fuerunt.

II. **Quoad rei fructus et damna**, singuli ad compensationem tenentur pro rata parte temporis, qua unusquisque rem detinuit. Si autem reliqui pro sua damnificationis et frutionis parte non compensent, totius damni i. e. omnium fructuum et damnorum reparatio singulis incumbit pro rata temporis elapsi a die *suæ* (3) incœptæ possessionis injustæ usque ad diem restitutionis (4). *Ratio* prioris asserti est quod res fructificat domino (5); ratio posterioris quia singuli inde a die suæ incœptæ possessionis effecti sunt causa injusta et efficax totius damni quod dominus usque ad ipsum restitutionis diem passus est.

Nota ad qq. III, IV et V.

I. « *Confessarius*, quando restitutio rei alienæ imponenda est, non nimis anxie cum pœnitente computet admodum incertum quandoque pretium tum rei ipsius tum illius fructuum atque deducendos sumptus aut forte erogatos aut forte impensos pro labore et industria; nec etiam scrupulose æstimet damnum cujuslibet generis domino forte illatum, sed *rem, spectatis circumstantiis nomine domini, cujus res utiliter gerit, ex æquo et bono cum injusto possessore componat:* 1° ne nimium petendo et nihil obtinendo, nedum faveat, domino noceat; 2° quia rationabiliter præsumere potest dominum, quo certius rem recuperet, in restitutione sibi debita non ultimum exigere quadrantem; 3° quia injusti possesso-

(1) Cfr. Coll. Brug. T. II, p. 571 ss.

(2) Cfr Gury, T. I, n. 650 — Marres, *De Justitia*, T. I, (Ruræmundæ, 1879), p. 256; — Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia*, Brugis 1886, T. II, n. 249.

(3) Dicitur « suæ » possessionis: non enim tenentur pro tempore quod suam possessionem præcessit.

(4) Cfr. Gury, *l. c.* — Coll. Brug., T. II, p. 517 s.

(5) Nunquam tamen restituendi sunt fructus *industriales*, qui nempe non sunt fructus ipsius rei sed industriæ possessoris.

res non omne damnum illatum, ne in confuso quidem prævidere solent (1) ».

II. Prudentia requirit ut confessarius etiam bonæ fidei et animo pœnitentis ad debitam restitutionem faciendam magis aut minus parato attendat; animadvertat præterea malam fidem circa rem nonnunquam jungi posse cum bona fide circa fructus consumptos aut destructos necnon circa damna domino illata.

A. CAMERLYNCK.

VI

Q. *Les fabriques d'église sont-elles des administrations subordonnées à la commune et à la province?*

R. Nous avons vu précédemment (2) que les fabriques, eu égard à leur caractère d'établissements d'utilité publique, sont placées quant à certains de leurs actes, sous la tutelle des autorités administratives supérieures et que l'État, se basant sur l'obligation qu'il a contractée de suppléer à l'insuffisance des revenus des fabriques, avait par la loi du 4 Mars 1870, soumis leur comptabilité à un contrôle presque absolu.

Nonobstant ces attributions du pouvoir civil (3), les fabriques ne constituent point des administrations subordonnées à la commune ou à la province. En d'autres termes la loi n'a pas donné aux communes ni aux provinces une mission de surveillance sur tous les actes de

---

(1) MARRES, *o. c.*, p. 257. Ità rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit obligare ad totum, cùm difficulter sibi persuadeant se teneri ad partem restituendam a sociis ablatam. Quinimo, satis præsumi potest dominos quibus debetur restitutio, consentire ut tantùm restituant partem ab eis ablatam; cùm aliter valde sit timendum ne nihil restituant, si obligentur ad totum. Cfr. THEOL. MECHLIN. *Tract. de Jure et Just. et de contr.* 1896, p. 131.

(2) COLL. BRUG., T. IX, p. 585, 642.

(3) DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.* edit. 7a, T. II, nº 965, p. 270 sq.

ces établissements, à raison des intérêts communaux ou provinciaux qu'ils gèrent.

En effet, sans nous arrêter à l'évidente opposition qu'il y a entre ce rapport de subordination et le véritable caractère des administrations fabriciennes (1), nous établirons que ni la législation spéciale des fabriques, ni les lois communale ou provinciale ne fondent l'opinion contraire.

1° Décret du 30 Décembre 1809.

Il est clair, d'après le texte et l'esprit de ce décret organique des fabriques, que celles-ci ne sont nullement dépendantes des conseils communaux ou provinciaux, comme le sont les bureaux de bienfaisance et les commissions des hospices. Sous l'empire du décret, dès que les recettes suffisent à couvrir les dépenses, l'approbation donnée au budget par l'évêque, lui assurait toute autorité (a. 47, 48) (2). Il est vrai, que par l'art. 92 les communes ont à la décharge de l'État, l'obligation de suppléer à l'insuffisance constatée des revenus des fabriques. Il en découle que les communes *ont intérêt* à ce que ces établissements jouissent d'une bonne administration (3), mais non que les intérêts des fabriques sont *des intérêts communaux*.

Pour juger de l'esprit du décret de 1809, il est nécessaire de consulter les travaux préparatoires (4).

---

(1) Coll. Brug., T. IX, p. 639 s.

(2) On peut comparer ces articles du Décret avec l'art. 76 de la loi du 18 Germinal an X, avec l'arr. du 9 Floréal an XI, l'art. 3 de l'arr. du 7 Thermidor an XI. Si le décret du 22 Déc. 1789, Sect. III, a. 2, n° 8 a expressément placé la gestion du temporel des cultes, comme branche de l'administration générale, sous l'autorité du Roi, il suffit de faire remarquer que ce décret suit de près la loi de Nationalisation du 2 Nov. 1789.

(3) Cet intérêt des communes était déjà largement sauvgardé par plusieurs dispositions du Décret: a. 4, 6, 93 etc. Cf. Lauwers, *Code de droit civil ecclésiastique*, p. 133 s., Bruges, 1859.

(4) Hüffer, *Forschungen auf dem Gebiete des französischen und rheinischen Kirchenrechts*, Münster, 1863. Textes repris de cet auteur dans le *Mémorial belge*, T. XIV, 1870. Cfr. *le Mémorial*, 1880, nouv. sér., T. VIII, col. 134 ss.;

Or il appert de ces textes que les fabriques ne ressortissent pas principalement de l'administration générale, provinciale ou communale, mais qu'elles sont des établissements religieux dont *légalement* les Évêques sont les chefs propres et immédiats (1).

La section de l'intérieur du Conseil d'État dans son rapport reconnait que la plupart des anciens réglements des fabriques ne sont point l'ouvrage direct du magistrat, mais qu'ils avaient été simplement homologués par lui ; qu'en l'état, les fabriques n'existant pas encore, les archevêques et évêques en étaient les représentants naturels ; que les fabriques ne sont nullement, relativement à la commune, dans un rapport de subordination, que leurs intérêts sont différents et que leur administration est distincte. Et le ministre des cultes, Bigot de Préameneu, auteur du décret, écrit dans son rapport à l'empereur sur les travaux de la section de l'intérieur : La fabrique « est un établissement *purement* religieux à la tête de laquelle l'Évêque est placé par *les lois civiles et ecclésiastiques*..... L'administration de cet établissement religieux dans une paroisse est donc essentiellement distinct de l'administration de la commune. L'église, le presbytère et le cimetière sont entretenus par la commune qui profite du culte, ils ne sont nullement sa propriété. » (2)

---

autres textes ap. LAUWERS, *Examen de l'avant-projet de révision du Décret de 1809*, p. 34, Bruxelles, 1863 ; DE CHAMPEAUX, *Recueil général de droit civil ecclésiastique français*, 2 vol., T. I, p. 59 ss., Paris.

(1) LAUWERS, *Code de droit civil ecclésiastique*, p. 137. L'assertion de M. DE FOOZ (Le droit administratif belge, T. IV, p. 522) que « les biens des fabriques sont administrés.... sous la coopération de l'autorité ecclésiastique, qui constitue en cela l'un des auxiliaires du Gouvernement » doit être corrigée d'après ces textes. L'action des évêques sur les fabriques est légalement immédiate.

(2) *Mémorial*, l. c., col. 136 ss. On peut donc s'inscrire en faux contre les affirmations de la Cour de Cassation qui, dans son arrêt du 13 Avril 1882 (*Pasicr.*, 1882, I, 103), avance sans aucun fondement, qu'en vertu *du décret de 1809*, les fabriques ont le caractère d'administrations subordonnées à la commune et à la province. Voir en sens contraire un arrêt de Cass.

2° **Loi du 4 Mars 1870.**

Nous touchons à l'argument principal des adversaires (1). Les *Pandectes Belges* affirment sans broncher que ce contrôle établi par la loi consacre la subordination des conseils de fabriques aux communes et aux provinces, comme du reste, à l'administration générale. Cette opinion, au dire de ces légistes, n'est plus sérieusement contestée. (2)

Cependant la loi de 1870 est une loi transactionnelle. *Écartant toute question de principes quant à la nature du temporel ecclésiastique et au caractère des fabriques,* elle a uniquement pour but d'organiser d'une manière plus efficace le contrôle de la gestion de ces établissements, pour que éventuellement l'insuffisance de leurs revenus soit dûment constatée (3). Il est vrai que les dispositions de cet acte législatif sont à peu de choses près, les mêmes que celles de l'avant-projet de 1863 ; mais leur esprit a changé, ce dont, tout l'historique de cette transaction fait foi. Or comment une telle loi a-t-elle pu modifier les principes, sur lesquels repose le décret de 1809, et faire, même virtuellement,

---

du 7 Juin 1849 (*Pas.* 1849, p. 362) où dans le cas, l'avocat général pose nettement la question de savoir, si le décret de 1809 n'a pas fait aux fabriques *une situation spéciale*, cf. Liége, 6 mai 1846 (*Pas.*, 1846, p. 245); TIELEMANS et DE BROUCKERE, *Répertoire de l'administration,* V° Fabriques d'église, p. 262.

(1) *Pandectes*, V° Fabrique, n° 65 ; arrêt cité de Cassation 13 Avril 1882 ; Furnes, 5 Fév. 1881 (*Mémorial*, 1881, nouv. sér., T. IX, col. 83).

(2) La doctrine des *Pandectes Belges* (V° Fabrique) est en relation directe avec celle du *Répertoire de l'administration* de TIELEMANS et DE BROUCKERE (V° Fabrique p. 268 ss). La liberté des cultes n'est que le droit individuel de professer une religion ou de n'en point professer ; le culte n'est qu'un service public ; au point de vue légal, tout ce qui concerne le temporel du culte est une branche de l'administration générale ; les fabriques sont donc des administrations publiques. Par l'exemple donné, on peut voir combien peu sérieusement les arguments de la théorie catholique sont examinés et comment le dernier argument de ces juristes se résoud dans l'argument de jurisprudence, libérale évidemment. *Pand. B.*, V° Commissaire spécial n° 139, n° 160.

(3) COLL. BRUG., T. IX, p. 584.

des fabriques, des administrations subordonnées aux communes et aux provinces? D'ailleurs une loi qui consacre *l'indépendance* des fabriques pourrait-elle établir une subordination de ces administrations aux communes ou aux provinces? L'article 15 est clair, et les déclarations faites à la chambre par Bara et d'autres sont absolues quant à ce point (1): « Je suppose, dit Bara, qu'un conseil de fabrique veuille résister à la loi. Le décret de 1809 ou le projet de loi ne fournit aucun remède à cet état de choses. Le conseil de fabrique est souverain. » (2)

Donc « les fabriques d'églises sont des institutions *sui generis*, en grande partie souveraines maîtresses de leur action, et si elles refusent d'obtempérer aux désirs du pouvoir, celui-ci se trouve impuissant à les contraindre ». (3)

3° Lois provinciale et communale.

Nous avons vu plus haut, que la nature propre des administrations fabriciennes et la législation spéciale et complète qui les régit, ne les rangent nullement parmi les établissements, subordonnés aux conseils communaux, au gouverneur ou à la Députation permanente; or

---

(1) Déclarations de d'Anethan au *Sénat, Doc. Parlem.*, 1869-1870, p. 14; de Bouvier, *Ann. parlem.*, *Chambre des Représ.*, 1869-1870, p. 321; de Thonissen, *ibid.*, p. 324; de Bara, *ibid.*, etc. Voir ces derniers textes ap. MOULART, *Des Fabriques d'églises*, p 268; *le Mémorial*; nouv. sér., T. VIII, 1880, col. 143; cf. *Pand. B.*, V° Budget des fabriques d'église, n° 6, 7.

(2) Les juristes de l'école libérale répondent que, quand il ne s'agit pas du cas spécial où la fabrique néglige de remettre son budget ou son compte, cas pour lequel la loi prononce la déchéance, la fabrique reste une administration subordonnée à la commune et à la province et, qu'en cas de résistance, un commissaire spécial peut lui être envoyé. Qui ne voit l'arbitraire d'un tel système! *Pand. B.*, V° Commissaire spécial, n° 150 ss.

(3) Plaidoirie de Me Van den Heuvel qui défendait les droits des écoles catholiques et l'indépendance des fabriques dans l'affaire jugée devant le Tribunal de Termonde le 12 Mars 1881, cf. *le Mémorial*, nouv. sér., T. IX, 1881, col. 85-93; 415 ss.; *Pas.*, 1881, III, 189.

le texte et les travaux préparatoires des lois communale et provinciale confirment pleinement cette manière de voir. (1)

a/ Le texte n'établit nullement ce rapport de subordination. Dans les énumérations des autorités et établissements subordonnés, les fabriques sont toujours exclues (loi com. a. 79, 84, 91); la loi communale qui a soin de spécifier les attributions du conseil communal sur les établissements publics établis dans son sein, ne lui donne aucun pouvoir sur les fabriques (2).

b/ Le projet de la loi communale établissait à l'art. 91, la surveillance par la commune de tous les établissements subsidiés par elle. Ce texte, dit M. Bernimolin (3), a été modifié pour écarter la surveillance par l'autorité communale des établissements privés subsidiés.

Lors des discussions parlementaires, on rejeta jusqu'à trois fois, des amendements qui obligeaient les fabriques à soumettre leurs budgets et comptes à l'approbation du conseil communal. (4)

A la séance du 25 Mars 1836, M. de Haussy exprime le regret que les fabriques n'aient pas été comprises parmi les établissements soumis à la surveillance des administrations communales ou provinciales. « Si l'on

---

(1) Moulart, *o. c.*, p. 269; *le Mémorial*, nouv. sér., T. IX, 1881, col. 88.

(2) Soenens, *Des fabriques d'eglises*, p. 272, Bruges, 1862.

(3) Bernimolin. *Les institutions provinciales et communales de la Belgique*, 2 vol., T. II, p. 43, Bruxelles, Larcier, 1892. Il renvoie à la *Pasinomie*, 1836, p. 275.

(4) Soenens, *o. c.*, p. 271; le *Mémorial*, l. c., col. 92; Voir aussi les discussions de l'art. 21 de la loi municipale française du 18 Juillet 1836. Cet article oblige les fabriques, à soumettre leurs comptes et budgets à l'avis des conseils municipaux, lorsqu'elles reçoivent des secours de la commune. Le rapport disait : « Nous tirons le principe de l'intervention du conseil municipal, de son concours à la dépense. Là où les fabriques suffisent à leurs charges... il n'y a aucune raison de faire intervenir le conseil municipal dans la gestion ordinaire d'un établissement qui a sa nature et ses règles particulières : » Soenens, o. c., p. 270.

avait eu des motifs, ajoute-t-il, pour ne pas attribuer cette surveillance aux conseils communaux, on aurait dû au moins la donner aux conseils provinciaux ».

M. de Theux, ministre de l'intérieur lui répondit: « Si l'on n'a pas compris les fabriques d'église parmi les établissements soumis à la surveillance des conseils communaux, c'est qu'elles sont sous l'empire du règlement du 30 Décembre 1809, qui est en pleine vigueur, malgré la loi communale ». (1) Ajoutons que, lors de la discussion de la loi de 1870, on n'a jamais invoqué les lois communale et provinciale pour prouver ce rapport de dépendance.

Nous sommes donc en droit de conclure que les fabriques d'églises n'ont pas le caractère d'administrations subordonnées à la commune ou à la province, que les attributions de ces autorités en matière de gestion fabricienne ne peuvent être étendues au delà des cas spécifiés par la loi et qu'en conséquence les articles 84, 110, 127 de la loi provinciale ne sont point applicables aux fabriques.

A. De Meester.

---

(1) Le *Mémorial*, 1880, T. VIII, nouv. sér., col. 152 ss.; T. IX, col. 91-92; Moulart, *o. c.*, p. 269, etc.

Ex S. Congregatione Concilii

De observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione.

—

(Sequitur. — Cfr. suprà, T. IX, p. 659 et seq.).

Partem alteram decreti, nunc interpretandam, in hunc finem esse directam jam notavimus, ut omne lucrum ac mercimonium cohiberetur ope missarum quocumque modo exercendum. Quamobrem S. Congregatio prohibet et, positis ponendis, severioribus pœnis prosequitur omnes missarum quæsitores vel hisce eleemosynas erogantes, necnon quosvis missarum stipendium imminuere aut immutare præsumentes, urgendo ut *integra* eleemosyna eaque in *specie propria* celebranti committatur, sublatis declarationibus et indultis quovis modo in contrarium unquam concessis. Et ita

Ad VIII/.

Pœnis in art. 12° determinandis stricte vetatur:

A/ missas *a fidelibus vel locis piis acceptas* a quocumque *tradi* bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui *missas requirunt,* non taxativē ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem;

B/ missas, *sic quæsitas ac traditas,* a dictis missarum quæsitoribus *acceptari.*

Quocirca nota 1°/ Pœnæ incurruntur à *tradente* missarum eleemosynas mercatori vel alii cuicumque missas *requirenti* ob alium finem quam ut per ipsum celebrentur, exceptis ab hac lege Episcopis et Prælatis regularibus, quibus, uti suprà vidimus, licitum est mis-

sas colligere pro respective subditis, quibusque proinde in hunc finem missas quærentibus nullo jure prohibitum est missas tradere.

Quousque autem, missas extra hanc exceptam hypothesim tradentes, prohibitioni ac pœnis latis obnoxii sint dicendi, hoc pendet ab ambitu vocis « missas *requirere* ». Jamvero, donec contrarium authentice doceamur, opinamur, ad analogiam dictorum sub art. 1°, a S. Congregatione solos intendi missas *ex industria* requirentes easque signanter sacerdotibus indiscriminatim distribuendas, adeo ut neque lex neque pœna in illos sit urgenda qui missas acceptas tradunt sacerdotibus qui, *occasione data*, missas postulant ad hoc a confratre missis indigente sollicitati. Aliis verbis non possumus admittere, quamvis obviam speciem verborum nobis non favere fateamur, sub lege cadere *quamcumque* missarum quæsitionem pro aliis factam, sed illam dumtaxat quæ *in usum est deducta et ex industria peracta*, puta in subsidium alicujus operis vel instituti.

Et revera huic soli applicantur verba decreti proxime sequentia : « constitit enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo ». Quis namque dicet de sacerdote, qui confratrem adeundo, copiam habentem missarum, ab eo missas petit pro tertio sacerdote, quem cognoscit ac probavit, et novit missis carere, quis, inquam, dicet hoc effici non posse nisi aliquod genus commercii agendo ?

Insuper *stricta* interpretatio, *quamcumque* reprobans missarum postulationem pro aliis, contradiceret, uti jam monuimus, praxi constanter ac universim in clero receptæ; quod eo magis foret inauditum quod in illa sententia non tantum damnaretur illa praxis sed severis puniretur pœnis (1).

---

(1) Notum est scilicet sacerdotes, occasione data, pro confratribus

Statim autem ac fit quæsitio ex industria et indeterminatim, S. Sedes *præsumit* id fieri vel ut aliquod genus commercii agatur vel ut lucrum capiatur ex stipendii imminutione; cæterùm vix aliter intelligitur hujusmodi quæsitio, signanter penes mercatores, qui facile conabuntur merces, libros, diaria tradere loco stipendii, vel saltem, spe missarum distribuendarum, sacerdotes allicient ut cauponam frequentent ac merces emant vel quoquo modo commercium promoveant.

Nec juvat prætextus boni operis præstandi, quatenus sic divulgentur bona diaria, egregii libri, aut quod lucrum ex illis capiendum cedat in sustinendum institutum vel opus, quantumvis eximium. Finis namque non justificat media, et malum reperitur in ipso abusu missarum, quarum ope commercium exercetur et lucrum obtinetur; cui abusui efficaciter cooperantur missas tradentes. Cf. decreta 1874 et 1893, II et III (1).

Porro si requiritur quæsitio ex industria peracta, parum refert quomodo peragatur, sive publicis propositis invitamentis sive non; quod vel ex hoc eruitur quod consultò omittitur vox *colligere*, uti inserebatur in præcedentibus circa hoc negotium decretis, quamque vocem multi applicabant solis postulationibus *publicis*, quemadmodum legimus in dubio proposito ab Episcopo Conversanensi, 24 Febr. 1894. Cf. N. R. th., XXVI, p. 365.

2°/ Attende in tenore restringi legem pœnalem ad

---

missas postulare a fidelibus acceptas, quibus abundat alius confrater; nec salvatur dicta praxis, si quæsitio in sensu stricto est sumenda, recurrendo ad explicationem quam proposuerunt, ad articulum 1m, nonnulli præsentis decreti commentatores, qui dictam quæsitionem permittunt posito consensu oblatorum: hæc namque solutio ad summum valet pro missis *directe a fidelibus sollicitatis*, sed pro missis a fidelibus acceptis, non videtur quomodo possent varii donatores hinc inde dispersi opportune consuli ac consensum præstare.

(1) Abstrahitur in hoc decreti articulo a periculo, de quo in priori parte decreti, ex hujusmodi praxi exurgente, retardationis vel et neglectus in missis exonerandis.

solas missas a fidelibus vel locis piis *acceptas,* ac proinde pœnis non subjici fideles, qui bibliopolis vel aliis missarum quæsitoribus missas *directe* tradunt, etiamsi noverint eleemosynas in subsidium commercii fore usurpandas.

3°/ Incurrunt pœnas ecclesiasticas non modò illi qui missas a fidelibus acceptas tradunt præfatis quæsitoribus, qua talibus notis, sed etiam ipsi, quibus traduntur, *missarum quæsitores*, qui pœnas incurrunt ipso facto quo missas *dicto modo requisitas acceptant.*

4°/ Missarum traditio vel acceptatio reprobatur et pœnis plectitur, cujuscumque generis sint illi missarum quæsitores, sive mercatores sint vel non, sive laici sint vel ecclesiastici viri; qua amplitudine jam intelligenda fuisse decreta 1874 et 1893, propugnat Bucceroni apud *Analecta eccles.*, 1896, p. 374. Cf. etiam Hollweck, *Die kirchlichen Strafgesetze*, Mainz, 1899, ad § 126, nota 1.

Ad IX/.

Uti sub art. 8° ipsa monet S. Congregatio, totis viribus conatur duplicem in hac re præcavere abusum, commercii nempe exercitium ac stipendii imminutionem; contra quem utrumque abusum, præter statuta sub art. præcedente, magis directe agit hîc, decernens, in missarum translationibus, stipendium missæ erogandum esse *integrum* ac intruncatum, et insuper *in specie propria* remittendum absque immutatione, « sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis, sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma, vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis ».

Nunc autem generali formula reprobatis et pœnis constrictis stipendii imminutione necnon et immutatione, in articulis sequentibus præcipuæ indicantur applicationes concretæ, ex quibus etiam clarius determinatur quousque uterque abusus, et signanter eleemosynæ immutatio, statutis pœnis obnoxius sit declarandus. Nimirum

Ad X/.

Proscribitur et condignis pœnis cohibetur praxis libros aliasve quaslibet res vendendi vel emendi, ac associationes (abonnements) cum diariis et ephemeridibus ineundi ope missarum. Circa quod *nota:*

1°/ Rursus, uti eruitur ex tenore art. 9[1] ac hujus connexione cum art. 8°, non applicatur hoc statutum nisi missis *a fidelibus vel locis piis acceptis*, sive manualibus sive ad instar manualium ; et ita non attingitur a lege bibliopola vel mercator missam postulans celebrandam a sacerdote, eique loco stipendii tradens librum vel mercem qualemcumque, nec pariter inquietandus est sacerdos dictam mercem accipiens.

2°/ Dicitur « *vendere et emere* », adeo ut non vetetur nisi sola immutatio *negotiatoria,* nec sensu absoluto sit intelligenda præscriptio stipendium transmittendi in propria specie. Et ita v. gr. si sacerdos, qui, in gratiam confratris, libros emerit apud bibliopolam, dicto confratri missas tradit exonerandas, non prohibetur quominus loco stipendii emptos libros mittat pretio correspondentes.

3°/ Ne lex eludatur, decernitur prohiberi non tantùm pactum circa missas *celebrandas,* ut loco stipendii aliud erogetur, quem solum casum spectabat decretum 1893, sed etiam circa *celebratas*, adeo ut, missis absque ulla conventione traditis celebrandis, non liceat, *post earum celebrationem,* pacisci de libris vel aliis rebus pro eleemosyna erogandis ; restringitur tamen hæc *altera* prohibitio (1) ad casum quo *habitualiter* peragatur hujusmodi transactio *et in subsidium alicujus commercii vergat* (2).

---

(1) Restrictio nempe in tenore apposita circa frequentiam et subsidium commercii, non afficit *priorem* articuli partem, agentem de missis *celebrandis:* circa quas, absque restrictione, proscribitur transactio dicto sensu negotiatoria.

(2) Decretum 1874 *negative* solverat dubium sub n. VI positum et in decreto 1893 omissum: « an illicite agant ii qui pro missis *celebratis* recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie. »

4°/ Præfatæ transactiones uti omnino illicitæ et statutis pœnis obnoxiæ sunt habendæ, nec, juxta jam dicta in interpretando articulo 8°, cohonestari possunt ex eo quod, nulla facta imminutione, tot missæ celebrandæ committuntur, quot eleemosynis correspondeant, vel quod lucrum, ex mercium cum eleemosyna permutatione hauriendum, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur. Decr. 1874 et 1893, ad II et III.

5°/ Adverte easdem transactiones proscribi et pœnis plecti *etiam seposita omni missarum collectione*, et supposita hypothesi quod agatur de viris ecclesiasticis transmutantibus intentiones missarum *sponte oblatas* a fidelibus.

Qua ratione omnis aditus præcluditur controversiæ hucusque vigenti circa quæstionem, utrum scilicet, attento decreto *Vigilanti,* illicita fuerit ac pœnis obnoxia agendi ratio illorum qui, « cum non sint bibliopolæ nec mercatores, vel aliter missarum celebrandarum quæsitores, verum ecclesiastici viri, quibus sponte a fidelibus missarum celebrandarum eleemosynæ traduntur, quique... eas celebrandas offerunt sacerdotibus ut inde ii accipiant stipendii loco libros vel ephemerides » (1). Cf. N. R. th., XXV, p. 359.

---

(1) Nimirum non defuerunt in hunc sensum interpretantes decretum *Vigilanti* (pœnis prosequens violatores decreti 1874) ut solos attingeret illos qui simul missas colligebant et stipendia in merces permutabant ad exclusionem illorum qui absque ulla collectione missas sponte a fidelibus oblatas usurpabant ad libros vel diaria vendenda. Ita præ cæteris N. R. th., XXV, p. 354 et seq.

Cui interpretationi non parum favere videbantur, præter tenorem ipsius decreti 1893, solutiones latæ a S. C. C. die 24 Aprilis 1875, modò partim relatæ et fuse expositæ apud N. R. th., VIII, p. 19-30, necnon responsum S. Pœnit. 6 Oct. 1862, apud N. R. th., XXV, p. 358-359; quæ resolutiones speciem præ se ferunt declarationis, non autem indulti vel privilegii.

Atvero decisio S. C. C., diei 24 Febr. 1894 in dubio proposito ab Episcopo Premisliensi (quam decisionem una cum Voto Consultoris

Absolute igitur vetita est et pœnis ecclesiasticis sancita quæcumque stipendii permutatio dicto modo instituta, etiam servatis cautelis in decretis 1862 et 1875 indicatis; abrogata etiam sunt et penitus sublata quæcumque indulta, privilegia ac declarationes in contrarium.

Unica tantum apponitur restrictio, in art. 14°, quatenus scil., « ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope missarum jam initæ *usque ad exitum anni a quo institutæ sunt* protrahantur ».

Ad XI/.

Sub hoc articulo *præcipua applicatio* proponitur generalis prohibitionis articulo 10° inductæ contra imminutionem stipendii in translatione missarum, nullatenus vero restrictio apponitur dictæ prohibitioni, quasi soli detractioni stipendii in gratiam sanctuarii applicanda forent censuræ inferius latæ.

Manet nimirum in tota sua amplitudine, idque sub pœnæ comminatione, strictum mandatum ut missæ eleemosyna *per se* ex integro celebranti erogetur.

---

videsis apud N. R. th., XXVI, p. 362 et seq.), jam proponere videtur resolutiones anni 1862 et 1875 uti concessiones particulares et indulta; in quem sensum pariter loquitur *Epistola Circularis S. C. C. ad Ordinarios Italiæ*, 28 Aug. 1877 (*Analecta ecclesias.*, 1897, p. 451), in cujus epistolæ fine legimus: « meminerint quod si hæc Congregatio quadam benignitate usa est, *in casibus determinatis*, ut facilius clerus nomen det certis catholicis ephemeridibus benemeritis, quoad existentiam, durationem et modum *indultorum* hujusmodi quisque ad Ordinarium se referat, secus in se assumet quæcumque etiam in hoc speciali casu ex violata lege cuique obvenire possunt ».

Quodsi per modum indulti datæ fuerint præfatæ resolutiones, jam non possunt, post decretum *Vigilanti*, invocari ut juxta illas conformetur praxis generalis cum anno 1893 revocata fuerint omnia privilegia et indulta. Cf. etiam Hollweck, l. cit., nota 11, ubi decreto 1893 prohibitam docet stipendii permutationem etiam absque collectione missarum eamque tamen subtrahit pœnis ibidem statutis: « Uebrigens scheint mir für eine solche praxis der eintritt der censuren nicht behauptet werden zu können, weil sie doch nicht van wortlaut sicher getroffen ist. Sie ist einfachhin verboten » Item Santi-Leitner, op. cit., l. V, n. 66, p. 48-49. Cf. etiam *Collat. Brug.*, IV, p. 344-345 cum nota.

Quod principium ut melius intelligatur, nota

1°/ Non semel hanc obligationem inculcavit S. Sedes sacerdoti missas transmittenti.

Imprimis Urbanus VIII, in jam laudato decreto *Cum Sæpe* (1), anni 1625, ac in declarationibus eodem anno a S. C. C. datis et a Pontifice speciali approbatione munitis (2). Accessit Alexander VII, damnans propositionem : « potest sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta » (R. th. fr., 1896, p. 359); sub Ejusdem autem Pontificatu latum est decretum S. C. C., urgens illam obligationem etiam « quando sacerdos, cui celebratio cum minori eleemosyna commissa est, non ignorat majorem primo sacerdoti tributam fuisse, et nihilominus ipse contentus est minori, intelligens alioquin ab eo primo sacerdote celebrationem sibi non committendam » ; quod adhuc clarius enuntiavit Bened. XIV, in Constit. *Quanta circa*, 30 Junii 1741, ubi eamdem legem tuetur « etsi eidem sacerdoti missam celebranti et consentienti se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset ». Ibidem, p. 360.

Quam prohibitionem stipendii imminuendi adeo severe vindicat S. Sedes ut, nisi in casu peculiaris indigentiæ, nequidem permiserit « ut ecclesiæ, aut loca pia, aut illorum administratores, ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum quas subeunt in missarum celebratione » (3).

---

(1) « Prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat », paragr. 5ª.

(2) Sacerdotes « debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse » ad dubium X.

(3) Declarationes S. C. C. 1625, ad 7, apud Gasparri, op. cit., II, p. 442.

Pariter non legitimatur stipendii ex parte rententio, ex eo quod pars retenta stipendio ordinario major cedat in beneficium boni operis vel sanctuarii, uti clare deducitur ex decretis S. C. C. 20 Aug. 1860 et 19 Jan. 1869, relatis apud R. th. fr., 1896, p. 361-362, necnon ex decretis 1874 et 1893, ad VII (1), et signanter ex articulo 11° præsentis decreti *Ut debita,* in quo, ad tramites decreti 1893, pœnalitates inducuntur contra memoratæ disciplinæ violatores.

Tandem peculiari severitate prosecuta est Ecclesia lucrum captantes ex imminutione stipendii, missas collectas faciendo celebrare in locis ubi minora stipendia sunt in usu: de quo abusu cfr. dicenda ad art. 13m.

2°/ Pro determinatione stipendii: vel agitur de missa *manuali,* et tunc tradenda est ipsa eleemosyna a fideli vel testatore oblata; vel agitur de missis *ad instar manualium,* et tunc si *beneficiis* sunt *adnexæ,* quarum exoneratio, absque determinato stipendio, incumbit beneficiario, danda est taxa synodalis statuta vel probata ab Episcopo loci in quo beneficia sunt erecta; si autem sunt *in aliqua ecclesia fundatæ,* eroganda est eleemosyna quæ in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata.

3°/ Dictum est *per se,* quia in jure admittuntur casus nonnulli in quibus stipendium non est *ex integro* celebranti tradendum. Nimirum

a/ stipendii pars retineri potest a missam transmittente quando ipse celebrans liberaliter et *omnino sponte* (2) cedit partem stipendii oblati.

b/ item si pars retenta locum tenet *congruæ pastoralis,*

---

(1) Ibi declaratur Episcopum, absque consensu oblatorum vel indulto speciali, non posse ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere ut eorum decori et ornamento consulatur ».

(2) Cf. S. Alph., l. VI, n. 321, ubi insistitur in necessitate liberæ et *omnino spontaneæ* cessionis, propter modo citatas (sub 1°) declarationes authenticas, signanter Bened. XIV.

quemadmodum passim contingit in Belgio pro missis exequialibus et nuptialibus; quod jus authentice agnovit S. C. C. in decreto lato in causa *Monacen.*, 25 Julii 1875, quod decretum hic memoratur: licitum nempe esse parocho, declarant Eminent. PP. « si per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro missis lectis sive cantatis », ratione etiam habita horæ, juxta tariffum ab Episcopo probatum (1).

c/ Anno 1898, 21 Jan., a S. C. C. declaratum est, in *Hildesien.*, « in legatis missarum aliqua in ecclesia fundatis retineri posse *favore ministrorum et ecclesiarum inservientium*, eam redituum portionem quæ in limine fundationis, vel alio legitimo modo, ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali præstando pro legati adimplemento ».

d/ Non vetatur tandem partem eleemosynæ retineri quando *morali certitudine* constat excessum eleemosynæ oblatum fuisse *intuitu personæ,* cujus curæ missa est tradita. Quod eruitur ex decreto in causa *Colonien.* (N. R. th., VI, p. 470 et seq. et p. 571), in cujus causæ Voto Consultor S. Congr. monuit quod « hæc fidelium intentio non ita facile est præsumenda; sed vel expressa esse debet, vel ex indiciis non æquivocis, quæ *moralem certitudinem* pariant, eruenda est. Nam stipendium

(1) Cf. N. R. th., VI, pp. 352-364, 470-479 et 571-572; et R. th. fr., 1896, p. 365-366, ubi notatur: « En certains pays les Evêques ont assigné des honoraires plus elevés au messes de sépulture ou de mariage, non pas seulement à cause de la célébration de la messe, mais *ratione officii parochialis*; on y considère le surplus de l'honoraire comme faisant partie du traitement du curé, ou au moins comme constituant *un droit d'étole* extrinsèque à la célébration et revenant au curé propter officia parochiali beneficio inhærentia. Il n'en est point ainsi en France: l'honoraire des messes de sépulture ou de mariage n'est autre que l'honoraire de la messe, élevé *ratione cantus, horæ insolitæ, laboris extraordinarii;* il appartient par conséquent au prêtre qui célèbre, et le *droit curial* est taxé et se perçoit à part. En Belgique, au contraire, l'élévation de l'honoraire de ces messes vient du droit d'étole, et le curé a, de ce chef, un droit extrinsèque à la célébration du saint sacrifice ».

missarum natura sua ad fructus sacrificii obtinendos tendit ».

Quæ æque valent de casu quo pinguior eleemosyna censetur data *intuitu sanctuarii* alicujus celebrioris, puta ut ejus decori et ornamento provideatur; licet scilicet excessum in hunc finem retinere si morali certitudine constat *de consensu oblatorum*, quemadmodum respondit S. C. C. in sæpe laudatis decretis 1874 et 1893, ad VII.

Quodsi in præsenti decreto *Ut debita* jam non occurrit illa restrictio (de consensu oblatorum) ad prohibitionem aliquid detrahendi in gratiam sanctuariorum, monet Boudinhon, *Canon. Contemp.*, 1904, p. 466: « Remarquer que le texte actuel ne contient plus la clause » : « nisi de consensu oblatorum », « qui figurait dans le décret *Vigilanti*, non pas qu'elle soit directement revoquée, mais elle se vérifie de moins en moins », eo vel magis quod tot alia præsto sint media succurrendi indigentiæ sanctuarii ejusque decus promovendum.

4°/ Hisce salvis restrictionibus, nullatenus licet impunè partem stipendii retinere, signanter in beneficium sanctuarii, *nisi de speciali S. Sedis venia*, eaque *de novo* concedenda: omnia enim indulta hucusque quocumque nomine collata (1), irrita sunt et sublata, nisi quod, titulo provisorio, indulgeatur, sub articulo 14°/, « ut indulta reductionis eleemosynæ missarum, quæ in beneficium sanctuariorum aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum (31 Dec. 1904) vigeant ».

Porro non est desperandum de renovatione indulti

---

(1) Hujusmodi indulta existebant in gratiam sanctuarii *Lapurdani* et *Lugdunensis* (Notre Dame de Fourvières, quæ indulta referuntur apud R. th. fr, 1897, p. 111-112, ubi notatur: « A Lourdes, la partie de l'honoraire retenue est appliquée soit au sanctuaire lui-même, soit aux séminaires et collèges diocésains. A Fourvières, elle sert à compléter le traitement des chapelains de la cathédrale, et surtout aux dépenses du culte dans le sanctuaire lui même, ou à la sustentation des pénitenciers et des frères qui en ont soin ».

obtinenda, ast non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate et cum debitis et opportunis cautelis.

Ad XII et XIII.

Sub hoc duplici articulo

A/ Tuetur S. Congr. excommunicationem latæ sententiæ S. Pontifici reservatam in Constit. *Apostolicæ Sedis* comminatam contra « colligentes eleemosynas majoris pretii, et ex eis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent », et declaratur huic legi et sanctioni per præsens decretum nihil esse detractum ».

Olim jam Bened. XIV, in Constit., *Quanta Cura* (Bullarium Ben. XIV, edit Mechl., vol. 1, p. 112 et seq.), pœnis prosecutus est (excommunicatione laicum et suspensione sacerdotem) illum qui « stipendia majoris pretii pro missis celebrandis... colligens, missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit ».

Porro ex omissione verborum « *sive ibidem sive alibi* » in tenore Constit. *Apost. Sedis,* nonnulli deduxerunt censuram effugi ab illis qui collectas missas celebrari faciunt pro minori pretio *in ipso eodem loco* ubi collegerunt (1) ; quam deductionem rejecit C. S. O., die 13 Jan. 1892, apud N. R. th., XXIV, p. 170-174 (2).

Neque licet missas transmittenti de una regione ad aliam *cambii lucrum* retinere ex permutatione monetæ exoriens ; quod declaravit S. C. C., die 21 Nov. 1898, in responso ad dubium circa modum agendi Titii, sacerdotis hispani, qui « occasionem favorabilem nactus missarum eleemosynas haud exiguo numero in Lusitania

(1) N. R. th., IX, p. 484.

(2) Ad quæstionem: « Utrum colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, si eas celebrari faciunt in eodem loco ubi colligerunt, pro minori pretio, hanc censuram incurrant necne? », responsum est : « affirmative ad 1m partem, negative ad 2m ».

colligendi, stipendium in moneta Lusitana recipit in hispanam permutandam, ex quo 35, imo et 40 pro centum lucratur. Missas autem celebrandas committit sacerdotibus hispanis, quibus proinde ipsummet stipendium solvit, sibi ipsi cambii lucrum retinens »; non dicit tamen S. Congr. utrum sacerdos, de quo in dubio, incurrat excommunicationem Constit. *Apost. Sedis*, sed recurrendum respondit in casibus particularibus.

Addit autem P. Vermeersch, l. c., p. 50, quod possunt retineri impensæ factæ in transmittendis missis, v. gr. pro vectura litterarum vel pecuniæ.

Circa ulteriorem autem hujus delicti et censuræ interpretationem Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jus Canon.*, II, n. 1463; Bucceroni, *Comment. de censuris*, p. 105-106; Leinz, *Die simonie*, Freiburg, 1902, p. 149-155; Hollweck, op. cit., par. 125.

B/ Renovantur, sub art. 12°, censuræ in decreto *Vigilanti* latæ et urgentur contra quemcumque qui « statuta in præcedentibus articulis 8, 9, 10 et 11 quomodolibet aut quovis prætextu perfringere ausus fuerit »: nimirum, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subjacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latæ sententiæ Episcopo reservata obstringetur ».

Quocirca adverte:

1°/ Juxta articulorum præcedentium interpretationem, enumeratis pœnis respective obnoxii sunt a/ missarum quæsitores missas a fidelibus acceptas quærentes et acceptantes; b/ missas a fidelibus acceptas hujusmodi quæsitoribus tradentes; c/ merces dantes pro missis a fidelibus acceptis *celebrandis*, vel etiam *celebratis*, si hoc frequenter fit in beneficium alicujus commercii; d/ merces hac ratione oblatas acceptantes; e/ extra casum, quem afficit art. 13° et de quo sub A, stipendii

partem retinentes absque indulto et seposita causa legitima.

Quibus attentis facile apparet in quo moderata est disciplina pœnalis anterior, quæ mutatio potissimum afficit abusus reprobatos sub a/ et c/. Nimirum sub œconomia decreti *Vigilanti* — non incurrebant censuram missarum quæsitores ipso facto quod missas quæsitas acceptabant sed tunc tantum quando eas in merces permutabant; — permutantes stipendia cum mercibus probabilius non incurrebant censuras, uti notavimus, nisi simul missas collegerint. — Tandem strictius et universalius prohibetur et punitur stipendii imminutio.

2°/ Ad censuram incurrendam præsupponitur scientia legis et pœnæ, adeo ut, attentis formulis in decreto usitatis (scienter, ausus fuerit), a censura excuset ignorantia etiam crassa et supina. Cf. *Collat.*, IV, p. 38.

Requiritur etiam *gravitas* delicti objectiva, et ita pro censuris incurrendis ratione delicti reprobati sub 1°/ ad a/ et b/, postulatur acceptatio vel traditio *plurium* missarum; item, ut grave sit delictum, de quo sub c/ et d/, plures requiruntur permutandæ missæ, licet minor numerus sufficiat, cum major sit abusus in immutatione quam in quæsitione et traditione missarum; pro imminutione stipendii illicita, ad grave peccatum profecto sufficit quod partes detractæ quantitatem attingant quæ ad furtum grave absolute requiritur, uti docet P. Vermeersch, l. c., p. 50, imo nescio utrum tanta detractio esset necessaria cum inordinationis gravitas non parum videatur augeri ex eo quod injustum lucrum *ex missis* capiatur.

3°/ Sacerdos (sicut et clericus non sacerdos) delinquens suspenditur *a divinis,* seu *usu* privatur omnium actuum *officii clericalis* (1), relicto *usu jurisdictionis;*

(1) Hollweck, l. c., nota (8) restringit pro sacerdote pœnam suspensionis ad privationem usus *sacerdotalium.*

insuper clericus sacerdotio inferior incurrit *irregularitatem*, i. e. inhabilis redditur ad altiores ordines *licite* suscipiendos; laici ipso facto excommunicationi obnoxii sunt majori, *Ordinario* reservatæ.

Nota. Articuli 14 et 15 in decursu commentarii fuerunt explicati et jam non restat nisi ut monitum finale addatur ad calcem decreti positum: Ordinariorum nempe esse « vigilare super plena et omnimoda executione præsentis decreti ».

A. De Smet.

Le liber memorialis

des églises du diocèse de Bruges.

(Voir plus haut T. IX, p. 458 ss.)

—

QUESTIONNAIRE-PROGRAMME

POUR LE REGISTRE DES FAITS CONTEMPORAINS.

—

Observations.

I. Notre but n'est en aucune façon de dresser un formulaire *ne varietur*, qu'il faille suivre servilement et auquel il suffise de répondre par un oui ou un non tout court ou un bout de phrase incomplète. Pour chaque paroisse, il contiendra des lacunes que le rédacteur voudra bien combler, et des questions inutiles qu'il n'y aura pas lieu de traiter.

Nous avons cherché à formuler un programme-guide, destiné à faciliter le travail des rédacteurs. C'est dans ce but que nous sommes entré dans beaucoup de détails et que nous avons admis beaucoup de divisions et de subdivisions portant des numéros d'ordre. Qu'il nous soit permis d'insister auprès de MM. les Curés pour *qu'ils suivent l'ordre indiqué en reproduisant les numéros.* A ce prix seulement on peut arriver à une certaine uniformité, sans laquelle les recherches générales deviennent d'une extrême difficulté.

Il y aura des divisions pour la rédaction desquelles les données ou les connaissances techniques feront peut-être défaut: qu'on en diffère la composition en laissant en blanc le nombre de pages qu'on jugera nécessaires au développement des parties omises, et qu'on commence par rédiger les subdivisions suivantes en les classant sous leur rubrique spéciale et avec leur

numéro correspondant. — Certaines questions sont répétées sous des rubriques différentes : le rédacteur les traitera, d'après ses préférences, sous tel ou tel des numéros indiqués. — Il arrivera que des faits qui se rapportent à l'histoire spéciale demandent des développements plus longs qu'on ne l'avait prévu : on pourra les indiquer d'un mot sous leur rubrique propre, avec un renvoi à telle année des *annales*, où la question sera traitée au complet.

Les *quelques* noms de localités ou indications bibliographiques que nous avons ajoutés par-ci par-là, ne sont donnés qu'à titre d'exemples, choisis entre une foule d'autres qui mériteraient d'être signalés et qui ne manqueront pas d'être enregistrés dans les livres mémoriaux.

II. Nous nous permettons de prier instamment MM. les rédacteurs :

1° de n'écrire que sur un seul côté de chaque feuillet : ainsi on pourra compléter, au besoin corriger plus tard ;

2° de laisser une bonne marge : on y inscrira en manchettes l'objet ou le sommaire du texte (1) ;

3° de laisser, après chaque subdivision de la partie spéciale, un espace blanc plus ou moins considérable, afin de pouvoir tenir le registre à jour pendant un certain nombre d'années. La nature des questions à traiter permettra généralement de conjecturer s'il y aura beaucoup ou peu d'ajoutes à faire ;

4° de ne pas omettre, le cas échéant, l'indication précise des sources auxquelles on a puisé (2) ;

5° de ne pas négliger la documentation moderne si facile et si intéressante dont nous avons traité plus haut (3) : certaines pièces seraient le mieux collées dans

(1) Voir *Coll. Brug.*, t. IX, p. 461.
(2) Voir *Coll. Brug.*, t. IX, pp. 52 et 265.
(3) Voir *Coll. Brug.*, t. IX, p. 52.

le texte ; d'autres pourraient être réunies dans un portefeuille ou carton spécial : on éviterait ainsi de grossir démesurément le volume.

PRÉLIMINAIRES.

—

Chap. I. — Travaux et sources (1).

1. Index bibliographique de tous les ouvrages *imprimés* anciens ou modernes consacrés, en tout ou en partie, à l'étude de la paroisse dans son ensemble ou dans une de ses particularités (prénoms et nom d'auteur, titre exact, lieu d'impression, imprimeur-éditeur, date, tomaison, format, nombre de pages). — Apprécier si c'est possible, ou indiquer les notices bibliographiques ou comptes rendus qui s'y rapportent.

2. Documents *inédits*. Où se trouvent les archives de la fabrique d'église ? Dans quel état sont-elles ? Y a-t-il un inventaire quelconque ?

Y conserve-t-on des mémoires, chroniques, annales sur l'histoire de la paroisse ? Un ancien « dagboek » ou liber memorialis ?

Y a-t-il d'anciens documents sur parchemin, chartes, bulles papales ou brefs pontificaux ? A quelle époque remontent-ils ? Anciens cartulaires, terriers, livres liturgiques, calendriers annotés ?

Dresser la liste, avec indication de dates, des divers registres : comptes de la fabrique ou de la table des pauvres, de la table du Saint-Esprit ; registres aux délibérations ; registres de baptême, confirmation, mariage ou décès, des recensements, des visites décanales, des confréries, du « jaargebed », de la proclamation des services religieux, etc.

---

(1) Voir *Coll. Brug.*, t. IX, p. 265 ss.

Chap. II. — Généralités sur la paroisse.

3. Le *nom* : forme littéraire, populaire (1); transformations successives avec indication des documents où on trouve les formes les plus anciennes (2); étymologie, signification et raison d'être du nom : indiquer les diverses opinions.

Situation géographique de la paroisse et de sa dépendance au point de vue religieux (doyenné) et civil (canton, arrondissement).

Description générale et sommaire dans laquelle on peut faire ressortir les principales particularités et l'importance de la paroisse à différents points de vue. On pourrait donner ici la *topographie* (cours d'eau, collines, marais, forêts, etc.) et la *toponymie* (noms anciens et curieux des *lieux dits :* hameaux, rues, fermes, ruisseaux, pièces de terre, etc.: Waterdam, Kapelhoek, Prioriehofstee, Tempelhof, Paddebeke, Galgestuk, Peerdenkerkhof).

PREMIÈRE SECTION. — HISTOIRE SPÉCIALE.

—

Chap. I. — Le temporel.

§ 1. L'église et ses dépendances (3).

4. *Plan terrier* de l'église. Quelle en est la forme : une, deux ou trois nefs, avec ou sans transept? Quelles

---

(1) Ex : Ingoyghem = Yveghem ; Gyselbrechteghem = Gryseloke.

(2) Ex : Ledingchem (charte de 1114 au Cartulaire de Zonnebeke, n. 6), Ledinghem, Ledingem (XVIe siècle, ibidem) Ledeghem, Leeghem.

(3) On pourra trouver tous les renseignements nécessaires à la rédaction de cette première partie dans : Chan. Reusens, *Éléments d'archéologie chrétienne*, 2 vol., Louvain, Ch. Peeters 1885, in-8° ; Id. *Manuel d'archéologie chrétienne*, Louvain, Ch. Peeters, 1886, in-8°. On peut consulter sur cette matière : Alf Van Houcke, *Grondbeginselen van de geschiedenis der bouwkunst*, I^e d. : heidensche bouwkunst ; IIe deel : christene bouwkunst, Leuven, K. Peeters, 1902-1903, in-8°. [Uitgave van het Davidsfonds] ; James Weale, *Les églises du doyenné de Dixmude*, 2 vol. Bruges, A. Dezut-

en sont les diverses dimensions? Comment l'église est-elle orientée? Où est-elle située? Le chœur se termine-t-il en hémicycle, en ligne droite, à trois, quatre (1) ou cinq pans coupés? Est-il entouré d'un déambulatoire? Y a-t-il des chapelles absidales? quel est leur nombre, leur forme? Quelle est la forme du portail? Existe-t-il des traces de porche (p. ex. à Thourout) (2)? Y a-t-il des chapelles ou autres bâtisses ajoutées en hors-d'œuvre à la construction principale (p. ex. fonts baptismaux)? Y a-t-il une crypte?

Joindre un plan, si c'est possible.

5. *Extérieur*. Quels sont les *matériaux* de construction des fondations et des diverses parties: briques ordinaires, rouges ou jaunâtres, anciennes, « moefen »; pierre blanche, bleue, etc. de Tournai (3), d'Écaussines, de la Meuse, du pays (veldsteen). — Signaler les appareils ou modes de construction remarquables (4).

Quel est le *style* des diverses parties: roman, ogival primaire, ou à lancettes, secondaire ou rayonnant, tertiaire ou flamboyant, renaissance.

Quel est l'âge des diverses parties? Comment le déterminer: d'après le style, par des inscriptions ou des documents? Lesquels? Connaît-on les architectes des diverses parties?

Y a-t-il des contreforts sur plan rectangulaire ou triangulaire, avec ou sans retraits sur une ou trois faces, se terminant par un pinacle ou un amortissement

---

tere, in-8°; F. Van de Putte, *La vallée de l'Iser: ses églises et objets d'art* [*Annales de l'Émulation*, t. XIX (1867), p. 89-113]; C. V. S. D. *Description des églises détruites par des inondations ou ravagées par le gueux dans le Franc de Bruges*, d'après un ms flamand de 1679 [*Annales de l'Émulation*, t. XIX (1867), p. 121-134].

(1) Disposition extraordinaire qu'on observe p. ex. à Vive-Saint-Éloi.

(2) Bon Bethune, *Souvenirs archéologiques de la West-Flandre: Église de Thourout*, [*Rev. de l'art chrétien*, 1900, p. 319-331].

(3) Par ex. à Messines. Vr Bon Bethune, *L'église de Messines*, [*Revue de l'art chrétien*, 1901, pp. 193-194].

(4) Par ex. l'appareil en arête de poisson, à Passchendaele.

à un ou deux versants? S'il y a des arcs-boutants, ont-ils servi à l'écoulement des eaux pluviales? Y a-t-il des gargouilles, des balustrades ou garde-corps à la base des combles? des corniches ornées? Indiquer le caractère architectural de ces parties.

Y a-t-il à l'extérieur des niches, des statues, des calvaires, des inscriptions dédicatoires, des pierres commémoratives, des épitaphes, des dates, des écussons?

Le toit est-il unique ou triple? celui des nefs latérales est-il à un ou à deux versants?

Les portes ont-elles des pentures ou des serrures anciennes? Y a-t-il un trumeau? Quelle est l'ornementation du tympan, de l'archivolte des arcs, du gable extérieur?

Comment est réglé ou pratiqué l'affichage sur les murs de l'église?

6. *Intérieur*. — Pavement. — Hauteur. — Colonnes: nombre; en briques ou pierres? Forme: carrées, cylindriques, cruciformes, en faisceau de colonnettes avec ou sans nervures? Base: griffes ou ornements particuliers? Chapiteaux: simples moulures, volutes, feuilles d'acanthe, une ou deux rangées de crochets ou de feuillages, écussons armoriés, têtes ou scènes historiées?

Fenêtres: nombre; forme actuelle: en plein cintre, ogive, arc surbaissé; un ou plusieurs meneaux surmontés de trèfles, de quatre-feuilles, de roses ou ornements flamboyants? N'ont-elles pas été murées ou transformées? — Y a-t-il des vitraux coloriés? quels sujets représentent-ils? portent-ils des inscriptions commémoratives; armoiries, etc.? quel en est l'artiste, la date, le donateur?

Voûtes: sont-elles en plein cintre ou à ogives, à nervures simples ou compliquées, avec ou sans sculptures et clefs de voûte ornées? Sont-elles en briques, pierres, plâtre ou bois? s'il y a un plafond, ne cache-t-il pas une voûte plus ancienne en bardeaux ou une char-

pente ornée? si la charpente est apparente, est-elle peinte ou sculptée? Les murs sont-ils peints à l'huile, à la colle, au blanc fixe, au mattolin? depuis quand? par qui? peinture décorative ou à sujets: quels sujets? Le badigeon ne recouvre-t-il pas une peinture ancienne? Croix de consécration.

Décrire les pierres ou plaques commémoratives ou tombales, bas-reliefs, etc. encastrés dans le mur.

7. *Tour.* — Située à l'entrée, à la croix du transept, sur le flanc? Sa hauteur; sa forme: carrée, octogone, avec ou sans petites tourelles, se terminant en plate-forme, en flèche à quatre ou huit versants, en poire? Forme des baies, des contreforts de la tour.

Y a-t-il une horloge? depuis quand? qui l'a placée, la commune ou la fabrique? Qui fait les frais d'entretien et de réparation? Qui nomme et paie l'employé préposé au soin de l'horloge?

8. *Cloches.* — Nombre, poids, tonalité. Relever exactement les inscriptions des cloches. Age, fondeur, donateur: est-ce la fabrique ou la commune qui les a fournies?

Par où a-t-on accès au clocher: par l'église, le cimetière, directement de la rue? Les sonneurs reçoivent-ils une gratification de la commune?

Y a-t-il des usages existants quant à la sonnerie pour festivités profanes? Manières spéciales de sonner (ex: weenen).

9. *Sacristie.* — Nombre, dimensions, situation et principaux meubles des sacristies.

10. *Vases sacrés.* — Ostensoirs, calices, ciboires, pyxides: nombre, matière. Signaler spécialement ceux qui sont remarquables par l'antiquité, la richesse ou la valeur artistique: de quelle époque? Y a-t-il des inscriptions, armoiries ou marques d'orfèvres?

11. Remarquables ou anciens vases aux saintes huiles, burettes, aiguières ou aquamaniles, encensoirs, navettes à encens, plats d'offrande (Vlisseghem), béni-

tiers, instruments de paix (Leke); couronnes, colliers, bijoux ou guirlandes de la Vierge; croix d'autel ou de procession (Beveren); moules ou fers à hosties; enseignes et médailles de pèlerinage; livres liturgiques, couvertures d'évangéliaire.

12. *Ornements sacerdotaux* riches ou anciens; billes ou mors de chape; antipendiums ou autres garnitures d'autel; vêtements de statues habillées; tapisseries; dentelles.

13. *Reliques et reliquaires.* — Énumérer les diverses reliques avec leurs lettres authentiques. Copier au moins dans celles-ci la date, l'autorité d'où elles émanent et la description des signes d'authenticité. — Reliquaires anciens ou remarquables: en forme de croix, buste, bras, statuette, monstrance; châsses en bois ou métal.

14. *Grand mobilier de l'église.*

Autels: nombre, emplacement, vocables, consécration (fixes ou portatifs), autels privilégiés (lettres de concession), autels mobiles (p. ex. pour mois de Mai, Juin), matière, statues, bas- ou haut-reliefs, peintures remarquables. — Tabernacle, anciennes tourelles eucharistiques (1) ou armoires ayant servi à la réserve eucharistique. — Lampes ou couronnes de lumière.

15. Grilles ou clôtures du chœur ou des chapelles latérales; croix triomphale ou vestiges; banc de communion.

Sièges de chœur, stalles du chœur, des marguilliers, des maîtres des pauvres; boiseries de l'église; confessionaux; chaire de vérité; jubé et orgues (emplacement, facteur, buffet).

Fonts baptismaux ou bénitiers anciens ou remarquables, en pierre ou cuivre (2).

---

(1) Voir E. Rembry, *De bekende pastors van Sint-Gillis te Brugge*, Brugge, De Scheemaecker, 1890-96, bl. XXVIII, nota 5.

(2) Voir sur Zarren: J. Weale, *Les églises du doyenné de Dixmude*; sur Zillebeke: *Annales de l'Émulation*, 1847, p. 63; sur Lichtervelde, Zedelghem, etc.: *Revue de l'art chrétien*, 1895, p. 308 ss.

Tombeaux: apparents (Coolscamp); pierres tombales ou tombes plates en cuivre avec figures ou inscriptions: en donner la forme, la grandeur avec le relevé exact des inscriptions même fragmentaires (1).

16. Statues placées dans des niches ou sur des socles ou piédestaux; autres sculptures anciennes; stations du chemin de la croix; croix de mission. — Tableaux: nombre, grandeur, sujet, artiste, donateurs.

L'inventaire des objets mobiliers appartenant à l'église, prescrit par les statuts diocésains, existe-t-il?

N. B. Pour tous les objets mobiliers mentionnés ci-dessus, et qui ont une valeur artistique ou historique, indiquer autant que possible la matière, le style, l'antiquité, les sujets représentés, les auteurs, donateurs, prix, etc.

§ 2. Le cimetière.

17. Adjacent à l'église ou séparé? depuis quand et pourquoi? — Superficie, clôture. — Bénédiction ou consécration: quand et par qui? Parties non bénites pour enfants non baptisés, réprouvés, dissidents (faits locaux se rapportant à la question de la sépulture en terre non bénite).

18. Propriété: A qui appartient le cimetière: est-ce un cimetière antérieur à 1789, non aliéné? ou établi en exécution des art. 1 et 2 du décret de Prairial? Comment sont réglées les concessions de terrain? qui perçoit le prix de ces concessions? Qui nomme et paie le fossoyeur? Qui fait les plantations? Quel ordre suit-on dans la succession des fosses?

19. Existe-t-il des usages particuliers pratiqués au cimetière p. ex. au jour des morts ou à l'occasion de l'anniversaire solennel des paroissiens défunts.

Calvaire. Monuments remarquables ou inscriptions

---

(1) J. Weale, *Note sur les lames funéraires en cuivre conservées à Bruges*, pp. 153-190 du *Bulletin de la Gilde de St-Thomas et de St-Luc*, t. XIII.

funéraires des curés, vicaires, familles nobles, personnages marquants.

§ 3. Le presbytère.

20. Emplacement, superficie, description de la maison avec ses dépendances. Y a-t-il des parties affermées, des servitudes?

Propriété: quand a-t-il été bâti? par qui? qui fait les réparations? S'il est antérieur à la révolution française, recueillir et noter tout ce qui peut servir à prouver la propriété. Y a-t-il eu des contestations à ce sujet?

Indiquer au fur et à mesure les changements.

Inventaire des objets qui, dans la cure, appartiennent à la fabrique d'église.

§ 4. Biens et revenus de la fabrique d'église.

21. Biens-fonds appartenant à la fabrique: copie ou indication du tableau donnant la nature, contenance, situation, titre d'acquisition, loyers, locataires.

Indiquer les anciens terriers, états de biens, conservés aux archives. Relever les titres de propriété. Noter les particularités importantes au point de vue de la sauvegarde des droits de la fabrique.

22. *Tarif* des services religieux: copie du dernier tarif approuvé par l'autorité diocésaine. Signaler à ce sujet les usages spéciaux existants.

23. *Fondations.* — Portent-elles un *nom* tiré de son *auteur* ou de sa *nature?* — Copier ou insérer le tableau des fondations qui doit être affiché à la sacristie et renouvelé de quatre en quatre ans.

Ajouter toutes les particularités intéressantes qui concernent soit l'acte de fondation (titre original, approbation, contestations), soit le fondateur (p. ex. biographie, famille, épitaphe, autres libéralités), soit le taux (p. ex. réductions), la nature (p. ex. fondation ancienne de services et messes en l'honneur de l'Imma-

culée Conception, à la Potterie) ou le mode d'exonération des charges.

24. Location des chaises : usages et coutumes concernant le mode de location, le banc des marguilliers, des maîtres des pauvres, des places spéciales reconnues à certaines catégories de personnes.

N. B. Relater non seulement les procès concernant ces matières (avec résumé ou indication du dossier), mais encore les prétentions qui ont été élevées sans succès, les contestations terminées à l'amiable, les études qui ont été faites avec indication des arguments et des conclusions.

§ 5. Chapelles, oratoires séparés.

25. Existe-t-il dans la paroisse d'autres églises, chapelles, lieux de pèlerinage? Description. — Origine d'après les documents ou la tradition? Nom : signification et origine. — Célébration des offices religieux : quand, par qui? Y a-t-il à certains jours des pèlerinages ou concours de fidèles? — A qui appartiennent-ils? Qui les entretient? Qui administre les fonds et revenus?

26. Y a-t-il des constructions ou ruines d'anciens monastères, prieurés, chapelles, léproseries, hospices?

Indiquer ce qui en existe encore, sur l'emplacement, dans la toponymie, la tradition, les documents.

§ 6. Monuments civils.

27. On peut traiter de même les monuments civils les plus importants ou les restes d'anciens châteaux, seigneuries, constructions militaires, cimetières païens, stations préhistoriques, etc.

C. Callewaert.

Miscellanea

I. Nuper contigit, in re matrimoniali, **casus sequens.** Titius et Titia intendebant matrimonium inire, cui obstabat impedimentum affinitatis licitæ in 1° gradu lineæ collateralis æqualis, necnon impedimentum cognationis spiritualis ex eo quod sponsa prolem sponsi ex priori matrimonio natam e fonte susceperat.

Oblatus fuit coram S. Pœnitentiaria (pauperes enim erant nupturientes) libellus supplex, dilucidis verbis mentione facta utriusque memorati impedimenti; sed accidit ut in rescripto Romano sola insereretur dispensatio super impedimento affinitatis legitimæ, omissa mentione cognationis spiritualis.

Quæ quum omissio meræ inadvertentiæ S. Pœnitentiariæ amanuensis videretur tribuenda, ac omnia essent ad nuptias parata, nec sine gravissimis incommodis matrimonium differri posset, usquedum litteræ *Perinde valere* nuncupatæ a Sede Apostolica fuerint obtentæ, dispensatio a S. Pœnitentiaria in forma commissoria concessa fuit executioni mandata quoad utrumque impedimentum. Porro S. Pœnitentiaria, ad quam pro opportuno remedio, inquantum opus esset, recursus est habitus, « de speciali et expressa apostolica auctoritate præfatum matrimonium sic, uti præfertur, nulliter contractum, in radice sanat et convalidat, prolemque susceptam sive suscipiendam legitimam enuntiat ». Monet autem ut « præsentes litteræ in Cancellaria episcopali diligenter custodiantur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit ».

Ex quibus apparet, attento stylo Curiæ, irritari dispensationem etiam ubi, nullo errore in supplica occurrente, vitium *soli incuriæ amanuensis romani* est adscribendum; declaratur namque in casu matrimo-

nium esse invalidum ac providetur per sanationem in radice.

Sanatio autem, eodem quasi usurpato tenore qui adhibetur in documento apud *Collat.*, tom. VIII, p. 602, relato, conceditur *pro foro externo valitura*, quia, licet nullitas matrimonii est facto occulta, facile potest in notitiam venire: impedimentum namque cognationis spiritualis est natura publicum, nec ullatenus memoratur in publico dispensationis romanæ documento; unde potest, non obstante fulminationis instrumento super utroque impedimento, coram foro externo constare de nullitate matrimonii.

***

II. Juvat et alterum referre **casum matrimonialem**: Caius confessarius in confessione reperit Titium nupturientem carnaliter cognovisse sororem sponsæ ac providè dispensationem super affinitate illicita impetrandam curavit, ad Ordinarium recurrendo qui, in casu urgenti, vi apostolici indulti, super hoc impedimento pro foro interno dispensare valet (1).

Porro pridie ante nuptias paratas dicto confessario innotuit nupturientes de quibus in casu, ligatos esse impedimento consanguinitatis in 3io gradu lineæ collateralis, ac super eo dispensatum esse in foro externo, idque innotuit serius quam ut opportuno recursui esset locus.

Profectò si tempus fuisset præsto ut per telegramma ad Episcopum recurreret Caius, solutio erat in promptu. Satis ferat, adhibitis abbreviationis formulis de quibus *Liber Man.*, p. 168 et seq., exponere in gratiam Titii et

(1) *Parochi* nostræ diœceseos Brugensis, uti pluries monuimus, ex subdelegatione Episcopi, facultate gaudent dispensandi super hoc impedimento, sed non raro obstat lex sigilli quominus ad parochum dirigatur pœnitens. Cæterum in concursu cum alio impedimento omni facultate destituuntur parochi.

Titiæ obtentam esse dispensationem super affinitate illicita in 1° gradu lineæ collateralis, eamque esse invalidam ob reticitum impedimentum consanguinitatis in 3° gradu æquali lineæ collateralis in foro externo relaxatum, addita supplici prece ut dispensatio convalidaretur (1). Ordinarius namque id indubie valet, quemadmodum ostendimus, tom. VIII, p. 189 et seq., quo loco fusè disseritur circa casum omnino analogum, licet prima fronte valde diversum.

Posito autem facto concreto, uti exponitur, convalidatio non potuit tempestive obtineri, ac illico obtinuit casus, qui vocatur *perplexus,* cum nuptiæ paratæ, summo mane celebrandæ, non possent, absque gravissimis incommodis, differri. Quibus in adjunctis, omnium consensu, licebat nupturientes in bona fide relinquere eosque ad celebrationem matrimonii admittere, salva convalidatione matrimonii postea procuranda.

Jamvero recursus est habitus Romam in ordine ad obtinendam sanationem in radice (2): « quum autem putati conjuges in omnimoda bona fide versentur, et de matrimonii sui nullitate certiorari nequeant, supplex postulat orator ut S. V. matrimonium eorum in radice sanare... dignetur ».

Sacra autem Pœnitentiaria super præmissis rescripsit *silendum esse:* quæ solutio convenit cum dictis apud *Collat.*, VI, 556-557 et 601 : insertum enim legimus in tenore supplicæ putatos conjuges de nullitate matri-

---

(1) Hæc omnia ac singula concinne sunt exponenda in hujusmodi occurrentia, ut Episcopus sciat quomodo casui sit providendum; quo pacto non recte ageret v. gr. confessarius, in præfatis adjunctis, sollicitans dispensationem super affinitate illicita in 1° gradu et super consanguinitate in 3° gradu, absque ulteriori explicatione, uti factum contigit: deberet nempe moneri Ordinarius de dispensatione jam obtenta super consanguinitate *in foro externo*, ut sciat se posse convalidando dispensare *pro foro interno* super utroque impedimento.

(2) Sanatio in radice erat præponenda dispensationi simplici, quia pars innocens non poterat absque alterius partis infamia moneri, nec proinde renovare consensum.

monii certiorari non posse, quo posito notavimus S. Sedem solere a sanatione in radice abstinere.

*
* *

III. Recenter prodiit, per modum supplementi ad *Annales de la société scientifique de Bruxelles*, Discussion **sur le fœticide médical**, quæ disceptatio locum habuit in sessione 21 Aprilis 1903, præside Dre Fraidherbe.

Præcipuum momentum est in expositione doctrinæ Ecclesiæ circa hoc negotium, quam nitide ac dilucidè evolvit R. P. Vermeersch, pp. 13-22, interpretans varia responsa et declarationes S. Sedis, successive agendo de abortu, de embryotomia et de expulsione fœtus ectopici.

Porro censet R. P. embryotomiam et abortus provocationem directam esse *absolute damnatam* et cuicumque semper esse vetandam, utpote quæ *iteratis* declarationibus S. Officii reprobatæ existunt; expulsionem autem fœtus ectopici habet quidem suo judicio uti illicitam, negat vero rem esse diremptam per responsum S. Officii, 5 Martii 1902, de quo apud *Collat.*, VII, p. 605, quia responsum est *singulare* nec facile conciliandum cum decisione 4 Maii 1898: « La difficulté, ait p. 21, de la mettre d'accord avec une réponse antérieure à laquelle elle renvoie cause une certaine obscurité. Aussi n'oserais-je pas, à l'heure actuelle, imposer mon opinion, et condamner celui qui croirait avoir de bonnes raisons pour innocenter l'opération pratiquée au moment où elle parait moralement nécessaire au salut de la mère sans pouvoir être différée ».

Quocirca hoc unum liceat advertere, distinctionem nempe a R. P. factam inter abortus provocationem et fructus ectopici ejectionem, earumque respectivam damnationem minus probari : abstractione namque facta à quæstione theoretica de valore singularis decreti doctrinalis S. Officii, utriusque praxeos illiceitas ac reprobatio

eodem plane nititur principio de non occidendo innocente, et non videmus quomodo absolute reprobantes abortum a pari reprobatione possint excipere fœtus ectopici immaturi ejectionem: supponitur utique constare de præsentia fœtus humani ad exclusionem tumoris alicujus morbidi. Pariter non apparet difficultas conciliandi responsum 1898 cum decreto 1902, uti videre est loco citato *Collationum*.

Dissertationem R. P. Vermeersch excepit egregia oratio Professoris Hubert, doctrinam Ecclesiæ notissima sua auctoritate confirmantis; post hunc autem sermonem habuit Dr Delassus, in Universitate Insulensi professor, qui, ipsum nodum aggrediens controversiæ, dubium urgendo movit circa ipsam a theologis propugnatam inordinationem absolutam occisionis innocentis, adeoque abortus directi, signanter in casu solerter ab ipso proposito quo scientifica datur certitudo de morte instante tum matris tum prolis conceptæ, et in expulsione fœtus certo morituri unica ac indubia salus est matris, cujus vita ex sola præsentia fœtus periclitatur.

Institit etiam (etsi frustra, uti videtur) in opportunitate « d'une nouvelle question qui serait posée au S. Office et aurait pour but non de revenir sur un point de doctrine déjà tranché, mais de préciser à nouveau une situation dont tous les aspects n'ont pas été proposés à l'examen de la Cour romaine ».

Quæ breviter adumbrata eruditorum concertatio ostendit controversiam de liceitate abortus medicalis nondum esse sopitam eamque animos intentos tenere. Hæc cæteroquin quæstio non parum agitata fuit mense Augusti 1899 in congressu Amstelodamensi, ac iterum anno 1902, mense Aprilis, in Societate Obstetricali Parisiensi, disputationem urgente præprimis H. Treub, celeberrimo Professore Universitatis Amstelodamensis: qui idem laudatus professor sententiam de liceitate medicalis abortus nervose vindicat in opella cui titulus:

Het Levensrecht der ongeboren vrucht — strijdschriften van H. Treub, Van Oppenraay en Th. Vlaming. — Haarlem — 1901. (1)

A. De Smet.

***

IV. **Canisiusblad.** — *De catechizandis et educandis pueris.*

In fine epistolæ, quam die 10 Januarii 1901 dabat de præstantia ac necessitate instructionis christianæ (2), nuntiabat Ill^{mus} ac Rev^{mus} Episcopus Brugensis varia subsidia quibus catechistæ juvarentur ut munus illud docendi quam commode et efficacissime obire valerent. E quibus jam præsto nobis sunt duo, videlicet paratum *manuale doctrinæ christianæ*, intuitu primæ communionis addiscendæ (3), et editum anno 1902 ineunte *periodicum de catechizandis ac educandis pueris,* sub patrocinio B. Canisii, S. J. *(Canisiusblad)* (4). Hujus annos seu tomos tres raptim percurrere libet, ut indoles ac utilitas perspiciatur.

Prodit hoc periodicum menstruis fasciculis (16 p. in-8°) et constat pretio annuo 2 fr. *Scopus* ejus est magistris christianis opem ferre omni modo in exercendo præcelsum munus catechizandi ac educandi pue-

---

(1) Uti titulus indicat, integram disputationem refert opella exortam inter Treub ejusque utrumque adversarium; cui disputationi ansam dedit votum a D^{re} Treub publice propositum inserendi in codice pœnali Hollandico novum articulum severis pœnis prosequentem; « degene die een ander verbiedt en daardoor, of op eenigerlei andere wijze, verhindert voor zijn lijden geneeskundige hulp in te roepen, of de aangeboden geneeskundige hulp aan te nemen, wanneer dat lijden den dood ten gevolge gehad heeft », quales essent catholici sacerdotes matrem periculose prægnantem a permittendo abortu medicali dissuadentes.

(2) Eam integram exhibet *Canisiusblad*, T. I, p. 49. Cf. etiam *Coll. epist. pastor.*, T. XVII, p. 184 sqq.

(3) Vide epistolam de ratione ac indole istius manualis d. d. 2 Febr. 1903, introductoriam ad novum textum. Cf. etiam *Canisiusblad*, T. II, p. 65.

(4) Cf. *Acta congreg. prosynodalis* habitæ die 26 Maii 1903, ap. *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 413 sqq.; *Canisiusblad*, T. I, p. 1-2.

ros (*Canisiusblad*, I, p. 3). Ad hunc finem obtinendum, actum jam est de præstantia ac methodo christianæ instructionis, de educatione christiana curanda in scholis, de usibus christianis servandis, iterum inducendis ac fovendis, uberius exposita ac vindicata est una alterave veritas fidei, paratæ sunt lectiones catechismi plurimæ vel explicatæ preces consuetæ aut exposita liturgia ecclesiastica, nuntiati sunt ac dijudicati libri etc. Singulo deinde mense indicantur festa præcipua, addita notitia indulgentiarum ac usuum christianorum in certis festivitatibus occurrentium.

Ad quædam particularia descendamus, sane non omnia sed præcipua.

1° **De præstantia christianæ instructionis.**

Hac in re opportune adducitur auctoritas magisterii authentici in Ecclesia: sic referuntur Supremi Doctoris Pii Pp. X monita in prima encyclica *E supremi* 4 Octobris 1903 (*Canisiusblad*, III, 2, 33), vel verba laudatoria in certis audientiis de opere catechizandi prolata (III, 95, 126); deinde instructiones, exhortationes et approbationes vigilantissimi Episcopi nostri, qui nihil intentatum relinquit ut præprimis sacerdotes deinde magistri scholarum munus suum docendi quam commode et efficacissime obire valeant (I, 1, 49, 151; II, 65, 113). — Quam utilia hæc sint, nemo non videt: monita enim illa respiciunt sacerdotes et magistros christianos, qui utinam sæpius et attentius ista meditarentur ad excitandum in se zelum vere apostolicum in grandi sed plerumque ingrato opere docendi rudes et ignaros; respiciunt etiam pueros, quatenus magistri utantur auctoritate illa summa ut pueri majoris æstiment doctrinam christianam. Sic v. g. quantus fructus sperari potest ex vivida narratione facti quod refertur t. III, p. 126, np. Vicarii Christi conversantis cum pueris scholarum Romæ.

2° **De methodo catechizandi.**

Hæc methodus, generatim loquendo, debet esse *synthetica* seu *historica*, cujus praxis invenitur notatim

in egregio opere Rev. adm. Dom. De Weerdt. *Practisch onderwijs in den Mechelschen Catechismus*, ed. altera, Mechliniæ 1904, apud Ryckmans (1). Mirum videri potest plures catechistas, etiam de clero, adhuc ignorare quid sit illa methodus vel, scientes quid sit, ejus praxim omnino negligere. Utiliter legent *Canisiusblad*, II, 177 et III, 22 sqq., ubi ex professo exponitur quid sit; in ejusdem fasciculis quasi singulis eam invenient applicatam.

3° **De christiana educatione.**

Non tantum instruendi sunt pueri, sed et educandi seu, ut fiant christiani, non tantum intellectus sed et corda formanda sunt et voluntas. Ergo et ad hanc partem muneris explendam juvari debet magister : quod subsidium jam præstare incœpit laudatum periodicon in aliqua serie dissertatiuncularum de christiana educatione, in quibus colliguntur *fragmenta ne pereant*, ut ait auctor (I, 15). Primo exponuntur *dotes* requisitæ in ipso educatore. Triplex aperitur cophinus fragmentorum de *virtute* (I, 17, 39, 72, 108), de *aptitudine* (bekwaamheid) (I, 152; II, 5, 33, 106) et *auctoritate* (gezag) requisitis (II, 123). Legenti patebit his amplam contineri materiam meditationis pro ipsis magistris, qua etiam opportune uti poterunt in menstruis conferentiis directores sanctimonialium, quæ puellas educare debent. Postea disseretur de modo quo christiana educatio fieri debeat: unum optamus ne auctor nimis procrastinet offerre fragmenta promissa.

Ad eamdem materiam pertinent scripta de formanda voluntate (III, 5), de spiritu obedientiæ in pueris fovendo (II, 56), de modo docendi artem orandi (III, 8), de temperantia in scholis puellarum (I, 57, 117), de extirpando vitio blasphemiæ (II, 71, 90), de christiana urbanitate colenda (II, 182), quæ omnia sane maximi sunt momenti.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 410 et 689; T. IX, p. 406; *Canisiusblad*, T. III, p. 23 et 80.

Item in scholis multum est insistendum in explicandis *usibus christianis* iisque servandis et reinducendis, quibus potissimum servetur vita vere christiana in familiis (II, 186 et III, 190): v. g. de benedictione a parentibus petenda (III, 19), de oratione domi facienda (II, 55), notatim ante et post refectiones (III, 102, 117), de celebrandis in familia mensibus Martii, Maii et Junii, et ita deinceps (1).

4° **Historia sacra.**

Necessaria est et magni momenti (III, 129, 187), et tamquam directe docenda, et qua medium præcipuum applicandi methodum historicam. Apto consilio exhibetur brevis ejus conspectus (III, 167), et methodus docendi eam (I, 20).

Deinde plurimæ proponuntur lectiones præparatæ: quarum una series practico modo exhibet historiam sacram ex professo docendam (v. g. I, 22, 184; II, 10, 40, 120); altera verò proponit textus et exempla S. Scripturæ, quatenus conducunt ad tuendam ac explicandam doctrinam catechismi in singulis lectionibus (2).

Quam efficax hisce subsidium docenti præstetur, neminem fugit. Hoc tamen notare liceat circa hujusmodi lectiones præparatas: si simpliciter legantur, non apparet statim utilitas illarum; sed in textu nostro ad ipsam lectionem notemus locum periodici in quo habetur præparata et postea, quando ipsi præparamus lectionem explicandam, recurramus ad periodicum loco citato: tunc quæ legenti videbantur satis insipida, apparebunt utilia ac sapida. Ceterum, nisi sic adnotemus,

---

(1) Cf. Ill. ac Rev. WAFFELAERT, *Litt. quadrag.*, anni 1896, in *Coll. epist. pastor.*, t. XVI.

(2) Jam quinque partes catechismi nostri illustrantur textibus et exemplis: Introductio: II, 44-46; 1ª pars: II, 46, 74, 92, 111; 2ª : I, 123; 3ª : I, 139, 154, 172, 190; II, 16, 28; 4ª : II, 169, 189; III, 13; 5ª : III, 29, 61, 78, 91, 119, 141, 153, 174.

jam non cogitabimus de subsidio nobis olim oblato in nostro periodico (1).

5° **Liturgia ecclesiastica.**

« Mirum sane ac dolendum nostrorum etiam piissimos, præter quædam externa processionum etc., solemnia, ita parum sacræ liturgiæ esse participes, ut quasi ex una parte suas orationes, easque potius privatas proinde, effundant, dum ex parte altera sacerdos sua peragit; cum tamen sacerdotis sit *publica* deprecatio ac litatio, quacum una *communis* debet esse populi oratio atque oblatio sacrorum. » Quid facto opus? Hunc rerum statum in melius mutare possunt sacerdotes « *docendo* ac corrigendo erroneas notiones et ignorantiam veræ naturæ officiorum publicorum Ecclesiæ et sacrosancti sacrificii.....; *præsertim vero incipiendo ab institutione puerorum in catechesi*, tum in ecclesiis tum in scholis ». Ita nuper Rev^mus^ Episcopus noster (2). Iterum in hoc munere docendi, quod cuilibet sacerdoti incumbit, opportuno subsidio erit laudatum periodicum. Ibi enim explanari cœpit annus liturgicus cum festis et solemnitatibus (cf. v. g. I, 12, 36, 69, 77, 92, 97, 129, 166 coll. II, 161; II, 81, 84, 137; III, 177), explicantur usus christiani, puta de ovis paschalibus (I, 38), de observanda die dominica (III, 138) et summo sacro a familia integra audiendo (III, 149); denique, juxta consilium, nuper iteratum, Episcopi nostri, (3) docetur theoretice et practice modus *rite assistendi Missæ* (4).

Ne longiores simus, omittimus multa. Sic laude præcipua dignas quisque æstimabit dissertationem quam ipse Ill^mus^ ac Rev^mus^ Episcopus Brugensis conscripsit

---

(1) Quot sunt qui multa perdunt, quia negligunt hoc medium tam obvium adnotandi quæ legerunt vel audierunt utilia!

(2) *Acta Congreg. prosynod.* citata (*Coll. Brug.*, T. VIII, p. 420).

(3) *Acta congr. prosyn.* cit., *Coll. Brug.*, l. cit.

(4) Hæc jam inveniri possunt: præstantia: I, 169 coll. II, 116; conspectus generalis: I, 170; materia tractanda: II, 31; sacra utensilia et ornamenta: II, 97; nexus inter partes: II, 129; explicatio partium Missæ: II, 172; III, 65, 151, 171.

de signo crucis (I, 82, 177; II, 17), et dissertatiunculas passim occurrentes circa notiones philosophicas.

Superius indicata abunde sufficiunt ut meritum et utilitatem laudati periodici *Canisiusblad* prædicent. Longe plurima sunt *directe* utilia sacerdotibus omnibus pro catechismo puerorum, pro catechesi majori in ecclesia populo facienda, pro concionibus in certis festis, in quibus sæpius liturgiæ expositio omittitur infeliciter; at omnia et singula saltem *indirecte* ipsos respiciunt, quatenus ipsis proprium strictumque officium est invigilare, sub ductu Ordinarii, educationi ac catechizationi puerorum in scholis christianis. Non pauci inveniuntur magistri, etiam inter Fratres et Sorores, qui ex ignorantia vel etiam socordia negligunt consilia ac monita ac adjumenta, ipsis tamen directe destinata, in *Canisiusblad*: quos moneri et identidem excitari a sacerdote plerumque sufficeret. Nonnulli etiam æstimant vel æstimare videntur, ibi nihil vel parum utilitatis contineri pro collegiis nostris ac convictibus puellarum: qui quantum errent ex superiori descriptione liquido constat.

Fidenter appellamus omnes confratres: legite et adnotate diligenter; excitate et juvate magistros utriusque sexus; conferatis consilia inter vos, dubia et lumina communicate redactoribus; attendite doctrinæ docendæ, instate opportune, importune: « nullum enim dubium est quin his ab omnibus intellectis et ad opus applicatis, optatus finis attingatur, maneatque hæc dilectissima diœcesis Brugensis antiqua sua laude per omnia digna, quinimo crescat ac dilatetur hæc bona fama, ad majorem Dei gloriam plurimorumque salutem (1) ».

H. Mahieu.

---

(1) *Acta congr. prosyn. cit*, *Coll. Brug.*, T. VIII, p. 417. Hanc concionem *de officio docendi* meditemur singuli diligenter, proponamusque meditandam magistris christianis (*Canisiusblad*, T. II, p. 113 sqq. Eam quoque exhibet *Coll. epist. pastor.*, T. XVII, p. 363).

Consultatio.

Quæritur an in omni missa cantata, *Kyrie* novies et *Gloria* ex integro cantari debeant?

Responsum patet ex decreto generali S. R. C. de die 22 maii 1894, n° 3827 ad II: « Ea quæ cantorum schola exequi alternatim debet, nunquam esse omittenda; sed *vel per integrum cantanda, vel si vocibus jungantur organa, partim concinenda, partim sub organis clara voce legenda*, prout Cæremoniale Episcoporum præscribit (1); Symbolo excepto, quod per integrum, si recurrat, semper canendum erit ».

Quamvis hoc decretum expresse agat de « solemniori Missa », merito auctores illud applicant missæ cantatæ sine ministris. Nam S. R. C. interrogata: « Num *in missis cantatis sine ministris sacris*, organarii et chorus debeant semper exequi cantu vel voce intelligibili cum organo omnes partes ex Graduali Romano » respondit: « Affirmative » (2).

C. Callewaert.

(1) Lib. I, cap. XXVIII, n. 9.
(2) S. C. R. in *Plocen.*, 25 junii 1898, n. 3994².

Collationes Brugenses

SS. D. N. PII PP. X

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO DIE 14 NOVEMBRIS 1904

Venerabiles Fratres.

Duplicem, nostis, ob causam amplissimum Collegium vestrum ad Nos convocavimus, ut de duobus Beatis viris in Sanctorum album rite referendis, simulque de novis creandis Episcopis hodierno die vobiscum ageremus. Utraque res cum sane magna, tum læta atque jucunda: verum haud opportuna lætitiæ sunt adjuncta temporum. Nam præter calamitosissimum belli incendium, quo plures jam menses Orientis extrema flagrant, quod quidem Nos, qua sumus et esse debemus in homines universos caritate paterna, supplices obsecramus Deum ut restingui celeriter velit, propiora etiam quædam sunt quæ ægritudinem Nobis efficiant. Etenim a contemplanda christianarum excellentia virtutum divertere mentem cogimur ad ingentem hominum multitudinem, qui vix aliquam christiani nominis umbram retinent; quumque gestit Nobis animus, quod pastores bonos viduatis dare ecclesiis multis possumus, simul vehementer dolet, quod aliarum, nec ita paucarum, viduitati consulere jam nimium diu prohibemur.

Facile intelligitis nationem hoc loco spectari eam quæ, quum sit inter catholicas nobilissima, tamen alienis a religione studiis multorum commovetur jamdudum et jactatur miserrime. Scilicet eo processit ibi malarum rerum audacia, ut e domiciliis disciplinarum aulisque judiciorum simulacrum Ejus, qui unus est Magister æternusque hominum Judex exturbatum publice fuerit. In multis autem incommodis, quæ ibidem Ecclesiam premunt, hoc in primis grave conquerimur, impedimenta omne genus inferri cooptationi Episcoporum: nisi quod graviora quoque agitari consilia videmus. Jamvero hujus tantæ offensionis idoneam causam frustra quæras præter illam, quam modo attigimus: nam quæ in Apostolicam Sedem conjicitur criminatio, non ipsam

in conditionibus pactis mansisse, ea quidem quantum ab honesto, tantum distat a vero. Hanc porro propulsare calumniæ labem in conspectu vestro, Venerabiles Fratres, necessarium ducimus, antequam ad ea, quæ proposita sunt, accedamus.

Nonnulla memoramus ignota nemini. Superiore ineunte sæculo, quum teterrima novarum rerum procella, quæ in Galliam incubuerat, veteri disciplina civitatis eversa, avitam late religionem afflixisset, Decessor Noster inclytæ memoriæ Pius VII et moderatores reipublicæ, ille quidem salutis animarum divinæque gloriæ causâ sollicitus, hi vero ut stabilitatem rebus ex religione quærerent, icto inter se fœdere, pactionem fecerunt, quæ ad sarcienda Ecclesiæ gallicæ damna, eamque in posterum tutela legum muniendam pertineret. Ad pactum autem conventum accessere deinceps solo civilis potestatis arbitrio *organici* qui vocantur *articuli;* at contra accessionem ejusmodi non modo Pius repugnavit re recenti, sed qui consequuti sunt Romani Pontifices, oblata sibi opportunitate, præsertim quum eorum vis articulorum urgeretur, acerrime restiterunt. Idque jure optimo, si quidem harum natura legum consideretur: legum, inquimus, non pactorum; quippe consensio Pontificum nulla unquam intercessit. Igitur hæ leges nequaquam publicam securitatem spectant, de quo genere cautum erat in primo pactionis capite: *Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum, quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.* Neque enim est dubium, si leges *organicæ* continerentur hoc genere, quin eas, memor obligatæ fidei, receptura esset et servatura Ecclesia. Nunc vero legibus istis de ipsa doctrina Ecclesiæ statuitur; pugnantia conventis plura sanciuntur; abrogatisque magnam partem iis, quæ in rei catholicæ commodum pacta essent, ecclesiasticæ potestatis jura vindicantur civili imperio: a quo proinde non tutela expectanda sit Ecclesiæ sed servitus. — At præstat ea, quæ inter Apostolicam Sedem et rempublicam gallicanam convenerunt, partite perstringere.

Pertinent illa ad definiendas utriusque potestatis rationes mutuas. — Respublica quidem spondet Ecclesiæ liberam religiosi cultus facultatem: *Religio Catholica, Apostolica, Romana libere in Gallia exercebitur.* Eadem munere officioque suo

alienam declarat totam sacrarum jurisdictionem rerum: tantum in hoc genere rata firmaque vult decreta, quæ *politiæ* idest publicæ securitatis nomine sanciverit. Jamvero quum excipit ista, quorum non ita late campus patet, eo ipso confirmat, nihil se posse in cetera; utpote quæ, quum supernaturalem vitam Ecclesiæ attingant, terminos longe excedant civilis auctoritatis. Manet ergo, ipsa agnoscente et probante republica, quidquid fidem moresque spectet, id omne in dominatu esse arbitrioque Ecclesiæ; ipsius esse instituenda curare atque instituta tueri, quæcumque fidei morumque in catholicis sanctitatem conservent et foveant; ipsam propterea, nec nisi ipsam, posse populo eos præficere, qui christianæ principia et instituta vitæ pro officio custodiant ac promoveant, administros sacrorum dicimus et in primis Episcopos.

Nihilominus in hac re, nempe concordiæ facilius retinendæ gratia, aliquid de severitate juris sui remittit Ecclesia, facultatemque tribuit reipublicæ eos nominandi, quibus episcopale mandetur munus. At vero facultas ejusmodi nequaquam valet aut valere idem potest, quod *institutio canonica*. Etenim assumere et collocare quempiam in sacræ dignitatis gradu, eique parem dignitati attribuere potestatem, jus est Ecclesiæ ita proprium et peculiare, ut id cum civitate communicare, salva ratione divini muneris sui, non possit. Relinquitur ut concessa reipublicæ nominatio nihil sibi velit aliud, nisi designare et sistere Apostolicæ Sedi quem Pontifex, si quidem idoneum et ipse agnoverit, ad episcopatus honorem promoveat. Neque enim ita nominatum canonica institutio necessario sequitur; sed ante religiose ponderanda personæ sunt merita. Quæ si forte obstent, quominus episcopatum Pontifex, pro conscientia officii, cuipiam conferat, nulla tamen lege cogi poterit rationum momenta patefacere, quare non conferendum putarit.

Ad hæc, certas sollemnesque ad Deum preces Ecclesia pro summo magistratu civitatis adhibendas constituit; in quo amicam se civitati fore, qualiscumque demum hujus fuerit temperatio publica, pollicetur.

Ista quidem pactum habet, de quo loquimur, in præsens et futurum statuta: quod vero ad præteritum tempus, transactionem continet ultro citroque compositam. Versatur hæc

in bonis, Ecclesiæ non multo ante detractis publice: quæ bona Pontifex civitati condonat; civitas autem fidem dat, præbituram se Clero *sustentationem, quæ cujusque statum deccat.* Agitur hic, ut apparet, de veri nominis contractu, quo quum certa præstatio pro re certa stipulata sit, non est dubium, tametsi illa conventio fœdusque resolvatur, tamen jus manere integrum Ecclesiæ aut rem repetere aut justam pro re præstationem exigere.

Exposuimus summa rerum capita, de quibus inter Galliam et Apostolicam Sedem, necessario maxime utrique tempore, convenit: quisquis ex veritate res æstimat, judex esto, utra conventis non steterit.

Num Ecclesia jus datum reipublicæ nominandi Episcopos unquam retractavit? Immo vero candidatos quos respublica proposuisset, partem longe maximam, canonice instituit. Quodsi factum quandoque est, ut aliquos non institueret, maximis semper gravissimisque de causis, eisque extra genus politicum positis, factum est; quas causas non semel ipsi magistratus reipublicæ deinceps cognitas probavere: nimirum ne religio, cui quidem Pontifex summam curam diligentiamque necessario debet, aliquid detrimenti caperet.

Jam de legibus, publicæ tranquillitatis ratione perlatis, obscurum non est Ecclesiam in exercendo sacrorum cultu, quod promiserat, præstitisse; cujus ceteroqui illustris ea est et pervagata doctrina, Deum esse cujusvis in homines potestatis fontem, ideoque civilium quoque jussa et vetita legum, si quidem justa et communi bono conjuncta sint, sancte inviolateque esse servanda.

Nec minus æquam se fidamque impertiit reipublicæ Ecclesia, quæcumque usque adhuc extitit constitutio temperatioque civitatis. Semper enim iis qui præerant, quum de statuta formula Deum precaretur, non cælestem modo, quod caput est, opem, sed etiam civium optimorum gratiam conciliare studuit.

Denique quam fideliter transactionem de facultatibus suis factam custodierit, vel ex hoc intelligi potest, quod nemo unus molestiam ab Ecclesia ullam unquam passus est ob eam causam, quod ipsius bona ad hastam publicam quæsita possideret.

Quærere jam licet, utrum civitas pariter, quæ sua essent ex fœdere officia, impleverit.

Statutum principio est, catholicæ religionis exercendæ liberam in Gallia facultatem fore. — At suppetere libertatem istam hodie dixeris, quando ad Pontificem, summus qui est magister et custos catholici nominis, interdicitur Episcopis aditus atque etiam missio litterarum, inscia Republica? Quando sacrorum Consiliorum, a quibus, Pontificis auctoritate et nomine, negotia Ecclesiæ universæ in Urbe Roma administrari notum est, spernuntur publice ac refutantur acta, quin immo ipsius actis Pontificis vix parcitur? Quando id non dissimulanter agitur, ut nervi incidantur viresque religionis, detrahendis iis, quæ, Dei providentis nutu, præsto sunt Ecclesiæ utilissima ad suum fungendum munus adjumenta? Neque enim reputare, nisi magno cum angore, possumus religiosarum familiarum recentem cladem; quas quidem ad exterminandas finibus patriæ hæc una ratio valuit, avitæ religionis in populo fautrices extitisse efficaces: non valuit ad retinendas, si minus ornandas ut oportebat, optimorum cogitatio meritorum, quæ ab iis omni tempore essent in cives suos profecta. Ecquid tam contrarium junctæ cum Apostolica Sede amicitiæ ac fœderi, quam hac tanta injuria et contumelia eos affectos esse, quibus nihil habet Ecclesia carius? — Quin etiam ad ceteras id genus molestias ingens nuper cumulus accessit. Etenim certum accepimus circumferri edictum, quo Sodales illustris cujusdam familiæ et quidem ratæ legibus, ab ipsis diœcesium Seminariis, quibus magna cum salute sacri ordinis præesse diu consueverunt, abire excedere jubentur. Huc scilicet evasit promissa religioni libertas, ut Episcopis jam non liceat, prout visum fuerit melius, institutioni prospicere sacræ juventutis, iidemque in negotio tanti momenti ac ponderis cogantur adjutores ab se, quos semper experti sunt optimos, segregare.

Quamquam illud multo gravius est ministerio Apostolico injectum vinculum. — Ipsa rei natura clamat, quod diximus, institutionem canonicam, præsertim si ad summum ecclesiastici ordinis gradum danda sit, non posse, salva majestate religionis, cadere in quemquam, nisi qui pro moribus, ingenio, doctrina dignus tam celso munere videatur. Hac obstrictus sanctissima lege, Pontifex non omnes, quos respublica sibi designarit, continuo ad episcopatum promovendos putat; verum probe explorato qualis quisque sit, alios,

quos reperierit idoneos, assumit, alios, quos minus, relinquit scilicet: admonitamque de consilio suo rempublicam rogat, ut pro illis quidem legitime incepta perficere, his vero sufficere meliores velit. Hujusmodi consuetudinem Apostolica Sedes usque ad nostram memoriam tenuit sine offensione, quamdiu utriusque potestatis concordia stetit incolumis. Quid autem dudum respublica? Negat jus esse Pontifici repudiare quemquam ex iis, quos ipsa nominavisset; nominatos recipi promiscue vult omnes; propterea obstinat non ante sinere eos, qui probati sint Ecclesiæ, canonice institui, quam qui repulsam ab ipsa tulerint, iidem probationem ferant. Jamvero usque eo extendere vim nominandi, ut facultas, concessu Pontificis facta reipublicæ, nativum et sacrosanctum Ecclesiæ jus elidat perscrutandi utrum qui nominati sint, digni sint, hoc profecto non est interpretari pactum, sed subvertere: contendere autem ut, si qui prætereantur, ne aliis quidem canonica institutio detur, huc recidit admodum, nullos velle posthac constitui Episcopos in Gallia.

Quod denique ad eam attinet conventionis partem, qua honestæ clericorum sustentationi consultum est, num ipsam servat Respublica, quum Episcopis aliisque sacrorum administris, nulla habita quæstione aut judicio, inauditis et indefensis, quod sæpissime usuvenire nostis, legitimum victum, ad libidinem suam, detrahit? Atqui non fœderis tantum hic lex, sed justitiæ perfringitur. Neque enim civitas in eo, quod istiusmodi alimenta ministrat, putanda est voluntate gratificari Ecclesiæ, verum portionem, nec ita magnam, debiti exsolvere.

Ægre induximus animum, Venerabiles Fratres, hæc memoratu audituque tam tristia dicendo persequi. Nam mœrorem, quem ex rebus Gallicis gravem patimur, etsi levari, communicando vobiscum, intelligebamus posse, maluissemus tamen silentio premere; etiam ob eam rem, ne tot pientissimis Ecclesiæ filiis, quos in Gallia numeramus, ægritudinis morsum querimonia communis Parentis exacueret. Verumtamen jura sanctissima Ecclesiæ improbe violata, ac dignitas præsertim Apostolicæ Sedis alieno notata crimine, prorsus a Nobis expostulationem injuriarum publicam requirebant. Idque præstitimus, nullo cum acerbitatis sensu adversus quemquam, paterna certe cum voluntate erga gentem

Gallicam; in qua quidem diligenda Nos, quod ceteroqui non potest esse dubium, Decessorum Nostrorum nulli concedimus.

Enimvero sperandum non est, fore ut institutarum contra Ecclesiam rerum cursus consistat. Quædam his ipsis diebus eventa certissima fecere indicium, eos qui ad gubernacula sedent Reipublicæ, sic esse in rem catholicam animatos, ut ultima sint brevi metuenda. — Omnino, dum Sedis Apostolicæ documenta non obscure loquuntur, professionem christianæ sapientiæ amice posse cum Reipublicæ forma consistere, ii contra affirmare velle videntur, Rempublicam, quali nunc utitur Gallia, ejusmodi esse naturæ, ut nullum habere possit cum christiana religione commercium: id quod dupliciter Gallos calumniose petit, catholicos nimirum et cives. — At eveniant licet quantumvis aspera; nequaquam Nos aut imparatos offendent aut pavidos, quos Christi Domini illa vox et hortatio confirmat: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Jo. XV, 20). *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum* (Jo. XVI, 33). Interea tamen Nobiscum vos, Venerabiles Fratres, humilium instantia precum a Deo contendite, ut qui potest unus deducere unde velit et quo velit impellere hominum voluntates, auspice Virgine Immaculata, pacem tranquillitatemque Ecclesiæ suæ benignus maturet.

. . . . . .

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii

—

I

Quasnam doctrinas impugnat S. Paulus Col. II, 16-23? Explica.

II

Refuta rationem quam S. Bernardus contra Immaculatam Conceptionem B. M. V. proponebat his verbis: « Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat (Maria), sed nec ipso quidem conceptu propter peccatum quod inerat, restat ut post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem » (V. textum integrum apud JUNGMANN, *De Deo Creatore*, n. 403).

III

Determina conditiones requisitas ut oratio sit infallibiliter impetratoria.

IV

Qualis requiritur *attentio* ut clericus in sacris ordinibus constitutus officii divini recitatione obligationi suæ satisfaciat? Explica et proba responsum.

V

An et quare obligationi suæ satisfacit qui officium in calendario diœcesis suæ vel ordinis sui assignatum cum alio permutat?

VI

An, quantum et versus quodnam objectum est facienda capitis inclinatio, dum in orationibus missæ, in epistola aut evangelio pronuntiatur nomen Jesu, Mariæ, Sanctorum aut Summi Pontificis?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris 1904 propositas.

—

I

Q. *Expone doctrinam de justificatione a S. Paulo propositam in epistola ad Ephesios I, 3-14.*

R. I. **Prænota.** S. Paulus Eph. I, 3-14 sub forma gratiarum actionis exponit beneficia quæ Deus omnibus christianis, in specie Ephesiis, per justificationem seu redemptionem in Christo contulit. Locus hic cogitationum ubertate et mira doctrinæ profunditate insignis, apparet irregularis structuræ. Una est periodus extensa, implexa et convoluta: auctor enim, sicuti de more (1), idearum æstu fervescens et cogitatione inflammatus divinorum beneficiorum, ideas alias atque alias per sententias relativas continuo subnectit. Ut autem difficilis hujus loci doctrina clarius patescat, paraphrasim præmittimus, in qua sententias quasdam relativas in absolutas convertimus.

II. **Paraphrasis.** 3 *Benedictus* sit *Deus et Pater* (2) *Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos* omnigenis beneficiis spiritualibus et *cœlestibus*, *in Christo* (horum beneficiorum causa meritoria et capite corporis mystici). 4 Deus enim in Christo (tanquam in Salvatore et

---

(1) Cf. Jacquier, *Histoire des Livres du N. T.*, T. I, Paris 1903, p. 69; — Van Steenkiste, *S. Pauli Epistolæ breviter explicatæ*, Brugis 1899, T. I, p. 17.

(2) Genetivus « *Domini nostri Jesu Christi* » pendet ab utraque voce *Deus* et *Pater*. Cfr. I, 17; IV, 6; *Jo.* XX, 17; *Rom.* XV, 6; *II Cor.* I, 3; XI, 31; *Col.* I, 3; *I Pet.* I, 3. Abbott, *A critical and exegetical Commentary on the Epistles to the Ephesians and to the Colossians*, Edinburgh, p. 4; — E. Haupt (qui tamen sententiæ oppositæ favet), *Die Gefangenschaftsbriefe*, Göttingen 1902, *Der Brief an die Ephesier*, p. 2 s.

capite) (1) *ante mundi constitutionem* i. e. ab æterno *elegit nos* (ad gratiam justificationis, nempe) *ut essemus sancti* et omni culpa expertes coram ipso. 5 Videlicet *in charitate* (2) (sua immensa Deus) *prædestinavit* (3) *nos* ad hoc ut *per Jesum Christum* (Filium suum naturalem et Salvatorem nostrum) efficeremur *filii* ejus (4) *adoptivi secundum beneplacitum* (εὐδοκίαν) *voluntatis suæ* i. e. unice ex gratuita ac libera sua benevolentia erga nos, 6 ut (a nobis) laudaretur gloriosa manifestatio ejus gratuitæ erga nos benevolentiæ, per quam nos gratos et amicos (5) sibi reddidit *in dilecto Filio suo* (6) quocum uniti sumus). 7 Nam per hunc (dilectum Dei Filium (7), soluto pretio *sanguinis ejus*, *habemus redemptionem* seu liberationem (a captivitate dæmonis, peccati et mortis), nimirum *remissionem peccatorum* (8) (non ob nostra merita,

---

(1) *in ipso* (Christo): « Christus genus humanum reparandum et salvandum repræsentat, quemadmodum Adam personam gerit hominum lapsorum: adeoque quando Deus Christum ut mundi Salvatorem elegit, simul in eo omnes homines ad salutem elegit; etenim quantum in se fuit, voluit ut per Christum omnes salvarentur ». Cf. VAN STEENKISTE, *o. c.* in *h. l.*

(2) *In charitate* melius refertur ad προορίσας: *qui prædestinavit.* Ità S. J. CHRYSOSTOMUS et alii græci comment; S. HIERON. et plerique moderni: BEELEN, VAN STEENKISTE, CEULEMANS, ABBOTT, MEYER, HAUPT, etc. etc.

(3) *Prædestinavit. Prædestinatio* hic sequitur *electionem* (v. 3), licet in voluntate et decretis Dei, ubi nulla est successio temporis, sit logice prior. Cf, *Rom.* VIII, 30: *quos autem prædestinavit, hos et vocavit.*

(4) *In ipsum:* hæ voces jungendæ sunt cum: *adoptionem filiorum* = *in adoptionem filiorum Dei* seu in filios Dei adoptivos. Cf. ABBOTT, *o. c.*, p. 8 s.

(5) *Gratificavit nos:* ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς. Χαριτόω = gratia aliquem afficere, gratum reddere, et duplicem patitur sensum prout gratia seu benevolentia divina sumitur objective (in gratificante) vel subjective (in gratificato). Prior sensus (de genade met dewelke Hij ons bejegend heeft) contextui (v. 4, 5, 7) minus congruere videtur. Contra Protestantes fere omnes, cum plerisque Catholicis sensum subjectivum præferendum ducimus (de genade die Hij ons geschonken heeft).

(6) *Filio suo:* inspectis codicibus, manifeste apparet esse glossema (Cf. ABBOTT, *o. c*; — HAUPT, *o. c*, p. 13; — E. NESTLE, *Novum Test. græce*, Stuttgart 1901, p. 496); apte tamen sensum exprimit.

(7) Cf. *Col.* I, 4; *Rom.* III, 24.

(8) Verba *remissionem peccatorum* tanquam appositio naturam *redemptionis* pressius determinant.

sed) *secundum* abundantiam benevolentiæ seu gratiæ ejus erga nos, 8 quam abundare fecit (1) in nobis cum omnigena *scientia* rerum divinarum et prudentia agendorum (2) 9 Nimirum, *secundum beneplacitum ejus* (3) revelavit (γνωρίσας) nobis arcanum *suæ voluntatis* liberum decretum, *quod* apud se (reconditum) servaverat (4), 10 (intuens) *dispensationem* qua, *impleto tempore* (ab Ipso præfinito), *instauraret* seu ad unum caput in Christo sibi recolligeret universas creaturas *tùm quæ in cœlis, tùm quæ in terra sunt* (5). 11 (Et revera) propter Christum (a Deo) accepimus hæreditatem (scil. justificationem) nos (omnes (6) christiani) qui ad hoc *prædestinati* eramus ab æterno per decretum Dei, *qui operatur omnia secundum* liberam *suam voluntatem,* 12 ut laudetur et glorificetur Deus, (imprimis) a nobis (Judæo-christianis), *qui ante* vos (7) *speravimus in Christo.* 13-14 *In quo* Christo etiam *vos* (Ephesii, Ethnico-christiani), postquam audivistis prædicationem *veritatis* (seu *evangelium salutis vestræ) et credidistis, promissum Spiritum sanctum, qui est arrha* (8) cœlestis *hæreditatis nostræ,*

---

(1) *Abundare fecit* ἐπερίσσευσεν, quod verbum, cum Genitivo rei, sensu transitivo usurpatur a S. Paulo (cf. *II Cor.* IX, 8; *I Thes.* III, 12) = quam abundanter effudit in nos. Cf. GRIMM, *Lexicon græcolatinum N. T.*, Lipsiæ 1903, p 352.

(2) Duplex indicatur donum simul cum gratia omnibus christianis abundanter concessum. Cf. ABBOTT, *o. c.*, p. 14 s.

(3) Verba « *secundum beneplacitum ejus* » referimus ad *notum faceret,* vide v. 5.

(4) *Sacramentum* gr. μυστήριον significat hic rem olim absconditam, nunc vero patefactam. Cf. *Rom.* XVI, 25; *Col.* I, 26.

(5) *Instaurare* gr. ἀνακεφαλαιώσασθαι: sibi in unum recolligere, ad unum revocare. Christus autem est caput non tantum hominum, sed etiam juxta *Col.* II, 10 aliquo sensu Angelorum. Cf. CEULEMANS, *Comment. in Epp. S. Pauli*, Mechliniæ 1902, *h. l.*

(6) Dicta in hoc v. 13 in omnes christianos quadrant. Cf. tamen ABBOTT, *o. c.*, p. 20; — HAUPT, *o. c.*, p. 27 ss.

(7) Sc. jam olim, ante vestram conversionem facti sumus christiani. Alii intelligunt: *ante adventum Christi* speravimus in Christo.

(8) *Arrha* gr. ἀῤῥαβών, vox quæ a Phœnicibus ad Græcos transiisse videtur et ab his ad Latinos; non significat proprie pignus, quod resti-

accepistis, eoque tanquam sigillo obsignati estis, in ordine *ad redemptionem* completam possessionis (1) i. e. populi Deo proprii seu christianorum, ut (etiam a vobis) Deus laudetur et glorificetur.

III. **Doctrinæ de justificatione seu redemptione Eph. I, 3-14 summarium** (2).

A Paulo his vv. summatim recensentur omnia justificationis beneficia (v. 3) et compendium proponitur totius doctrinæ de redemptione. Est argumentum dogmaticum epistolæ.

a/ *Æterna* christianorum electio et prædestinatio ad justificationem (vv. 4-6);

b/ efficax eorum *in tempore* vocatio ad fidem ac justificatio (7-12);

c/ *futura* consummatio justificationis ac redemptionis (13-14).

Post singulas hujus hymni gratiarum actionis partes, officium inculcat Apostolus laudandi ac glorificandi Deum (6, 12, 14).

Exponitur autem justificationis ac redemptionis

1/ *Natura* seu *causa formalis:* complectitur omnigena bona spiritualia ac cœlestia (v. 3), in specie (positive) sanctitatem internam et (negative) absentiam omnis culpæ (4, 7), dona Spiritus Sancti (8, 13); adoptivam filiationem divinam (5) et amicitiam cum Deo (6), completam redemptionem in cœlis (14);

2/ *Causa efficiens:* voluntas Dei benevola, quæ com-

---

tuitur quando res ipsa traditur, sed pecuniam, quæ in emptionibus pignoris loco datur, ut totius pretii postea complendi fides fiat. Gall. arrhes; germ. Angeld; angl. earnest.

(1) Gr. εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως. Genitivus περ. (acquisitionis) objectum liberationis seu redemptionis exprimit. Cf. *Rom.* VIII, 23. περιποίησις (possessio) autem in N. T. designare videtur *possessionem* seu *peculium Dei* i. e. populum christianum, ecclesiam. Cf. (in textu græco) *Act.* XX. 28; *I Pet.* II, 9; coll. *Mal.* III, 17; *Is.* XLIII, 21. HAUPT, *o. c.*, p. 32.

(2) Cf. doctrinam de redemptione a S. Paulo propositam *Rom.* III, 23-26 *Coll. Brug.* 1903, p. 427 ss.

plectitur decretum incarnationis Christi (9, 10), prædestinationem christianorum (5), eorum electionem seu vocationem (11);

3/ *Causa meritoria:* merita Christi (3, 4, 5, 6, 7, 10, 11, 13);

4/ *Causa instrumentalis:* sanguis Christi (7);

5/ *Conditio sine qua non:* fides (12, 13);

6/ *Causa finalis:* gloria Dei (6, 12, 14);

7/ *Gratuitas* (5, 6, 7, 9, 11).

A. Camerlynck.

II

Q. *Solvatur sequens difficultas: peccatum originale consistit in carentia gratiæ sanctificantis; atqui Deus est auctor hujus carentiæ; ergo Deus est auctor peccati.*

R. Dist. Maj. peccatum originale consistit in *mera* carentia gratiæ sanctificantis, *nego;* peccatum originale consistit in carentia quæ est vera *privatio* et insuper *voluntaria* voluntate primi parentis, *Conc.*

Contrad. min. Deus est auctor hujus carentiæ h. e. est auctor *meræ* carentiæ quatenus *non influit* gratiam, *conc.;* est auctor hujus carentiæ quatenus hæc est *privatio* et *voluntaria*, *nego.*

Sub datis distinctionibus nego consequens et consequentiam.

Explicantur distinctiones. Jam sufficienter exposuimus cur mera carentia gratiæ non possit constituere *peccatum*, quippe quod duo complectitur, nempe deordinationem ab ultimo fine seu *carentiam debiti* ordinis et *voluntarietatem* (1); præterea declaravimus quomodo, in præsenti Providentiæ ordine carentia gratiæ in hominibus ex Adamo natis sit vera *privatio* et quidem *voluntaria*, voluntate scilicet primi parentis (2): quum

(1) Cf. Collat. Brug., T. VIII, p. 332; T. IX, pp. 374, 434.

(2) Cf. ibid. p. 433 et seq.

enim Deus in Adamo humanam naturam et consequenter omnes personas, quæ hanc naturam per naturalem generationem ex Adamo forent accepturæ, elevaverit gratiâ ad ordinem supernaturalem, quumque protoparens peccando amiserit gratiam *naturæ* collatam, ideo omnes ex Adamo naturaliter nati (nisi speciali gaudeant privilegio) carent supernaturali ordine ad Deum ipsis *debito* (et hæc est *privatio*), et hoc ordine privantur voluntate protoparentis in quo seminaliter continebantur, et inde illa privatio est *voluntaria*.

Ad Deum autem quod attinet, quotiescumque ex humana generandi facultate corpus organizatum ita paratur ut jam exigat animam rationalem tamquam ejus formam substantialem, Deus animam rationalem creat et corpori infundit. Quum autem *homo* sic constitutus careat gratia sanctificante quam *debuisset* habere propter elevationem *totius humanæ naturæ* in Adamo, et quia hæc privatio est *voluntaria* propter peccatum principii naturæ, ideo ille homo est vere *peccator*. Sed, uti apparet, ratio *peccati* hîc provenit ab homine tantum, et non a Deo. Sane si consideratur anima ut a Deo creata, hæc nondum est originalis peccati rea: nam licet hæc anima careat gratia, tamen hæc carentia non est privatio: non enim formaliter *animabus* destinaverat Deus gratiam, sed *naturæ humanæ* in Adamo, ideoque omnibus *hominibus,* qui naturali generatione ex Adamo nascerentur, debita erat gratia, et si hac jam carent homines, vere privantur. Igitur ex unione cum corpore, et non antea, anima constituitur privata gratiâ et hæc privatio ulterius est voluntaria ex voluntate primi parentis: ergo anima non incipit habere *peccatum* nisi quando et quatenus unitur corpori et infectio consequitur ipsam suppositi constitutionem (1).

---

(1) Ad rem BELLARMINUS: « Respondeo recte dici animam in corpore tamquam in vase vitiato corrumpi, non quod sit in carne positiva qualitas, ex qua rursus in anima qualitas alia oriatur; sed quod anima non

Deus autem creando et infundendo animam mere *permissive* se habet ad infectionem animæ per peccatum, quæ infectio provenit animæ ex unione ejus ad corpus, et ratio ultima hujus infectionis est Adami peccatum (1). Deus igitur non est auctor *peccati*. Rem exemplo illustrat S. BONAVENTURA: « Si promisissem alicui, quotcumque dolia faceret de aliqua arbore, implere ea vino; et radix illius arboris sic inficeretur ut omnia dolia, ex illa arbore facta, vinum inficerent, quod illis infunderetur: non esset culpa mei infundentis vinum in talia dolia, quia ego facio quod debeo et promisi; sed ejus culpa est, qui radicem arboris infecit et inepta dolia præparavit » (2).

Nota. Deus materiæ infundendo animam et sic *constituendo suppositum humanum,* animæ jam non infundit gratiam: *quia* humana natura, secundum ea quæ antea exposuimus, in Adamo peccante se voluntarie spoliavit supernaturali conversione ad Deum: hæc igitur non-infusio gratiæ est a parte Dei *pœna inflicta* (3): minime autem repugnat Deum esse auctorem *pœnæ*. Sed, quod bene est notandum, pœna importat alicujus *privationem*, et non mere carentiam, ideoque in homine absentia

---

incipiat habere peccatum, nisi cum infunditur corpori, tunc enim primùm incipit homo esse filius Adami. Siquidem anima, ut prius naturà intelligitur creari a Deo, nihil habet cum Adamo, ac per hoc non communicat ejus peccato, sed cum in corpore generato ex Adamo incipit habitare, et cum ipso corpore unum suppositum facere, tunc peccatum originis contrahit. » *De amissione gratiæ et statu peccati*, L. V, c 15, n. 29.

(1) Deus *permissive* se habet ad infectionem animæ, quatenus non mutaverit, occasione peccati, leges propagationis generis humani, sed voluerit ut servetur ordo naturæ. Hoc porro conveniens est Deo, ut explicat S. THOMAS: « Iste est ordo naturalis in rebus ut posteriori remoto id quod prius est remaneat, nec ad ejus remotionem tollatur..... Bonitas autem naturalis præexistit omni superadditæ bonitati, et acquisitæ et gratis collatæ; unde subtracta illa bonitate quam Deus humanæ naturæ gratis contulerat, scilicet originali justitia, non congruit ordini quem divina sapientia rebus instituit, ut aliquid eorum, quæ ad naturalem bonitatem pertinent, immutetur. » In II, D. XXXII, Q. II, a. 2.

(2) In II, D. XXXII, art. 3, Q. 2.

(3) Cf. COLLAT. BRUG., T. IX, p. 693.

gratiæ non habet rationem *pœnæ* nisi quatenus prius jam intelligatur ut *privatio* et ut *peccatum*.

Ad solutionem igitur difficultatis bene consideranda sunt sequentia: 1/ natura *prius* est animam creari a Deo, *posterius* infundi materiæ; 2/ anima, considerata ut a Deo creata, caret quidem gratià, sed hæc carentia ipsi non est *privatio;* anima vero materiæ infusa et carens gratià, hac vere *privatur:* hæc autem privatio est natura prius *peccatum*, posterius autem *pœna*. Vidimus autem cur Deus non sit auctor hujus *peccati*.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Circa circumstantias restitutionis quæritur*

1º/ *Cuinam et quomodo restituendum sit quando persona læsa incerta est vel penitus ignoratur?*

Prænota. 1/ In præsenti q. non loquimur de rebus inventis, quarum dominus ignoratur (1), sed de aliis rebus quomodolibet debitis adeoque restituendis, quorum dominus est *incertus* aut etiam *penitus ignotus*. Advertendum enim est dominum vel personam læsam posse absolute et simpliciter incertam esse, quando nempe penitus ignoratur, vel tantùm secundum quid, quando scil. dominus cognoscitur in confuso, i. e. quando constat alicui aut aliquibus ex determinatis personis esse restituendum, sed dubium manet cui aut quibus in particulari.

2/ Agitur de dubio vel ignorantia circa dominum, perseverante *post inquisitionem factam* cum diligentia rei gravitati proportionata: hic enim applicanda sunt quæ statuuntur de rebus inventis (2). Unde, si ea

(1) De iis enim agitur ubi de modis acquirendi dominii; in specie ubi de occupatione. Cf. Ills ac Revs Waffelaert, *Tract de Justitia*, Brugis 1885-86, T. I, p. 138 ss.

(2) *Ibid.* p. 144, n. 194 ss. Ille modus inquisitionis pendet a natura rei et a variis adjunctis temporis ac loci, uti liquet. Ex jure naturæ res ejusve pretium servari debet, quamdiu ex cursu rerum ordinario adhuc

inquisitione culpabiliter ommissa, res distrahatur, obligatio dominum læsum inquirendi nihilominus perseverat, eoque detecto, facienda est restitutio (1). Quodsi nonobstante inquisitione diligenti dubium remanet, casus juxta principia sequentia est solvendus.

R. I. *Si persona læsa est tantum* **aliquatenus incerta** *seu secundum quid, ob dubium inter plures personas determinatas, res inter dominos aut creditores dubios meliori quo potest modo dividatur: quia illorum quisque jus probabile ad rem habet.* — Hinc

1° Si certum sit aliquid deberi uni ex duobus, aut tribus, aut quatuor, et ignoretur cuinam præcise, res est illis in communi tradenda, ut proportione habita dubii, inter se compositionem seu transactionem faciant, vel rem ejusve pretium inter se dividendo, vel circa illam sortes mittendo, vel alio modo. Ità communiter doctores, ait Molina (Disp. 745 n. 2), qui merito observat, facta inter eos de communi consensu transactione, esto quod postea dominus certo comperiatur, reliquos non teneri illi reddere quod acceperunt, quia fuit veluti pretium juris dubii, quod alteri vendiderunt justo contractu aleatorio. — Si autem debitor propter periculum infamiæ, aliave de causa non possit id quod restituere debet sic in communi omnibus tradere, poterit ipse ex judicio viri prudentis eam inter omnes dividere secundum proportionem convenientem (2).

2° Si damnum illatum sit pluribus ex eadem civitate aut communitate, ut fieri quandoque contingit a mer-

---

probabilis spes vel moralis possibilitas dominum detegendi adest. Inspiciendæ sunt præterea dispositiones juris positivi. *Ibid.* n. 197 s.

(1) Supponendum etiam, si quis se dicat rei hujus incertæ dominum, non statim ei credendum esse, nisi id probet, vel verisimiles conjecturæ id persuadeant. Unde opportunum esse jam monuit Molina (D. 744 n. 3) rem non statim ostendere, sed manifestare tantum in specie. Alioquin si imprudentia vere culpabili alicui reddita fuisset et postea comparet verus dominus, resarciendum esset damnum ipsi illatum Cf. Carrière, *De Just. et Jure*, Parisiis 1839, T. III, n. 124 1.

(2) Ità Carrière, *o. c.*, n. 1243.

catoribus, adulterando merces aut diminuendo pondera vel mensuras, optimus restituendi modus erit ut, qui ità defraudavit restituat augendo pondus vel mensuram aut minuendo pretium, si ordinarii emptores sunt iidem qui damnum passi sunt vel eorum hæredes (1). In quantum vero emptores nunc alii sunt vel damnificatis hoc aliove modo restitui nequit, in tantum restituatur eo modo quo dicemus relate ad dominum penitus ignoratum.

Nota. Si res minoris est pretii aut tantus datur creditorum numerus ut singulis minimum quid obveniat, pretium ex præsumpto dominorum consensu pauperibus erogari potest (2). Si ipse restituens cæteroquin pauper sit, poterit sibi applicare saltem partim; dico saltem partim: quia periculum vitare debet injusti affectus.

II. *Si persona læsa est* **penitus ignota** 1/ *debitor ex delicto rem (vel pretium) erogare debet pauperibus vel causis piis;* 2/ *debitor inculpatus seu bonæ fidei cogi non potest ut eam tribuat pauperibus, nam probabiliter rem sibi servare potest: scil. rem mobilem qua inventam retinere potest, rem immobilem præscriptione potest acquirere.*

Quoad 1m/ *ratio* patet: nemo enim cum alterius injuria ditescere potest; unde res aliena vel pretium ejus, juxta communissimam sententiam (3), ex præsumpta domini voluntate, pauperibus est danda aut in alias pias causas eroganda. Hæc autem obligatio ex jure naturæ oriunda videtur (4). Non enim, ut quidam tenent, dici possunt

---

(1) Cf. CARRIÈRE, *l. c.*; — LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, Friburgi B. 1898, n 1019; — NOLDIN, *De Præceptis Dei et Eccl.* Œniponte 1904, n. 492.

(2) Cf. MARRES, *De Justitia*, Ruræmundæ, 1879 T. I, p. 302; — Ills ac Revs WAFFELAERT, *o. c.*, n. 331.

(3) Omnes A. A. qui de hac re tractaverunt hanc obligationem propugnant eamque clare docent, non tantum quando bona aliena injuste possidentur, sed etiam quando ex sola damnificatione injusta restituendum est, quanquam in assignando fonte hujus obligationis scriptores nonnihil dissident. Cf. LEHMKUHL, *o. c.*, n. 1022; — NOLDIN, *o. c.*, n. 491.

(4) Aliqui A. A. (LESSIUS, LAYMANN, SALMANT., S. ALPH., etc.) hanc obligationem repetunt ex *lege positiva canonica* quæ id expresse statuat de

derelicta (1) hæc bona, neque devolvuntur ad communitatem reipublicæ (2) cùm certò extet illorum dominus, licet ignoretur; ideoque cùm dominus jus suum non amittat, expendenda sunt juxta ejus præsumptam voluntatem. Recte autem præsumitur hanc esse voluntatem domini, ut bona ipsius ità erogentur ut in ejus utilitatem cedant: quod sane fit ea erogando in pauperes vel in alia opera pia.

Quoad 2m/. Ratio cur debitor inculpatus rem sibi retinere possit, est quia hujusmodi res jure merito rebus inventis assimilari posse videtur. Jamvero sententia tum intrinsece tum extrinsece probabilis, adeoque practice tuta (3), docet inventorem, dimissa spe probabili dominum inveniendi, juste ac licite de re inventa etiam in proprium commodum disponere posse (4). Hoc enim modo præsumptæ voluntati domini satisfieri vide-

---

usuris (C. 5, X, *de usur.*, V, 19) et de pretio simoniaco (C. 2, *eod. tit.*, VI°, V, 5), quam consuetudo consensusque Doctorum atque Jus gentium ex paritate rationis interpretata sint de omnibus debitis ex delicto ortis. Ità etiam Bucceroni *Institut. Theol. Mor.*, Romæ 1893, V. I, n. 1421; — Génicot, *Theol. Mor. Institut.* Lovanii 1896, V. I, n. 542. Neuter tamen Auctor argumentum confutat quod hîc in favorem juris naturæ adducimus: hunc esse fontem primarium obligationis omnino arbitramur. Nolumus tamen negare quod alii scriptores (ut Marres et Ills ac Revs Waffelaert, *ll. cc.*) asserunt: dictam obligationem ex jure positivo ecclesiastico *per analogiam comprobari.*

(1) Quo casu liberum esset cuique, etiam injusto possessori ea retinere jure occupationis Obstant autem æquitas et bonum publicum, quominus quis ex proprio delicto ditescat.

(2) Ità ut redeant ad statum in quo erant ante divisionem: quo casu iterum quilibet ea posset retinere jure occupationis: quod ne ipsi quidem adversarii admittent.

(3) Unde sententia S. Thomæ (*Summa Theol.* IIa IIæ, q. 62 a. 5 ad 3) aliorumque, juxta quam restitutio ab eo quoque facienda est pauperibus vel causis piis, qui rem alienam bona fide possidet, stricta obligatione imponi nequit; in praxi suaderi quidem potest, non tamen ut tutior — utraque enim est æque tuta practice — sed ut christianæ charitati ac beneficentiæ magis conveniens

(4) Cf. Marres, *o. c.*, p. 122 ss; — Ills ac Revs Waffelaert, *o c.*, n. 198; — Noldin, *o. c.*, n. 491; — Lehmkuhl, *o. c.*; 1022 s; — Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, V III (Prati 1890) p 330.

tur: rationabiliter nempe præsumi potest dominus velle rem amissam inventori concedere, ut curas rependat rei conservandæ dominoque inquirendo impensas. Nam si rem inventam necessario et ex justitia inventor pauperibus erogare deberet, omnia incommoda ipsi incumberent, nulloque homines stimulo ad rerum inventarum curam gerendam impellerentur. Quam sententiam homines etiam timorati practice confirmant, res inventas sibi servantes, eoque modo deperditionem, saltem possibilem, suorum bonorum compensantes.

Nota. 1/ Si ille, qui mala fide possidet seu ex delicto restituere debet domino ignoto, ipse sit vere pauper, ex sententia complurium Auctorum (1) rem, vel potius ejus partem (2) tanquam eleemosynam sibi retinere potest: etenim qua pauper non debet esse pejoris conditionis quam alii pauperes. Et hæc sententia videtur practice tuta (3).

2/ Si post dimissam spem probabilem domini inveniendi, ac debitam applicationem pauperibus factam dominus compareat, restituens in foro conscientiæ liberatur, non tamen semper ac quovis in casu coram foro civili (4), cujus sententiæ saltem ex obedientia obtemperandum esset.

---

(1) Lessius, *De Just. et Jure*, L. II, c. 14, n. 41 s.; — de Lugo, *De Just. et Jure*, D. VI, n. 148; — Gousset, *Théol. Mor.*, Paris-Lyon 1844, T. I, n. 704 s.; — Marres, *o. c.*, p. 302; — Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, T. II, n. 322; — Génicot, *o. c.*, n. 542; — Lehmkuhl, *o. c.*, n. 1023; — Noldin, *o. c.*, n. 491; — Bucceroni, *o. c.*, n. 1421; — Ballerini-Palmieri, *l. c.*; — Theol. Mechl. *Tract. de Jure et Just. et de Contr.* 1896, p. 98.

(2) Ne scil. ad rem delicto possessam injustum retineat affectum.

(3) Quamvis, nostro judicio, non omni difficultate careat. Etenim, licet talis titulo paupertatis recipiat, nonne injuriam facienti aliquis favor attribui videtur? Nonne contra æquitatem ex proprio delicto ditescere videtur?

(4) Cf. Carrière *o. c.*, n. 1247; — Marres et Ills ac Revs Waffelaert, *ll. cc.*

IV

Q. 2°/ *Qua loco, cujus expensis et periculo* (1) *restitutio sit facienda?*

R. Ut quæstio rite solvatur, inter duas restitutionis radices (2) distinguere oportet:

I. **Debitor inculpatus** (seu titulo rei acceptæ) *restituere debet in loco quo rem in se vel in æquivalenti possidet, et si alio est mittenda id fit expensis et periculo ipsius creditoris seu domini.* Ità omnes theologi. — *Ratio* est quia possessor, cùm nullius culpæ reus sit, neque ullo contractu ligetur, permittere tantum debet ut dominus rem suam accipiat; adeoque æquum non est ut ipse possessor occasione restitutionis ullum damnum patiatur. Quemadmodum igitur repetere potest impensas pro rei conservatione (3) factas, ità et eas quæ fiunt in illius restitutione. Pariter si res restituenda pereat, antequam ad dominum pervenerit, cùm supponatur absque culpa (4) possessoris perire, domino suo perit.

Nota tamen 1/ charitas (5) nonnunquam præcipit ut domini voluntas exquiratur, ne aut nimias aut inutiles expensas facere cogatur, eo vel magis quod pretium rei minimis expensis hodiedum quovis terrarum mitti valeat.

---

(1) Hæc tria simul conjunguntur quia ordinarie ratione loci expensæ faciendæ veniunt, sicut ratione loci periculum oritur ne res restituenda pereat antequam ad dominum pervenerit.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. II, p. 514 s.

(3) Sicut impensas usufructuarias factas ad comparandos fructus nondum perceptos, necnon impensas proprie utiles in quantum pro domino valor rei revera adauctus fuit. Cf. *Collat. Brug.* II, p. 517.

(4) Nam, restituendi obligatio maneret si restituens culpabili negligentia causa fuerit cur res perierit. Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *De Justitia*, Brugis, 1885-86, T. II, n. 334.

(5) Non justitia, nisi quis ideo expensas faciat ut noceat creditori, neque sola prudentia (uti tenere videtur MARRES, *De Justitia*, Ruræmundæ, 1879, T. I, p. 304): agere enim sine debita prudentia non est in se speciale peccatum imprudentiæ, sed generaliter invenitur in quolibet vitio et ab ipso specificatur. Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *Tract. de Prud. Temp. et Fort.*, Brugis 1889, p. 35 s.

2/ Si possessor sit in mora culpabili rem restituendi, jam fit debitor ex delicto, cui applicanda sunt statim dicenda.

II. **Debitor ex delicto** (possessor malæ fidei aut injustus damnificator) *in loco ubi dominus rem possideret si ablata non fuisset, restituere debet idque tùm propriis expensis (deductis utique quas ipse dominus fecisset), tùm proprio periculo donec res in manus domini deveniat, vel periculum dominus ipse in se suscipiat.* Ità nunc communiter theologi. — *Ratio* est quia dominus debet omnino servari indemnis, perinde ac si delictum non præcessisset. Unde possessor debet subire expensas, saltem quas dominus facturus non fuisset, et ad hoc tenetur non solùm quando debitor culpabilis rem alio transmisit, sed etiam quando dominus ipse alio migravit, et rem suam secum asportasset si apud ipsum mansisset.

Æquum tamen est ut deducere possit expensas quas dominus fecisset, quia hic ex alieno delicto vel aliena industria ditescere non potest. Denique debitor ex delicto rei restituendæ periculum subit: donec enim res ejusve pretium in manus domini non devenit, non est facta restitutio. Dominus tamen periculum ipse in se suscipere potest, v. g. per procuratorem rem suscipiendo, viam aptam restituendi designando aut eligendam concedendo. Pariter liberatur debitor, qui viam in jure sibi præscriptam adhibuit (1).

Nota. Si forent expensæ majores quam fert ipsa res, liceret restitutionem differre, vel potius ex præsumpta domini voluntate rei pretium transmittere (2).

---

(1) Ità communiter Doctores, quos affert et sequitur MARRES, *o. c.*, p. 305.

(2) Quod cùm hodie per publicos cursores (mandat postal, postwissel) facillime in universum pene terrarum orbem mitti valeat, inutile jam est inquirere cum antiquis theologis (Cf. DE LUGO, *De Just. et Jure*, Disp. XX, n. 185) quanto creditoris damno hujus obligatio tollatur. Cf. MARRES, *o. c*, p. 304; — Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *De Justitia, l. c.*; THEOL. MECHL. *Tract. de Jure et Just. et de Contr.* 1896, p. 92.

V

Q. 3°/ *Quandonam sit restituendum; utrum et quando adsit obligatio restituendi damna ex dilatione orta?*

R. ad I. *Restituendi præceptum* (sive oriatur ex re accepta, sive ex injusta acceptione) *urget in voto statim,* ità ut statim peccatum contrahat ille qui, advertens se restitutioni esse obnoxium, non habet intentionem (1) restituendi; *obligat in re ipsa quamprimùm moraliter fieri potest*, ita ut restitutionem differens peccet, nisi adsit justa dilationis causa (2). — *Ratio* est quia rei alienæ, invito rationabiliter domino, detentio est injuriæ continuatio: « detinere id quod alteri debetur, ait S. Thomas (3), eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta ». Atverò detentio rei alienæ est tantum injusta dum illa detinetur *domino rationabiliter invito.* Unde quotiescumque dominus rationabiliter consentire debet quod restitutio differatur vel omittatur, potest differri vel omitti, licet de facto dominus sit invitus (4).

R. ad II. Distinguendum est ex quoniam titulo oriatur obligatio restituendi:

1° **Debitor inculpatus** *damna ex dilatione orta non tenetur reparare, nisi ipsa dilatio fuerit vere injuriosa*, seu causa injusta efficax et culpabilis detrimenti creditoris (5). Etenim, excepta hac ultima hypothesi, nulla occurrit quoad damnum radix restitutionis, nec titulus rei acceptæ, nec injustæ acceptionis.

2° **Debitor ex delicto** a/ *tenetur ad omnia damna,*

---

(1) Istud peccatum multiplicari potest, quoties nempe intentio vere mutatur, vel alio modo moraliter interrumpitur juxta principia de distinctione numerica peccatorum. Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *De Justitia*, Brugis 1885-86, T. II, n. 229.

(2) De causis dilationem restitutionis excusantibus, Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *o. c.*, n. 348 ss.

(3) *Summa theol*, IIa IIæ, q. 66, art. 3, ad 2.

(4) Cf. BILLUART, *De Jure et Justitia*, Diss. VIII, art. 20.

(5) Cf. *infrà* resp. III, mensis Aprilis.

saltem confuse prævisa reparanda, quamvis ipsa dilatio sit inculpabilis, puta ex oblivione orta. — *Ratio* est quia, licet dilatio in se non sit culpabilis, talis tamen fuit in radice sc. in injustitia prius commissa et formaliter culpabili. Dicitur tamen: *damna saltem confuse prævisa:* non enim, uti patet, intelliguntur damna plane extraordinaria, quæ nemo suspicari potuisset eventura e delicto non reparato: hujusmodi damnorum debitor non potuit esse causa culpabilis. Sufficit tamen prævisa fuerint *in confuso*, neque requiritur ad inducendam obligationem reparandi ut in specie prævisa fuerint: alioquin vix unquam damnum reparandum foret, cùm prævisio hujusmodi supponat cognitionem valde specialem plurium adjunctorum, v. g. status fortunæ illius qui læsus est. Unde si agatur de damno quod non excedat genus eorum quæ plerumque solent accidere, imputabitur, quia potuit prævideri saltem in genere et in confuso (1).

b/ *Debitor ex delicto non tenetur reparare damna ex dilatione orta, si restitutionem distulit in gratiam creditoris, vel etiam — ex sententia saltem probabili — si eam distulit ex alia legitima causa.* — *Ratio* est quia creditor seu dominus in dilationem ex quavis legitima causa factam, et proinde etiam in hujusmodi dilationis effectus rationabiliter consentire debet (2). Cui sententiæ, licet plures antiqui theologi (3) et recentiores quidam contradicant (4), multi auctores, præsertim moderni, aperte favent (5). Unde practice tuta apparet.

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. Carrière, *De Justitia et Jure*, Parisiis 1839, T. III, n. 1262.

(2) Quæ ratio confutat argumenta a quibusdam theologis (ità Molina, *Disp.* 735; — de Lugo, *De Justitia et Jure*, Disp. XXI, n. 17) in contrarium allata.

(3) Molina, Laymann, de Lugo, Lessius, etc.

(4) Carrière, *o. c.*, n. 1262; — Lehmkuhl, *Theol. Moralis*, Friburgi B. 1898, V. I, n. 1032; — Aertnys, *Theol. Mor.*, Tornaci 1890, T. I, n. 351.

(5) Ita Navarrus, Diana aliique quos affert La Croix, *Theol. Mor.*,

VI

Q. *Prouvez que les fabriques d'églises ont capacité d'acquérir de nouveaux presbytères.*

R. Avec la généralité des auteurs (1), nous admettons que concurremment avec les communes, les fabriques sont directement compétentes pour acquérir de nouveaux presbytères.

Nous en trouvons la preuve dans le principe même de leur capacité, dans la législation spéciale qui les régit, comme dans les documents de jurisprudence.

1° *La compétence* d'un établissement est déterminée par la mission propre que la loi lui attribue ou lui reconnait. Or, la fabrique étant le personnification civile du culte dans sa partie matérielle, sa mission est générale, elle s'étend à tout ce qui se rattache au service

---

Lib. III, Part. II, n. 252; — GOUSSET, *Le code civil commenté*, Paris 1844, ad art. 1151, 1153; — MARRES, *De Justitia et Jure*, Ruræmundæ 1879, T. I, p. 315; — Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *o. c.*, n. 336; — D'ANNIBALE, *Summula Theol. Mor.*, Romæ 1896, Pars II, n. 226; — BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol. mor.*, Prati, Vol. III (1890) n. 359; — GÉNICOT, *Theol. Mor. Instit.*, Lovanii 1896, Vol. I, n. 546; — BUCCERONI, *Instit. Theol. Mor.*, Romæ 1893, Vol. I, n. 1458; — NOLDIN, *De Præceptis Dei et Ecclesia*, Œniponte 1904, n. 503; — HAINE, *Theol. Mor. Elem.*, Lovanii 1894, T. II. p. 145. Probabilitatem hujus benignioris sententiæ pariter admittere videtur THEOL. MECHL. *Tract. de Jure et Just. et de Contr.*, 1896, p. 96.

(1) DE FOOZ, *Le droit administratif belge*, T. IV, p. 544, Tournai, 1866; BERNIMOLIN, *Les institutions provinciales et communales de la Belgique*, 2 vol., T. II, p. 418, Bruxelles, 1892; DE CORSWAREM, *Uitlegging der wetten en dekreten over de Kerkfabrieken*, n° 22, p. 24; n° 395, p. 412; n° 437, p. 452, Hasselt, 1894; du même auteur, *Fabriques d'églises*, n° 151, p. 183 ss., Hasselt, 1904; MOULART, *Des Fabriques d'églises*, 9e éd., p. 140 ss., Louvain, 1899; WILLIQUET, *Commentaire pratique de la loi communale*, 2e éd., n° 1655, p. 365; n° 1664, p. 366, Frameries, 1900; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, 7a ed., T. II, n° 970, p. 274; n° 1063, p. 351; *Revue de l'administration*, 1885, T. XXXII, p. 80; 1895, T. XLIII, p. 291; 1903, T. L, p. 398; *Het Vlaamsch Bestuur*, 1898, T. IX, p. 312; *Rev. cath. de droit*, 1901-1902, T. IV, p. 94, 317; 1902-1903, T. V, p. 231 etc., *Coll. Brug.*, 1898, T. III, p. 215; 1900, T. V, p. 578 ss., etc.

du culte. Par conséquent, elle est, en vue de ce service de la société religieuse, apte à posséder, à acquérir et à accepter toute libéralité qui aurait pour but d'assurer l'exercice du culte et le maintien de sa dignité (1).

Or le logement du clergé paroissial a un rapport évident avec l'exercice et la dignité du culte; bien plus il est une charge du culte. « On doit, disait Portalis, la subsistance aux ministres des cultes; celui qui travaille à l'autel, doit vivre de l'autel; conséquemment on leur doit le logement, que les jurisconsultes ont toujours regardé comme si nécessaire, qu'ils le réputent compris sous le mot aliments ». (2) Le presbytère doit être considéré comme un supplément de traitement.

2° *La législation spéciale des fabriques* confirme ces considérations :

a/ D'après l'art. 73 de la loi du 18 Germinal an X, les fondations faites en faveur des fabriques peuvent avoir pour objet *l'entretien des ministres* et l'exercice du culte.

b/ La restitution aux fabriques (3), des anciens presbytères non aliénés pendant la révolution, supposait cette capacité et au besoin l'aurait conférée à ces établissements.

c/ Le décret du 30 Mai 1806, art. 4, dit formellement que le produit de la location ou de l'aliénation des anciennes églises supprimées et attribuées aux fabriques « sera employé *à l'acquisition de presbytères* ou de toute autre manière, aux dépenses du logement des curés et desservants ».

---

(1) MOULART, *o. c.*, p. 108 ; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n° 970, p. 274 ; VAN MESSEM, *Des dons et legs en faveur des fabriques d'églises* dans la *Rev. cath. de dr.*, 1902-1903, T. V, p. 193 ss.; *Coll. Brug.*, 1904, T. IX, 638.

(2) Rapport sur les articles organiques ap. DE CHAMPEAUX, *Droit civil ecclésiastique*, 2 vol , T. II, p. 290, Paris.

(3) a. 72 de la loi de Germinal an X; a. 1 du décret du 7 Thermidor an XI.

d) Le décret de 1809 n'a pas enlevé cette compétence (1), aux administrations fabriciennes, au contraire il la suppose. Conformément à l'art. 37, 4°, une des charges de la fabrique est de veiller à l'entretien des églises, *presbytères* et cimetières et, en cas d'insuffisance de ses revenus, de faire toutes les diligences nécessaires pour qu'il soit pourvu *aux réparations et reconstructions*. Si la fabrique peut reconstruire totalement un presbytère, pourquoi ne pourrait-elle pas en acquérir un? Si elle a les charges d'un propiétaire, pourquoi n'en aurait-elle point les droits? Et l'on ne peut arguer du silence du décret quant au premier établissement des presbytères; car, ou bien, il existait dans les paroisses, des presbytères restitués ou attribués aux fabriques, ou bien, le manque de ressources de ces administrations, leur rendait ce premier établissement impossible. (2)

3° Aussi une *jurisprudence* ancienne, abandonnée seulement pendant quelques années, a-t-elle reconnu le principe que les fabriques sont aptes à posséder et à acquérir de nouveaux presbytères et à recevoir des libéralités à cet effet. Jusqu'en 1865 il n'existait aucun doute quant à ce point. (3) Mais l'arrêt de Cassation du 23 décembre 1865 ayant jugé que les communes étaient seules tenues, à l'exclusion des fabriques, de fournir au curé ou au desservant un presbytère ou un logement, la doctrine et l'administration en conclurent à la compétence exclusive des communes pour acquérir des maisons presbytérales. (4)

---

(1) Cassation, 28 Mars 1878 (*Pas.*, 1878, I, 149).

(2) MOULART, *o. c.*, p. 141-142; Exposé des motifs du Décret de 1809. *le Mémorial*, 1870, T. XIV, p. 500 ss.

(3) Voir une note peu suspecte de M. Lentz, directeur général des cultes en date du 1er Septembre 1876 ap. CIRON, *Dictionnaire du droit administratif*, 3 vol., v° *Fabrique*, n° 60, p. 73, Bruxelles, 1895.

(4) Dépêche ministérielle de Bara au gouverneur de Liége, du 31 Août 1869, voir CIRON, *l. c.*; plusieurs arrêtés royaux, voir *Coll. Brug.* 1900, T. V, p. 579; Cour de Liége, 29 Mai 1889, voir *Pas.*, 1889, II, 303; cf. DE COESWAREM, *Fabriques d'églises*, p. 184-185. En sens contraire, on

Cette jurisprudence a été justement révoquée par les circulaires ministérielles de MM. Woeste et Devolder, du 3 Septembre 1884 et du 15 Mai 1885, que suivirent généralement la pratique administrative et les décisions judiciaires. La jurisprudence récente est entièrement favorable à la capacité des fabriques (1) et les subsides que le Gouvernement donne régulièrement aux administrations fabriciennes pour la construction de maisons presbytérales, leur sont donnés, à titre de contribution à l'établissement de véritables presbytères (2). On oppose à cette doctrine, le principe de la spécialité des services, suivant lequel la compétence des établissements publics, est limitée à l'objet propre que la loi leur assigne. Or dit-on, la loi assigne à la commune seule, l'obligation principale de fournir le presbytère. Donc elle seule a le droit d'y affecter ses deniers et de recevoir les libéralités destinées à ce service public. (3)

La critique de ce principe a été faite. (4) Mais même

---

peut citer un arrêt de la cour d'appel de Bruxelles, 3 Avril 1876 (*Pas.*, II, 157); un arrêt de Cassation, 28 Mars 1878 (*Pas.*, I, 149).

(1) *Coll. Brug.*, III, 215, note (1); V, p. 580, note; *Rev. cath. de droit.*, V, 232, note (2); ar. roy. 15 Déc. 1903 (*Moniteur*, p. 6197-6198); 31 Mars 1904 (*Moniteur*, p. 1740-1741); 19 Avril 1904 (*ibid.*, p. 2047; *Coll. Brug.*, IX, p. 591); 9 Août 1904 (*Moniteur*, p. 4180-4181); Tribunal civ. de Bruxelles, 17 Juillet 1903 (*Pas.*, 1904, III, 82-84; *Rev. cath. de droit*, VI, p. 359-364); Tribunal civil de Bruxelles, 6 Février 1904 (*Pas.*, 1904, III, p. 108-110). De même il a été jugé que la fabrique peut par voie de prescription, acquérir la propriété d'un presbytère, cf. DE CORSWAREM, *o. c.*, p. 185, nº 154; *Rev. cath. de droit*, VII, p. 170; Tribunal civil de Mons, 1er Mars 1901 et Cour de Bruxelles, 18 Mars 1903 (*Pas.* 1903, II, 314; *Rev. cath. de droit*, VI, p. 92).

(2) *Rev. cath. de droit*, IV, p. 95; cf. l'ar. roy. cité du 9 Août 1904, par lequel le Gouvernement accorde aux fabriques des églises du Bizet (commune de Ploegsteert) et de Woesten, des subsides pour la construction de presbytères.

(3) WILLIQUET, *o. c.*, nº 486, p. 113; GIRON, *o. et l. c.*; BRIXHE, *Dictionnaire des fabriques d'églises*, 2e édit., vº *Presbytère*, nº 2, p. 490; LENIZ, *Des dons et legs en faveur des établissements publics*, 2 vol., T. I, nº 266, Bruxelles 1882.

(4) *Coll. Brug.*, V, p. 579-531.

si on s'y ralliait, la question de compétence ne serait point tranchée. Il faudrait prouver que l'acquisition de ces édifices du culte ne rentre point dans la mission propre que la loi reconnait aux fabriques. Or la preuve du contraire est péremptoire. Et ici la distinction entre dépenses facultatives et obligatoires est inopérante pour nier le droit des fabriques. Quelque soit en effet, la cause de l'obligation principale des communes, il s'agit seulement de savoir si cette dépense facultative favorise l'exercice du culte paroissial, dans une de ses légitimes manifestations. D'ailleurs, ce qui ne vaut pas en matière civile pour les communes, bureaux de bienfaisance etc. autorisés tous les jours à accepter des libéralités pour des dépenses facultatives, ne vaut pas plus pour les fabriques, dont la compétence pour tout ce qui regarde les intérêts temporels du culte est générale (1).

A. De Meester.

(1) Van Messem, *l. c.*, p. 194-197.

Le liber memorialis
des églises du diocèse de Bruges.

(Voir plus haut, T. X, pp. 58 ss.)

—

QUESTIONNAIRE-PROGRAMME *(suite)*.

—

Chap. II. — Le personnel administratif et la population.

28. *Clergé*. Donner par ordre chronologique la série des curés, vicaires, chapelains. — Liste ancienne s'il en existe, la contrôler ou la compléter si possible. — *Clergé actuel:* noms, prénoms, dates de naissance, d'ordination, de nomination, de promotion, de décès. — Ajouter si l'on veut d'autres détails sur leur *curriculum vitæ* ou leur activité. — Insérer souvenirs d'ordination, d'installation, de jubilés, de décès, portraits, etc.

29. On peut faire de même pour les *sacristains* et principaux employés de l'église.

30. *Marguilliers*. Composition du bureau et du conseil de la fabrique. — Usages spéciaux concernant le lieu et la tenue des réunions et le choix des marguilliers.

31. Item, si l'on veut, pour l'administration communale, le bureau de bienfaisance, la commission des hospices, etc.

32. *Biographie*. Faire connaître avec les détails intéressants, les personnages remarquables, religieux, militaires, savants, artistes, magistrats, qui sont nés dans la localité ou qui y ont vécu dans ces derniers temps.

33. *Population*. Population globale d'après le dernier recensement — nombre de foyers ou de familles. Population catholique et dissidente (indication des diver-

ses sectes: stévenistes, luthériens, etc.) Nombre de communiants, population scolaire. Accroissement ou diminution: causes.

Inscrire annuellement le nombre de baptêmes, premières communions (garçons-filles), confirmations, mariages, décès, communions distribuées, etc.

On pourrait utilement réserver à cet effet, une page du registre, divisée en autant de colonnes qu'il y a mentions annuelles à faire.

Chap. III. — Culte et vie spirituelle.

34. Indiquer *avec détails pratiques* l'organisation du service religieux ordinaire du dimanche, des fêtes abrogées, de la semaine: messes, vêpres, salut, prédication, catéchisme, rosaire, chemin de la croix, etc.: horaire, attributions des divers membres du clergé, organisation du chant.

35. Item pour les cérémonies ou solennités spéciales *dans le cours de l'année ecclésiastique:* avent, fête de Ste Cécile, de St Hubert, de l'Immaculée Conception, missa aurea (Messiasmisse, guldenmisse, daaldersmisse), jours des antiennes O, Noël (horaire des messes, crèche, chant de Noël), nouvel an, Epiphanie (sonnerie spéciale ex: Wulpen, Sweveghem; procession avec itinéraire renversé), quinquagésime (prière de quarante heures), Cendres, Carême, chemin de la croix (particularités: p. ex. à Furnes), stations du carême, bénédiction des rameaux, Semaine Sainte (reposoir, mandatum, adoration de la croix, chandelier pascal, bénédiction des fonts baptismaux), Pâques, Pentecôte, Fête-Dieu, etc.

Processions de la Fête-Dieu, de l'Assomption, mensuelles, extraordinaires (Moorslede).

Adoration perpétuelle.

Missions et retraites: données par qui? quand? communions distribuées, cérémonies spéciales, fruits constatés.

Mois de S. Joseph, de la Ste Vierge, du S. Cœur, du Rosaire.

Premier vendredi du mois.

36. Item usages particuliers ou organisation de l'administration des sacrements et sacramentaux.

Enterrements et services funèbres.

37. *Culte des saints* spécialement honorés dans la paroisse. Patron de la paroisse ou titulaire de l'église. Grouper sommairement ce qui se rapporte à son culte: statue, confrérie, jour de fête et octave, triduum ou neuvaine, services religieux, pèlerinage, culte de ses reliques, etc.

38. Y a-t-il d'autres Saints spécialement vénérés? Depuis quand? Y a-t-il une statue miraculeuse, ancienne? Est-elle en pierre, en bois, habillée? Noter les signes iconographiques spéciaux ou les particularités: visage noir, égratignures, membres contournés? Rapporter les faits historiques ou légendes populaires qui s'y rattachent. Y vient-on en pèlerinage? Dans quel but le Saint est-il surtout invoqué? Y a-t-il des usages particuliers dans la manière de le vénérer: faire le tour de l'église, de la statue, génuflexions spéciales? Fait-on bénir des pains, des fils, d'autres objets: les décrire s'ils ont une forme spéciale. Donne-t-on des médailles, images, petits drapeaux, prières, litanies, notices ou vies du Saint: en conserver un spécimen ou insérer un exemplaire. Y a-t-il des faveurs extraordinaires qui ont été accordées?

39. Y a-t-il, le long du chemin, au coin des rues ou des bois, des croix, des statues, des chapelles qui sont l'objet d'une dévotion particulière? ou auxquels se rapportent des usages spéciaux (Bruges: pestschilderij)? Y a-t-il des confréries qui s'y rattachent? Existe-t-il des vestiges d'anciens chemins de croix (Dadizeele, Furnes, Ardoye) ou des stations des Sept Douleurs (Caster, Wercken)?

Bénédictions spéciales à la paroisse: de puits (Wulpen), de roses (Poperinghe), de la mer, etc.

40. *Pratique religieuse et morale des paroissiens.*

Fréquentation de la messe, du salut, des vêpres, le dimanche et pendant la semaine; diligence à faire baptiser sans délai les enfants, à recevoir la confirmation; confession et communion pascale et plus ou moins fréquente, réception des derniers sacrements.

Manière de participer aux solemnités et fêtes mentionnées plus haut (1). Dévotions populaires: à telle Vierge, à S. Antoine, etc. Prières du soir et du matin — en commun — chapelet. Observation du dimanche.

Usages ou pratiques spéciales p. ex. se signer à l'église quand l'heure sonne; signer le pain, les semailles; eau bénite en temps d'orage en récitant l'évangile de S. Jean; usage des objets bénits: rameaux, cierges, roses, etc.

Instruction religieuse ou ignorance — lecture de livres et de journaux.

Pratiques superstitieuses: gebed van Keizer Karel.

41. Moralité: ivrognerie — inconduite — naissances illégitimes — divorces — suicides.

N. B. Indiquer autant que possible les causes, les obstacles, les remèdes employés, les résultats obtenus.

Chap. IV. — Institutions et associations.

Les grouper autant que possible d'après leur but principal:

42. *De piété:* confréries et sodalités: du St-Sacrement, Sacré Cœur, Ste-Barbe, St-Antoine; congrégations de la Ste-Vierge pour jeunes gens et jeunes filles; association de la Ste-Famille, de St-François-Xavier; Tiers-Ordre, etc.

Il est très important de conserver soigneusement, de transcrire ou du moins de prendre note des lettres d'érection canonique, d'agrégation, de concession d'indulgences, etc. Ces documents se perdent facilement.

---

(1) On peut exposer ceci, si l'on veut, aux nn 35 ss.

43. *De charité:* conférence de St-Vincent de Paul; Dames de miséricorde; hospice de vieillards; hôpital.

44. *D'enseignement :* écoles gardiennes, primaires, moyennes, dominicales, d'adultes (libres, subsidiées, adoptées, patronnées, officielles) — professionnelles, dentellières; sociétés littéraires, artistiques, historiques, sociales, chambres de réthorique.

Bibliothèques populaires ou de sociétés.

45. *De préservation morale:* sociétés de tempérance, de secours mutuel, d'épargne, de crédit, de maisons ouvrières.

Associations agricoles, professionnelles.

Sociétés politiques, jeunes gardes.

Sociétés d'agrément.

46. *Couvents* (1), d'hommes ou de femmes, indépendants de la paroisse (Trappistes, Capucins, Bénédictins, Carmélites, etc.). Leur activité, leur influence sur la population.

N. B. Donner au sujet de ces diverses institutions et œuvres une notice plus ou moins développée d'après l'importance de chacune d'elles: but, fondateurs, mode de direction, emploi des revenus, points principaux du règlement, faits importants, résultats obtenus, prospérité et décadence.

S'attacher surtout à ce qui ne sera pas noté dans les registres particuliers de chaque association, et à ce qui offre un intérêt particulier pour l'administration générale de la paroisse.

Recueillir les documents, rapports, souvenirs, etc. qui ne seraient pas conservés dans les archives de ces œuvres ou dont on peut facilement se procurer un exemplaire en double.

Chap. V. — Vie sociale.

47. Particularités concernant la vie ordinaire, les

1) A moins qu'ils ne soient renseignés aux nn. 25 ou 44.

habitudes, les coutumes locales, les amusements populaires, les traditions de la localité. Ex: chants de Noël, étoile des trois Rois, « Godsdeel », fêtes de St-Nicolas, de St-Martin, feux de la St-Pierre ou St-Jean, arbre de Mai et autres usages se rattachant au premier Mai, fête de la moisson, etc., etc.

48. Particularités concernant les conditions sociales et économiques : nature des travaux, agriculture, commerce, industries, émigration ou immigration; accummulation ou division des propriétés, etc.

Noter soigneusement l'influence des modifications économiques sur la situation morale et religieuse. Ex: organisation d'une station balnéaire; développement de la grande industrie; fabrique où travaillent les deux sexes; nombreux ouvriers allant travailler à la ville voisine ou en France; nouvelles voies de communications rapides, etc.

DEUXIÈME SECTION : ANNALES.

—

Rapporter, p. ex. depuis 1900, année par année avec la date précise, les faits uniques et plus ou moins extraordinaires ou marquants qui se produisent. P. ex.: visites épiscopales ou décanales; jubilés (ex: du cinquantenaire de la proclamation du dogme de l'Immaculée Conception, d'une congrégation, d'un curé, etc.); services funèbres extraordinaires (pour le pape, évêque); installation du curé, bourgmestre, réception d'un grand personnage; calamités publiques, épidémies, inondations, incendies, etc.; les faits de la politique locale ou le contre-coup des événements politiques plus généraux; tous les faits qui méritent d'être notés et qu'on trouverait difficilement à classer dans la partie spéciale.

On peut encore enregistrer, dans les annales, des faits, des changements qui se rapportent à l'une ou l'autre division de l'histoire spéciale, mais qu'on préfère

réserver pour les annales à cause du manque de place, en raison de la nature particulière du fait, ou pour tout autre motif. Ex : restauration ou changement de l'église, acquisition de nouveaux meubles ; organisation nouvelle d'une œuvre, fêtes d'une association, etc., etc.

C. CALLEWAERT.

E Secretaria Brevium

Conceditur indulg. 300 dierum recitantibus mane et vespere ter Salutationem Angelicam cum invocatione « PER TUAM ETC. » ad impetrandam castitatem.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

S. Alphonsus Maria de Ligorio non solum strenuus extitit defensor Immaculatæ Conceptionis B. M. V., sed etiam fuit promotor indefessus cultus erga B^mam^ Virginem sine labe conceptam, et præsertim promovit inter fideles praxim quotidie recitandi mane et vespere ter Salutationem Angelicam addendo cuique earum hanc invocationem « *per tuam Immaculatam Conceptionem, o Maria, redde purum corpus meum et sanctam animam meam* », asserens hujusmodi exercitationem efficacem esse ad castitatem servandam contra diabolicos incursus. Jamvero quinquagesimo imminente anno, ex quo Pius IX Prædecessor Noster rec. mem. B^mam^ Deiparam ab originali labe immunem declaravit, peropportunum existimavimus laudabilem Alphonsi praxim christiano populo commendare, atque ut inde uberiores fructus percipiantur, cœlestes etiam Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem Nobis tradidit Altissimus, reserare statuimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Ap^lorum^ Ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti ter Salutationem Angelicam, addita cuilibet Salutationi supradicta invocatione, sive mane sive vespere devote recitaverint, tam mane quam vespere tercentum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus; quas pœnitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris

temporibus valituris. Præcipimus autem, ut præsentium Litterarum (quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ deferatur, juxta Decretum ab eadem Congregatione sub die XIX Januarii MDCCLVI latum et a rec. mem. Benedicto XIV Prædecessore Nostro die XXVIII ejusdem mensis adprobatum. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die V Decembris MCMIV. Pontificatus Nostri anno secundo.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

Præsentium Litterarum exemplar delatum fuit ad hanc Secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ. In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex eadem Secretaria, die 6 Decembris 1904.

L. ✠ S.

JOSEPHUS M. Can^cus^ COSELLI, *Substitutus.*

Indulgentiæ noviter concessæ

Præmittimus decretum augens *potestatem concedendi indulgentias.* Decreto np. S. C. Indulg. d. d. 28 Augusti 1903 Sanctitas Sua Pius Pp. X « clementer decernere dignata est, ut in posterum Eminentissimi Patres Cardinales, in suis titulis æque ac diœcesibus, *bis centum,* Archiepiscopi *centum,* atque denique Episcopi *quinquaginta* dierum indulgentiam elargiri valeant, dum tamen serventur cuncta huc usque ab eisdem servata, in hujusmodi indulgentiarum elargitionibus. Hanc autem concessionem futuris quoque temporibus perpetuo valituram extare voluit ».

Ante hoc decretum, poterant Episcopi concedere indulgentiam *quadraginta dierum,* sed in sua diœcesi tantum; item Archiepiscopi tum in sua diœcesi, tum

in diœcesibus, quæ respectivam eorum provinciam constituunt, et quidem etiam extra tempus visitationis; Cardinales verò, præter indulgentias quas concedere poterant, qua episcopi vel archiepiscopi, indulgentiam *centum dierum* in ecclesiis suorum titulorum.

Vi citati decreti (1), possunt Cardinales concedere indulgentiam *bis centum dierum,* tum in suis titulis tum in suis diœcesibus; Archiepiscopi *centum*, saltem in sua diœcesi, et etiam, uti videtur, ad tramitem anteriorum facultatum (2), in sua provincia; denique Episcopi *quinquaginta* in sua diœcesi.

Regulæ servandæ in hujusmodi indulgentiarum elargitionibus, inveniri possunt apud *Rev. théol. franç.*, T. IX, p. 18 sqq. (3). Hoc unum notare juvat indulgentias illas *non esse applicabiles* animabus purgatorii.

Per laudatum decretum nihil immutatur facultas episcoporum concedendi indulgentiam *unius anni* in consecratione ecclesiæ vel altaris.

I. Indulgentiæ annexæ variis invocationibus.

1. Jaculatoriæ: Deus sit benedictus!

S. S. Pius Pp. X Indulgentiam quinquaginta dierum in perpetuum concessit, defunctis quoque applicabilem, toties a Christifidelibus lucrandam, quoties iidem, blasphemias audientes, corde saltem contrito ac devote jaculatoriam precem: *Deus sit benedictus!* pronuntiaverint.

E S. Congr. Indulg., die 28 Novembris 1903 (4).

Nota. Juxta regulam generalem, præfata invocatio, sicut et inferius adducendæ, vel latina vel vernacula lingua, dummodo versio sit fidelis, recitari potest.

Hæc indulgentia non acquiritur, nisi pronuntiet quis

---

(1) Decretum integrum exhibent *Analecta ecclesiastica*, an. 1903, p. 460.
(2) Cf. *Rev. théol. franç.*, T. IX, p. 18.
(3) Cf. etiam Beringer, T. I, p. 40; Mocchegiani a Monsano, n. 73.
(4) *Analecta ecclesiastica*, an. 1904, p. 30.

jaculatoriam, *quando audit* « blasphemias in Deum, vel Deiparam Virginem aliosve Sanctos proferri ».

Hæc piissima praxis doceatur præprimis in scholis; nunc ordinarie excitantur parvuli ad recitandam invocationem: *Laudetur Jesus Christus Amen;* quæ sane est optima, cui tamen, si sit oratio singularis, non verò mutua salutatio, nullibi invenitur adnexa indulgentia (1).

2. **Invocationibus in honorem Immac. V. Mariæ.**

℣. Tota pulchra es, Maria.
℟. Tota pulchra es, Maria.
℣. Et macula originalis non est in Te.
℟. Et macula originalis non est in Te.
℣. Tu gloria Jerusalem.
℟. Tu lætitia Israël.
℣. Tu honorificentia populi nostri.
℟. Tu advocata peccatorum.
℣. O Maria.
℟. O Maria.
℣. Virgo prudentissima.
℟. Mater clementissima.
℣. Ora pro nobis.
℟. Intercede pro nobis ad Dominum Jesum Christum.
℣. In conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

ORATIO.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa Eam ab omni labe præservasti: nos quoque mundos, Ejus intercessione, ad Te pervenire concedas. Per eundem etc.

Indulgentiæ conceduntur, defunctis quoque applicabiles: 1/ *Tercentum dierum*, semel in die, illas invocationes corde saltem contrito ac devote recitantibus.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. II, p. 635. Quæ ibi notantur de indulgentiis, non satis attenduntur in conficiendis memorialibus defunctorum *(doodsanctjes)*.

2/ *Plenaria* diebus festis Immac. Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Annunciationis et Assumptionis B. M. V.: si memoratis diebus easdem preces devote recitaverint et sacramentali confessione rite expiati sacraque Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel publicum sacellum adiverint, ibique ad Sanctitatis Suæ mentem pias ad Deum preces effuderint.

E S. Congr. Indulg. die 23 Martii 1904 (1).

3. **Invocationi: Nostra Domina a Sacro Corde, ora pro nobis.**

« Omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, ubique terrarum et in posterum existentibus, quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, invocationem hanc contrito saltem corde ac devoto recitantibus: « *Nostra Domina a Sacro Corde, ora pro nobis* », quoties id agant, toties » indulgentia *centum dierum* conceditur, defunctis quoque applicabilis.

E Secretaria Brevium die 28 Junii 1904. Hujus Brevis authenticum exemplar transmissum fuit ad Secretariam S. C. Indulg. 9 Julii 1904 (2). Hujusmodi transmissio solet exigi ad valorem concessionis: vide Breve relatum p. 117.

4. **Invocationi in numismate miraculoso inscriptæ.**

« Omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu ubique terrarum existentibus, qui gerant numisma miraculosum nuncupatum, dummodo illud rite prius benedictum a persona receperint debita facultate prædita, quoties quocumque idiomate dummodo versio sit fidelis jaculatoriam precem ipso in numismate inscriptam « *O Maria sine labe concepta, pro nobis ad te recurrentibus ora* » contrito saltem corde recitent, toties » indulgentia *centum dierum* conceditur in perpetuum, defunctis quoque applicabilis.

---

(1) *Anal. eccl.*, 1904, p. 211.

(2) *Anal. eccl*, 1904, p. 279. — Hanc indulgentiam antea lucrari jam valebant sodales Archiconfraternitatis Nostræ Dominæ a Sacro Corde. Cf. *Florilegium*, ed. altera, Brugis 1892, p. 268

E Secretaria Brevium die 6 Junii 1904. — S. C. Indulg. 7 Junii 1904. (1)

Nota. Prædictam invocationem recitantibus jam concessit Leo XIII per rescriptum S. C. Indulg. d. d. 15 Martii 1884 indulgentiam centum dierum, defunctis applicabilem, sed *semel tantum de die* lucrandam (2). Præsentibus litteris S. S. Pius Pp. X illam concessionem ampliavit, quatenus *deferentes numisma miraculosum* eamdem indulgentiam, *toties quoties* invocationem recitent, acquirere valeant.

Designatur numisma Immaculatæ Virginis Mariæ Conceptionis, vulgò *médaille miraculeuse,* quod sic excudi solet: in adversa fronte prostat Mariæ effigies, virgineo quidem pede serpentis proterens caput, manibus vero patulis subjectum terræ orbem radiis illustrans, inscripta circum prece: *O Maria* etc.; in fronte aversa inest sacrosanctum Mariæ nomen, eminente supra crucis signo, binis inferius adjectis cordibus, altero obsito spinis, altero ense transfosso (3).

Requiritur *ut fuerit rite benedictum et impositum* a sacerdote debita facultate prædito, videlicet juxta ritum approbatum a S. Rit. Congr. 18 April. 1895 (4).

5. **Invocationi SS. Nominum Jesu et Mariæ.**

In audientia diei 18 Septembris 1904, SS. D. N. Pius Pp. X concessit in perpetuum indulgentiam *tercentum dierum*, defunctis quoque applicabilem, omnibus fidelibus, *quoties* labiis, sin minus corde, devote invocaverint SS. Nomina Jesu et Mariæ.

Ex Secr. S. C. Indulg. die 10 Octobris 1904 (5).

---

(1) *Anal. eccl., l. cit.*

(2) *Raccolta* (ed. 1898), p. 341.

(3) Cf. P. Mocchegiani a Monsano, *Collectio indulgentiarum*, 1897, n. 789 sqq.

(4) Cf. P. Mocchegiani, *op. cit.*, n. 797. — Ad obtinendam illam facultatem, recurrendum est ad Superiorem Generalem Missionariorum a S. Vincentio a Paulo (Lazaristes), rue de Sèvres, 95, Paris. Cf. *Ibid.*, n. 796.

(5) Cf. *Anal. eccl.*, 1904, p. 484.

6. Orationi in honorem S. Pauli a Cruce.

O gloriose S. Paule a Cruce! tu qui Jesu Christi passionem meditando tam excelsum sanctitatis gradum in terra ac felicitatis in cœlo attigisti, illamque prædicando efficacius remedium pro omnibus ejus malis mundo iterum obtulisti; fac nos eam semper in cordibus nostris insculptam habeamus, ut eosdem fructus in tempore atque in æternitate recolere possimus. Amen (1).

« Devote recitantibus hanc precem cum orationibus *Pater*, *Ave* et *Gloria* conceditur semel in die Indulgentia 300 dierum ». Die 26 Martii anni 1904.

Ex Secretaria S. Congr. Indulg. die 27 Septembris 1904 (2).

Adverte in concessione illam indulgentiam non dici, adeoque non esse applicabilem defunctis.

II. Indulgentiæ adnexæ piis quibusdam exercitiis.

1. Exercitio secundi gradus Apostolatus orationis.

Hoc exercitium consistit in recitatione quotidiana in honorem Cordis Immaculati Mariæ *unius Pater et decem Ave* ad intentiones quæ singulo mense sodalibus proponi solent.

Porro SS. D. N. Pius Pp. X in audientia diei 6 Octobris 1903 indulgentiam centum dierum (defunctis applicabilem) prædicto exercitio adnexam (Leo XIII, 24 Aug. 1884) ad *tercentum dies* benigne auxit in perpetuum.

E Secret. S. Congr. Indulg. 18 Novembris 1903 (3).

2. Recitationi parvi officii SS. Cordis Jesu.

Præter indulgentiam partialem biscentum dierum

---

(1) Juxta versionem quam exhibent *Anal. eccl.*, an. 1904, p. 456 in nota.

(2) Cfr. *Anal. eccl.*, 1904, p. 455-456.

(3) Vide rescriptum apud *Le Messager du Cœur de Jésus*, an. 1904, p. 247. Cf. *Florilegium*, p. 240.

olim jam concessam (1), per breve apostolicum diei 1 Martii 1904 concedit Pius X indulgentiam *plenariam*, defunctis applicabilem, omnibus et singulis, « qui per solidum mensem ipsum officium integrum singulis diebus recitaverint, ac vere pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti, uno ad cujusque eorum lubitum eligendo intra mensis ipsius spatium die publicum quodvis templum visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effundant ».

E Secretaria Brevium, die 1 Martii 1904. — S. C. Indulg. 8 Martii 1904 (2).

Nota preces ad mentem Pontificis fundendas esse *in ipso* templo publico visitando; deinde officium SS. Cordis recitari posse « vel latina vel vernacula lingua, dummodo versio sit fidelis et rite probata ». Ita expresse Breve 12 Dec. 1901 et præsens.

3. **Praxi cuidam a S. Alphonso de Lig. commendatæ.**

Litteræ in forma Brevis datæ referuntur integræ p. 117.

Agitur de praxi, quam multum promovit S. Alphonsus et promovere student ejus filii spirituales, quotidie recitandi mane et vespere Salutationem Angelicam, addendo cuique earum hanc invocationem « *per tuam Immaculatam Conceptionem, o Maria, redde purum corpus meum et sanctam animam meam* », ad servandam castitatem.

Nota. Indulgentia *tercentum dierum,* defunctis quoque applicabilis, est adnexa recitationi matutinæ vel vespertinæ: non requiritur ut quis illas recitet invocationes tum mane tum vespere, sed si mane et vespere recitat, bis lucratur indulgentiam, *tam mane quam vespere.*

---

(1) Per Breve diei 12 Dec. 1901, ap. *Anal. eccl.*, 1902, p. 53. Cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 327.

(2) Cf. *Anal. eccl.*, 1904, p. 105.

Deinde invocatio addi debet *cuilibet* ex tribus Ave, et quidem juxta textum positum, qui nonnihil differt a textu a pluribus usurpari solito.

4. **Actui resignationis ad mortem.**

Plenariam indulgentiam *in ipso mortis articulo* lucrari valent omnes Christifideles, qui, die ab eisdem eligendo, sacramentali confessione rite expiati sacraque Synaxi refecti, cum vero charitatis in Deum affectu sequentem actum ediderint: « *Domine Deus meus, jam nunc quodcumque mortis genus prout Tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, pœnis ac doloribus de manu tua æquo ac libenti animo suscipio* ».

E S. Congr. Indulg. die 9 Martii 1904 (1).

H. Mahieu.

(1) *Analecta eccl.*, an. 1904, p. 209.

Consultationes.

I

Quæritur:

1°/ An licet publice asserere in cathedra quod peccatum mortale constituat in electionibus generalibus pro comitiis publicis suffragia ferre, aut plura aut etiam unum suffragium, in favorem liberalium vel socialistarum;

2°/ An pœnitentem publice notum tanquam liberalibus vel socialistis faventem debet confessarius interrogare, casu quo sese non accusat de suffragiis in illorum subsidium latis; potestne hujusmodi pœnitentem a dictis suffragiis abstinere nolentem absolvere?

Respondetur.

Sub utroque quæsito duplicem distinguimus quæstionem, theoreticam alteram, utrum nempe et quantum peccatum sit suffragiis favere liberalibus vel socialistis, et alteram practicam, circa opportunitatem ac modum principia docendi in cathedra eaque applicandi in confessionali.

Ad I/.

A/ Quod spectat electores *libere* suffragia emittentes, non est ambigendi locus. Nimirum non tantùm socialistæ sed etiam hodierni nostri liberales, quemadmodum ex ipsorum verbis et factis in dies magis liquet, passim hostes sunt Ecclesiæ infensissimi, nec ulla spes manet fore ut, potestatem adepti, a religione ac Ecclesia persequenda desistant.

Hujusmodi igitur legislatores suffragiis promovere libere et ultro expromptis constituit cooperationem eamque *formalem,* quæ eo ipso intrinsece ac graviter mala evadit. Quod valet, proportione servata, sive unum tantum suffragium emittatur, sive alterum vel tertium.

B/ Si agatur de electoribus efficaciter *coactis* (adeo

ut ne favore quidem suffragii secreti vitari valeat nec inefficax reddi possit coactio), cooperatio erit *materialis* dumtaxat, potest proinde, cum ipsa actio calculum adjiciendi in favorem candidati liberalis vel socialistæ non sit intrinsece mala (1), potest, inquam, excusari, si ratio datur satis urgens ut, omnibus attentis, noxiis effectibus proportionata dicatur.

Porro dictæ causæ momentum proportionandum est tum gravitati effectuum quibus cooperatur, tum imprimis gradui efficacitatis cooperationis institutæ. Quo pacto sponte patet in dijudicando motivo excusante rationem esse habendam dispositionis candidati propositi, ac facilius esse permittendum suffragium in favorem liberalis moderati quam in gratiam socialistæ aut alterius acerrimi Ecclesiæ adversarii. Pariter liquet graviori ratione esse opus ut legitimetur triplex suffragium quam duplex vel simplex; atque, quod nota, ad cohonestandum suffragium in favorem liberalium aut socialistarum ferendum, minus grave motivum requiri ubi nullatenus periclitatur catholicus candidatus quam ubi hujus electio proximum in discrimen vocatur, quo altero casu nonnisi gravissima necessitas invocari posset. Imo, addit Illustr^mus^ Waffelaert, l. c., p. 58, « en supposant par exemple qu'il s'agit de l'élection d'un représentant ou sénateur libéral, peut-être à une voix de majorité, dans un moment où celui-ci peut, par son vote aux Chambres, déterminer la création d'une loi destinée à faire le plus grand mal, comme ou en a vu des exemples, nous ne trouverions aucune cause excusante ».

---

(1) « Si le mandat de l'élu consistait uniquement à voter et à prendre des mesures contre la religion et le bien public on ne saurait en douter (que donner son vote à un ennemi de la religion constitue un acte intrinsèquement mauvais). Mais comme c'est plutôt par un abus de son mandat que le candidat élu fera le mal, malgré qu'on prévoie certainement cet abus, nous ne voyons pas la malice intrinséque de l'acte du mandant ». Ill^nus^ WAFFELAERT, *Étude de théologie morale sur la coopération*, p. 57.

Ad II/.

Circa *opportunitatem et modum* principia modò indicata exponendi *in cathedra* eaque *in confessionali* applicandi, hæc pauca notasse juvat:

1°/ Non videmus quid obstet quominus, secunda occasione data, v. gr. per modum applicationis in explicando peccato cooperationis, *e suggestu* doceantur fideles de gravissimo reatu incurrendo ab illis qui suffragiis suis Ecclesiæ hostes promovere non verentur, præ oculis posita magnitudine malorum, in quibus, cooperatione sua, velint nolint, partes habent: relicta confessario applicatione facienda concreta in casu particulari, in qua applicatione statim videbimus rationem esse habendam bonæ fidei ac causæ excusantis.

Quæ generalis instructio, sobriè, nitidè, didactice ac pacatè proposita, ab omni inani increpatione ac personarum læsione aliena, ad bonos fructus producendos erit aptissima, nec cuiquam causam præbebit justæ offensionis.

2°/ Pro modo agendi *confessarii* valet principium generale, nimirum pœnitentes *per se* esse docendos de gravitate peccati ab ipsis admissi, adeoque de hoc esse *per se* monendos illos quos confessarius novit, citra urgentem necessitatem, suffragio suo liberalibus vel socialistis faventes, quæ obligatio eo magis urget quod res est de bono publico.

Qui monitus vel aliunde probè conscius gravis malitiæ suæ actionis, ab hac abstinere, absque proportionata causa, asseveranter recusat, tractandus esset qua indignus eique absolutionis beneficium foret denegandum.

Optime tamen potest contingere quod confessarius reperiat pœnitentem in bona fide versantem circa suffragii sui gravem reatum, puta quia, ex bona opinione quam habet de candidato vel ex adulterata quam accepit educatione in re politica, non suspicatur vel sufficienter non attendit infaustas sequelas pro Ecclesia et

religione, vel quia sub influxu metus incussi reputat sibi sat urgentem præsto esse rationem ut a cooperatione excusetur; tunc et signanter in altera hypothesi nonnunquam a monitione prudenter erit abstinendum nec turbanda erit bona fides, quando nempe nulla datur fundata spes fructus, ac aliunde hic et nunc salvum prævidetur fore bonum publicum propter inefficacitatem memoratæ cooperationis.

Nota. Attendat studiosus lector in consultatione ejusque solutione de solis agi electionibus *generalibus,* pro comitiis publicis: quæ solutio non est indiscriminatim extendenda ad electiones *communales*.

Licet namque non sit neganda omnis harum connexio cum bono religionis, sedulò tamen, et secluso omni partium studio, cavebit prudens parochus et confessarius, antequam electores adversæ factionis damnet peccati mortalis, utrum lucta non afficiat personas ac dissensiones locales potius quam ipsa principia religiosa, quemadmodum non semel contingit in minoribus præsertim oppidis; cæterum ubi religionis interest electio, prudentia suadebit ut, magis adhuc quam in aliis electionibus, rationem habeat confessarius bonæ fidei pœnitentium, utque in publicis instructionibus cautius valde ac parcius procedatur et solertius personis parcatur, ne, publica aggressione offensæ ac exacerbatæ, gravius in Ecclesiam nutriant odium earumque ad meliorem frugem reditui omnis aditus præcludatur.

II

Quæritur.

Octiduò ante nuptias ad confessarium accedit Titius nupturiens inter alia exponens se olim sponsalia contraxisse cum defuncta sorore Berthæ sponsæ, cumque eadem sorore copulam habuisse onanisticam.

Qualis et quomodo procuranda est opportuna dispensatio?

Respondetur.

1°/ Solum obstat impedimentum *publicæ honestatis* ex sponsalibus cum sponsæ sorore exortum ; affinitas namque illicita non est attendenda, cum copula fuerit *onanistica,* quippe quæ inepta est ad affinitatem inducendam.

2°/ Quod spectat *modum* dispensationem impetrandi super publica honestate :

a/ Si sponsalia fuerunt *publica*, remittendus est pœnitens ad *parochum*, cui extrasacramentaliter declaret impedimentum ; parochus autem ad Ordinarium recurret pro dispensatione obtinendo *in foro externo*, quam dispensationem Ordinarius impertiri valet vi quinquennalium S. C. de Prop. Fide, (Formula III, n° 4): « dispensandi super impedimento publicæ honestatis, justis ex sponsalibus proveniente ».

b/ Si sponsalia fuerunt *occulta, regulariter* eodem modo est procedendum. Ex una namque parte præfata facultas a S. C. de P. F. delegata, qua sola super impedimento publicæ honestatis gaudet Ordinarius Brugensis, non est concessa *nisi pro foro externo tantum,* uti fuse probatum videsis apud *Collat.*, VIII, p. 133 et pp. 195-199, adeoque executioni est mandanda juxta normam foro externo propriam, oblata scilicet a parocho supplica cum expresso nomine et pronomine oratorum : ex altera autem parte Episcopus non potest recurrere ad potestatem *quasi-ordinariam*, quæ pro foro conscientiæ usurpatur, ubi Ipsi præsto est potestas *delegata*, quemadmodum plus semel monuimus, signanter apud *Collat.*, V, p. 544.

Dicitur *regulariter,* quia, juxta dicta apud *Collat.*, VIII, p. 134-135, potest fieri quod grave obsit incommodum recursui ad forum externum : quo casu facultas delegata Episcopi haberi potest quasi non existens et potest Episcopus, supposita urgenti necessitate, uti potestate quasi ordinaria : tunc pœnitens non foret ad parochum dirigendus, et ipse confessarius posset, tacitis

nominibus, ab Episcopo opportunam impetrare dispensationem fori interni.

Casus esset, uti loco citato notavimus, si confessarius non potest, absque lædendi sigilli periculo, pœnitentem ad parochum remittere, vel merito timet ne parochus ex accepta notitia sponsalium in alterius peccati suspicionem deveniat, vel si pœnitens parochum adire pertinaciter recusat.

Potissimum obtineret casus, in hypothesi nostra, si confessarius esset ipse parochus cui recursus ad Ordinarium pro foro externo incumberet. Non posset namque Titius pœnitens, pro declaratione extrasacramentali sponsalium, nomen suum dare parocho confessario, ac nomen sponsæ, quin eo ipso sese prodat uti onanisticæ copulæ reum ac simul ipsam sponsæ sororem, licet defunctam, apud eumdem parochum infamet; quod sane molestissimum esset ei nec ullatenus imponendum.

A. De Smet.

Libri dijudicantur.

I

Chanoine E. Rembry. *Les remaniements de la hiérarchie épiscopale et les sacres épiscopaux en Belgique au XIXe siècle.* — Extrait des *Annales de l'Émulation*, tt. LII et LIII. Bruges, L. De Plancke, 1904, in-8°, 260 p.

Sous l'ancien régime, le territoire actuel de la Belgique comptait 8 évêchés. Ceux d'Anvers, Bruges, Gand et Ypres relevaient de la métropole de Malines; ceux de Tournai et de Namur dépendaient de Cambrai et le prince-évêque de Liége était suffragant de l'archevêque de Cologne. A la suite de la seconde invasion des armées françaises, la plupart des évêques belges avaient dû émigrer, quelques-uns étaient morts ou promus à d'autres sièges, si bien qu'après l'expulsion du vaillant Cardinal de Frankenberg (31 Octobre 1797), il ne restait plus un seul évêque sur le sol belge.

Cette triste situation dura jusqu'en 1802. En même temps qu'il ratifiait le Concordat (15 Août 1801) Pie VII demanda, par la bulle *Tam multa,* la démission spontanée de tous les titulaires des évêchés français. Les quatre prélats belges encore en vie s'empressèrent d'accéder aux vœux du Souverain Pontife qui supprima, le 29 novembre 1801, l'ancienne hiérarchie et la remplaça par une organisation nouvelle. La métropole de Malines étendit désormais sa jurisdiction sur tout le territoire belge où elle comptait les quatre sièges suffragants de Gand, Liége, Namur et Tournai et sur les trois évêchés allemands d'Aix-la-Chapelle, Trèves et Mayence.

Cette situation devint tout-à-fait anormale après la constitution du royaume des Pays-Bas en 1815. Aussi fut-elle changée par Pie VII, qui détacha en 1823 les sièges allemands de la métropole de Malines. Celle-ci ne conserva plus que quatre évêchés suffragants.

Le roi Guillaume I étant protestant, il fallait une nouvelle convention avec le Saint Siège: après les longues difficultés

que suscita la nomination du prince Mgr de Méan (1815-1817), des négociations pénibles aboutirent au Concordat de l'année 1827, qui régla le mode des nominations épiscopales, et décida l'érection de trois nouveaux sièges à Bruges, Amsterdam et Bois-le-Duc. Les espérances des catholiques s'évanouirent devant la mauvaise volonté du roi. Un seul évêque fut nommé, Mgr Ondernard, qui fut la souche de tout l'épiscopat belge (1). Il fut sacré par Mgr von Hommer, évêque de Trèves, fébronien et hermésien. Aucun siège nouveau n'allait être établi, quand la révolution de 1830 vint donner à la Belgique son indépendance politique et au S. Siège la pleine liberté des nominations épiscopales. Le 27 mai 1834, Grégoire XVI créa ou érigea le diocèse de Bruges. Depuis lors la hiérarchie épiscopale n'a plus subi aucun remaniement en Belgique.

Tels sont les faits que M. le Vicaire Général Rembry expose dans sa première partie, en y ajoutant une foule de détails intéressants et des notes biographiques et bibliographiques sur tous les prélats qui ont occupé les sièges épiscopaux en Belgique pendant ce temps.

La seconde partie contient la mention détaillée des 45 sacres épiscopaux faits en Belgique au cours du dernier siècle, d'abord par les archevêques de Malines, ensuite par d'autres prélats. Pour chacune de ces cérémonies, le savant auteur relève le nom des évêques consécrateur et assistants, la date et le lieu de la cérémonie ; il complète ces données par de courtes mais précieuses et exactes notes biographiques sur les nouveaux pontifes. A lire surtout les pages consacrées aux quatre évêques qui se sont succédés sur le siège de Bruges. Rien de plus attachant que l'affectueuse et édifiante correspondance de Mgr Malou avec le savant Cardinal Pitra. Puissent ces quelques notes s'élargir et devenir un jour une biographie complète du docte et pieux prélat !

Il est à regretter qu'au milieu de ce luxe de détails que

---

(1) On peut voir sur ce sujet dans la *Revue Augustinienne*, 1904, pp. 326-327, un articulet, sont l'auteur croit faire une révélation sensationnelle, mais dans lequel la *Patrie* (26 sept. 1904) montre autant d'erreurs que de lignes. On reconnaîtra facilement dans cette réfutation, la précision qui caractérise l'ouvrage dont nous rendons compte.

d'aucuns trouveront parfois excessif, les armoiries des évêques sacrés aient été omises. Mais nous sommes heureux de pouvoir ajouter que cette lacune sera comblée dans les *Annales de l'Emulation pour 1904*.

L'ouvrage de M. le Vicaire Général Rembry, si complet dans son ensemble, si minutieux et si précis dans ses innombrables détails, si riche en indications bibliographiques, sera pour tous ceux qui doivent s'occuper de l'histoire de l'Église en Belgique au cours du XIXe siècle, une mine féconde qu'ils pourront exploiter avec la certitude d'y trouver des choses nouvelles et intéressantes.

C. CALLEWAERT.

II

Exagérations historiques et théologiques concernant la communion quotidienne, par le R. P. *Godts*, Rédemptoriste. — Roulers, Jules De Meester, 1904.

La Doctrine catholique sur la communion fréquente, par l'Abbé *Chatel*. — Bruxelles, Polleunis et Ceuterick, 1904.

Utraque hæc opella laudabili conatu impugnandam suscepit doctrinam, cui etiamnum nonnulli obvia saltem specie favere videntur, quatenus nempe *ad communionem frequentem, imo et quotidianam, sufficiat status gratiæ*, adeo ut fideles, peccato mortali expertes, ad eam indiscriminatim sint adhortandi.

R. P. *Godts*, qui præ cæteris aggreditur libellum a R. D. Coppin (1), parocho Namurcensi, vulgatum, suam elucubrationem in duas dividit partes. In priori parte (p. 9-34) Auctores enumerat dictam sententiam propugnantes, inter quos citantur, præter R. D. Coppin, Falconi, (qui scripsit sæculo 17°, et cujus opusculum ex hispanico idiomate transtulit ac notis locupletavit

(1) *La Sainte communion ou le Pain quotidien*, par l'Abbé Omer Coppin, curé de St Servais à Namur. — 1904 — Jules De Meester, Roulers.

R. P. Couet), Frassinetti necnon quædam membra Congregationis SS. Sacramenti et Societatis Jesu (1).

In altera parte (p. 35-70) argumenta refutare conatur præcipua in subsidium adversæ theseos allata, addendo, per modum conclusionis, sententiam S. Alphonsi circa frequentem communionem.

R. D. *Chatel*, post expositam sententiam Falconi reassumptam a Couet, hujus doctrinam confutat, (p. 14-44) tum indirecte, ipsi opponendo argumenta in contrarium, tum directe, solvendo argumenta ab adversariis proponi solita; post quæ breviter exponit (p. 45-51) doctrinam S. Alphonsi; dein, distincto capitulo, inquirit circa causas ob quas multi communicantes parum fructus referant ex S. Communione, ac tandem, in appendice, refert præcipua decreta Romana hanc controversiam spectantia, necnon sententias theologorum qui de hac re scripserunt.

Utrumque libellum prælaudatum percurrenti facile innotescet doctrinam impugnatam, uti proponitur, merito reprobari ac uti a mente Ecclesiæ et a sensu catholico alienam prodi.

Attamen nimium videtur disceptatio restringi, signanter a R. P. Godts, ad auctoritates extrinsecas, nec satis opponitur adversariis argumentum ab intrinseco, deductum ex summa dignitate SS. Sacramenti suscipiendi, necnon ex infausto influxu actualis affectus ad peccatum veniale, constituentis obicem secundum quid et multum impedientis fructuositatem Sacramenti. Opportunum etiam fuerit latius evolvere, accuratius determinare ac validius vindicare veram doctrinam, a directoribus animarum applicandam, et mediam viam tenentem inter sententias extremas.

Qui defectus, pro quanto habetur, ex eo forsan

---

(1) Nonnullis forsan displicebit recenseri, inter opera erronea: « Plusieurs Pères sacramentaires — Quelques Pères de la Compagnie de Jésus », quasi ipsa congregatio vel societas esset in causa.

explicatur, apud R. P. Godts, quod præsens opella extracta sit ex ampliori, quam brevi edendam nuntiat, dissertatione historico-theologica, cui titulus erit: *Frequentiæ communionis historia et norma;* quod opus, arduum valde, si juxta regulas sagacis critices ac prudentis theologiæ moderari et absolvi contingat, (1) posset non parum conferre ad solutionem solemnis controversiæ circa frequentem communionem.

A. De Smet.

---

(1) Ita, inter alia, quod spectat praxim primitivæ Ecclesiæ, intimius esset investigandum circa usum fidelium communicandi singula vice qua missæ assistebant, quem usum exstitisse plura suadent documenta, nec sufficit, salva valida probatione in contrarium, dicere: « Quant aux canons qui ordonnent à tous les assistants de communier, ils entendent par assistants non pas les simples fidèles, mais les diacres et les sous-diacres, ou parfois les prêtres qui assistaient le pontife célébrant » (R. P. Godts, p. 41-42); ulterius inquirendum foret quoties missa celebraretur, et quoties, extra missarum solemnia, S. Communio sumeretur privatim de sacris hostiis domi conservatis, quæ praxis innuitur a Tertulliano, in l. II *ad Uxorem*, cap. 5.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. X, pag. 5).

CAPUT V.

A peccato Salomonis seu scissione regni ad plenitudinem temporum seu adventum Christi.

Prævia considerratio generalis.

444. Deus, cum concessisset populo suo electo regem, statim, ut vidimus, sub secundo rege Davide, quem primum ex tribu Juda et progenitorem Messiæ elegerat, regnum istud ad magnam potentiam evexit; idemque regnum, tum modo quo a Davide acquisitum fuit per ingentia mala tolerata et persecutiones, tum gloria ac supernaturali quadam dignitate qua pollebat, præfigurare voluit regnum Christi Redemptoris, ipsumque redemptionis modum per Christi passionem.

Præterea, ut pariter supra ostendimus, constituit Deus regem David prophetam insignem qui utrumque, videlicet et regnum spirituale ac universale Redemptoris, filii David, et modum redemptionis prædiceret.

Ab hac duplici præfiguratione et duplici prophetia, quæ circiter mille annis antecedit eventum, Deus adventum Christi et redemptionem per passionem ejus præparat, jam magis magisque inculcando ac definiendo utramque prophetiam, atque simul ita dirigendo, salva libertate humana, omnes eventus ut pedetentim propius et angustius accedatur ad prædictionum implementum.

Primum effecit Deus, nempe propius et clarius descripsit Salvatorem ejusque passionem ac regnum,

in persona et per ministerium prophetarum, quos inde ab epocha regum frequentiores suscitavit.

Alterum, nempe divina Providentia in dirigendis eventibus in ordine ad adventum Christi ejusque passionem, ex historia populi electi incipiendo a regibus, necnon e fatis cæterarum gentium illorum temporum elucet.

Utrumque nunc per partes breviter exponendum est. Cum autem missio prophetarum fuerit non sola prædictio futurorum sed longe latior, utpote quorum ministerio Deus usus fuerit universim in providendo ac præparando adventu Messiæ, distinctis articulis dicemus, primo quidem de prophetis antiqui fœderis eorumque missione ac ministerio; deinde, de prædictionibus prophetarum, præprimis relate ad Christum ejusque passionem atque regnum; tandem tertio, de providentia Dei universim circa fata populi electi, necnon aliarum gentium in ordine ad adventum Redemptoris.

ARTICULUS I.

De prophetis veteris Legis, eorumque ministerio.

445. Propheta seu *nâbi* sensu biblico intelligitur esse interpres seu præco ac prædicator Dei, quo nempe Deus utitur ad manifestanda hominibus sua consilia sive de præsenti sive de futuro, suamque voluntatem ac monita sua intimanda.

Hujusmodi prophetæ omni tempore adfuerunt populo electo divinitus missi. Abraham ab ipso Deo vocatur propheta (1). Moyses fuit propheta magnus (2); similiter fuit propheta Dei Josuë (3). Sub Judicibus non defuerunt prophetæ (4); in fine epochæ Judicum rarior facta

(1) *Gen.*, XX, 7.
(2) *Deut.*, XXXIV, 10.
(3) *Eccli*, XLVI, 1.
(4) *Jud.*, IV, 4, VI, 8, I *Sam.*, II, 27.

prophetia (1) cum Samuële propheta rursum effloruit, apparentque scholæ prophetarum. Prophetismus quippe in *Deut.*, XVIII, 15-22 promissus fuerat tamquam institutio permanens: ex contextu enim patet ibi intelligi vocem *propheta* (sicut *rex* XVII, 14 sqq.) sensu collectivo, quamquam simul designatur Propheta per excellentiam Christus.

Inde igitur scholæ prophetarum, filii prophetarum intelliguntur fuisse qui, a reliquis hominibus segregati, vitam ducentes sanctam in exercenda pœnitentia cæterisque virtutibus atque in laudibus Dei canendis, ad modum nostrorum religiosorum, a Deo, non omnino exclusis aliis, assumebantur, quos ad populum suum, aliquando rarius ad alios mitteret, tamquam præcones ac prædicatores suos, suo nomine et auctoritate loquentes, Spiritu suo, pro opportunitate, repletos, ita ut etiam divina arcana et futuros eventus præviderent atque prænuntiarent.

446. Quod spiritum prophetiæ attinet, in quo consistat tum sub respectu cognitionis, tum sub respectu locutionis seu manifestationis, nihil hîc addendum est iis, quæ exposuimus post S. Thomam (2), supra nn. 58 et sqq. (*Coll. Brugen.*, t. III, p. 298 et sqq.) collatis *Monitis* quæ inveniuntur in iisdem *Coll. Brug.*, tom. VIII, pag. 141 et sqq., n. 2 et sqq.

Itaque divina prophetarum auctoritas erat ex missione divina et dono prophetiæ quo eos Deus illuminabat in ordine ad munus suum implendum. Missio prophetarum, quamquam ipsi aliquando, ut Jonas, mitti poterant a Deo ad gentes, totam nihilominus suam rationem habebat in ipso populo electo, ad quem mittebantur ut eumdem monerent atque adjuvarent ad finem ipsum suæ electionis attingendum, scilicet ad servandum cultum veri Dei servandaque promissa sa-

---

(1) I *Sam.*, III, 1.
(2) 2. 2, qq. 171 et sqq.

lutis messianicæ: ideo prophetarum erat continuo inculcare necessitatem custodiendi Legem, fugiendi idololatriam, simulque in memoriam revocare promissum Salvatorem, eumque successivis temporibus magis magisque definiendo et clarius indicando prænuntiare.

Quam quidem missionem perfecte impleverunt prophetæ, divini honoris atque populi salutis unice soliciti, absque ullo respectu humano, æque magnatibus sicuti infimæ plebi veritatem proponentes, sæpius communi suorum opinioni resistentes, non raro principibus exosi, sed semper animo invicti, ita ut plerique post maxima mala tolerata etiam martyres occubuerint.

447. Hæc de indole ac missione prophetarum sufficiant, verbulo addito de placitis modernis criticæ rationalisticæ circa prophetas veteris Legis. Quæ quidem placita, post supra dicta de systemate hujus critices universim, ab unoquoque a priori quasi definiri facile possunt. Videlicet, cum a priori negent, imo impossibile habeant quidquid supernaturale est, jam statim concludes donum prophetiæ missionemque supernaturalem prophetarum a Rationalistis pariter negari, ut rem impossibilem rejici: unde nihil plane prævidere nec prædicere potuerunt prophetæ; quidquid ut prædictum objicitur, vel supposititium aut post eventum prolatum dicunt isti critici; vel, si ante eventum dictum seu scriptum constet, alludere tantum ad vagum quoddam ideale, ut ajunt; aut interdum prophetas eodem censu habent ac divinos et ariolos cæterarum gentium.

Quod autem missionem prophetarum attinet, negata indole supernaturali, et substituta supernaturalismo sua theoria evolutionis, missionem propheticam omnino pervertunt seu invertunt omnia: scilicet, prophetæ non propugnarunt ac inculcarunt Legem existentem, sed ipsi eamdem præparaverunt postea stabiliendam; nec idololatriam impugnarunt tamquam adulterationem Legis et cultus populi, sed ipsi primi monotheismum invexerunt.

448. Quam arbitraria et pro præconcepto systemate evolutionis excogitata, quam falsa hæc historice sint, nemo non videt; quod quidem supra, n. 427 et sqq. coll. n. 419 et sqq., breviter ostendimus.

Ad prædictiones autem prophetarum in specie quod spectat, nullius plane momenti sunt explicationes critices modernæ, utut nomine sublimioris.

Quod supposititias dicere audeant prophetias vel post eventum prolatas, plane absonum est, sive ipsos prophetas imposturæ insimulent, quæ quidem gratuita injuria est tantis viris illata, quorum indolem modumque quo missionem suam impleverunt supra descripsimus, sive alios hujusmodi falsitatis et deceptionis reos velint. Etenim historice impossibile est ut sic deciperetur universus populus: sunt enim prophetiæ plures quæ eventus publicos, brevi implendos, prævisioni omnino, nisi divinæ, impervios annuntiant (1): quomodo populus, si impostores invenisset prophetas, eos tolerasset imo reveritus esset, eo vel magis quod illi neque populo neque principibus parcerent, sæpiusque monita durissima atque doctrinam sublimem, valde oppositam instinctui carnali, proponerent, qui quidem ideo persecutioni, quandoque ad mortem usque, obnoxii fuerunt, numquam vero tamquam impostores? Quomodo rursum ab aliis suppositas prophetias obtrudentibus universus populus decipi potuit?

Præterea, quod prophetias attinet eventuum valde remotorum, quæ nempe adventum Christi respiciunt, ejus personam, passionem et regnum, quæ incipiendo a psalmis et deinceps apud omnes ferme prophetas occurrunt, et adhuc scriptæ leguntur, num post eventum scriptas vel supposititias dicere audebunt Rationalistæ?

---

(1) Exempli gratia sint: mors a Jeremia prædicta pseudo-prophetæ Hananiæ (*Jer.*, XXVIII, 16 et sq.); finis prædictus regi Sedeciæ a Jeremia (*Jer.*, XXI, 7) et ab Ezechiële (*Ezech.*, XII, 12-13); ruina domus Israël et conquassatio domus Juda per Assyrios longe ante eventum prædictæ ab Amos (*Amos*, VI, 11); captivitatis babylonicæ duratio ad septuaginta annos definita a Jeremia (*Jer.*, XXV, 11, 12; XXIX, 10, XXVII, 7); etc.

449. Neque evadere tentent, objiciendo has fuisse tantummodo vagas allusiones. Num, vel in ipsis jam psalmis, v. g. ps. XXI, vaga sunt quæ de passione Christi prædicuntur: *foderunt manus meas et pedes meos*, etc., *diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem*, etc.?

Nonne admiranda ac humiliter adoranda est divina Sapientia, quæ simul per os David tam præcise et tam clare passionem Christi definivit mille ante eventum annis, ut post eventum cunctis patet, et simul definito consilio occultare potuit eamdem passionem seu modum redemptionis ante eventum cunctis, etiam diabolo, efficiendo nempe ut ignorarent David in persona Messiæ loqui, et non invenirent modum conciliandi gloriam regni messianici, quam exspectabant, cum humiliatione Christi patientis et sic pervenientis ad gloriam suam?

Neque magis vagæ allusiones dici possunt, quæ deinceps in scriptis prophetarum de Messia, de loco et tempore adventus ejus, de ejus indole et actis et passione, de regno ejus occurrunt, ut infra de hujusmodi prædictionibus prophetarum agendo latius explanabitur.

450. Ex his quoque jam elucet nonnisi summa injuria assimilari posse prophetas divinis et pseudo-prophetis gentium, qui artibus superstitiosis augurii, haruspicii, etc., indulgebant: etenim prophetas, ab omni arte hujusmodi diabolica alienos, nuntiasse futura, quæ a nemine, nisi a Deo, præsciri poterant, tam certum est quam ipsa prophetarum existentia; pseudoprophetarum vero vel unam adducant, si valent, hujusmodi prædictionem, quæ indubia sit et completa fuerit. Quod quidem signum quo distinguatur infallibiliter propheta Dei a divinis gentium, ipsum jam Deuteronomium affert (1). Et similiter Isaïas falsos deos provocat, ut vera prophetia ostendant sè deos (2).

---

(1) *Deut.*, XVIII, 22.
(2) *Isaïas*, XLI, 23.

Atvero præterea, historice repugnat, et contradictionem secum ipsis pro criticis rationalistis involvit hæc prophetarum cum divinis gentium æquiparatio. Re quidem vera, confer Israël cum vicinis gentibus, et ipsi quidem cognatis, Ismaël, Edom, Moab, Ammon. Quomodo, cum de cætero ex eadem stirpe, sub eodem cœlo, iisdem in adjunctis fuerint hi cum populo Israël, tantum potuit esse discrimen sub ratione religiosa ac morali, ut isti in cultum idolorum obscœnum et crudelem continuo delapsi sint et permanserint, dum Israël veri Dei cultum servaverit et continuo divina attributa clarius perceperit, quo cultus evangelicus præpararetur? Nulla alia causa assignari potest quam initio Moyses ejusque Lex, et postea decursu temporum providentia seu actio Dei specialis, nominatim per prophetas. Dein, revera sibi contradicunt Rationalistæ, dum ab una parte assimilant veros Dei prophetas pseudoprophetis, qui evidenter suas gentes a cultu idolorum corrupto et crudeli avertere nullatenus valuerunt, et ab altera parte prophetas Israël affirmant monotheismum non tantum propugnasse sed invexisse.

Theoria naturalistica, quod prophetismum apud Israëlitas attinet, non solum gratuita est et nihil explicat, sed præterea factis contradicit, et historice falsa ac impossibilis est.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis

—

I

Quando, qua occasione et ob quemnam finem conscripta fuit I^a Ep. ad Thessalonicenses?

II

Quid censendum de mente S. Thomæ circa Immaculatam B. M. V. Conceptionem?

III

Ostende abstinentiam esse virtutem specialem.

IV

Expone disciplinam apud nos vigentem quoad abstinentiam jejunio quadragesimali propriam.

V

Expone legem benedictinam de non miscendis epulis.

VI

Le bourgmestre peut-il être nommé à la présidence du conseil de fabrique?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Q. *Explica Philip. III, 2-7.*

R. I. **Argumentum.** *S. Paulus, periculi quod Philippensibus a parte Judaisantium* (1) *imminebat recordatus, contra illud lectores suos gravissimo monito præmuniendos censuit.*

a/ Cum vehementia quadam ex abrupto illis ob oculos ponit adversarios suos, quos *concisionem* acerba cum ironia appellat, dum veram *circumcisionem* vocat Christianos, qui in Christo gloriantur et non in carne circumcisa fiduciam ponunt (III, 2-3).

b/ Ne vero quis putet eum carnalia illa, quibus gloriabantur Judaisantes spernere, quia illis ipse careat, ostendit se magis quam Judaisantes illa possedisse (2), at se omnia illa sprevisse ut Christum lucraretur (III, 4-7).

---

(1) Judaisantes tùm in concilio Hierosolymitano (cf. *Collat. Brug.*, T. IX, p. 566 ss. et 620 ss.) tùm Antiochiæ (*ibid.* p. 682 ss.) repulsi, manus victas non dederunt. Dum enim S. Paulus decretum apostolicum (*ibid.*) ejusque sanam interpretationem Ecclesiis Syriæ et Ciliciæ (*Act.* XV, 41) traderet, doctores Judaisantes per diversas communitates christianas transibant ut Apostoli doctrinæ contradicerent, ejus apostolicam everterent auctoritatem, et neophytos paulatim ad praxes quasdam judaicas, speciatim autem ad circumcisionem specie majoris perfectionis assequendæ adducerent. Unde Apostolum contra dictos falsos doctores inde a tertio suo itinere apostolico ad finem usque vitæ polemice agere videmus (*Act.* XXI, 21). Cujus controversiæ vestigia in pluribus occurrunt epistolis (*Gal.* passim; *II Cor.* X-XIII coll. *I Cor.*; juxta multos *Rom.* XIV, 1-XV, 12, *Col.* II, 16 ss. (cf. *Resp.* mensis Aprilis seq.) et *Phil.* III, 2 ss. Videri etiam possunt *Tit.* III, 9 et *I Tim.* 17. Cf. Thomas, *Mélanges d'hist. et de littér. relig.* Paris 1899, p. 167 ss.; — J. Denny apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, V. III (Edinburgh 1900), p. 76 ss.

(2) Cf. Cornely, *Introd. in U. T. libros sacros*, V. III, Parisiis 1886,

II. **Paraphrasis.** III, 2. *Videte* (1) Judaisantes, quales sint *canes* (2) (qui veros fidei prædicatores mordent ac lacerant), *videte* istos *malos operarios,* opus sc. fidei prædicationis præpostere efficientes (3), *videte concisionem* i. e. concisos seu mutilatos (4).

3. *Etenim* non isti sed *nos* omnes christiani *sumus* proprie dicti *circumcisi* (5) qui *spirituali* cultu religiose

---

p. 489; — HAUPT, *Die Gefangenschaftsbriefe*. Göttingen 1892, *Der Brief an die Phil.*, p. 117 ss.; — VAN STEENKISTE, *S. Pauli epistolæ*, Brugis, 1899, T. II, p. 87. 122 ss.; — CEULEMANS, *Comment. in Epist. S. Pauli*, Mechliniæ 1902, T. II. p. 64 ss.; — JACQUIER, *Histoire des Livres du N. T.*, T. I (Paris, 1903) p. 339.

(1) βλέπω cum accus. rei vel personæ : animum attendere ad aliquem vel aliquid. *Neemt acht op, let op.* Non idem significat ac βλέπειν ἀπό (*Mc.* VIII, 15) vel βλέπειν μή (*Lc.* XXI, 8): sibi cavere. Cf. GRIMM *Lexicon græco-lat. in libros N. T.* Lipsiæ 1903, p. 71. Sensus est: *sehet sie an wasfür Hunde.... sie sind.* HAUPT, *o. c.*, p. 118.

(2) Judæi per contemptum Gentiles appellabant *canes* (*Mt.* XV, 26), quod epitheton S. Paulus in Judaisantes doctores retorquet, forsan quia innuere vult ipsos nequaquam ad gentem electam Novi Testamenti pertinere, sed certo quia hac metaphora ipsos ut homines impudentes depingere intendit.

(3) Aliud enim redemptionis ac justificationis fundamentum præter Christum ponebant, cùm circumcisionem, si non ut absolute requisitam, saltem utilem ac perfectionem quamdam conferentem prædicabant. Cf. *II Cor.* ἐργάται δόλιοι.

(4) Apostolus acri ironia per paranomasiam eos vocat κατατομὴν : discissionem, mutilationem (versnijding, verminking), significans eos frustra gloriari in illo ritu carnali, qui post adventum Christi jam nullam vim sanctificandi habet, adeoque non nomen honorificum circumcisionis sed potius concisionis meretur seu corporis mutilationis apud eos qui, corde incircumcisi, a circumcisione carnali justificationem vel positivam perfectionem repetebant. Cf *Rom.* II, 28-29 et v. seq. — Immerito Auctores quidam (uti WEISS, *Der Phil. Brief und die Geschichte seiner Auslegung*. Berlin 1859) tres adversariorum classes ex ter repetito verbo significari voluerunt. Sola enim verbi repetitio hanc distinctionem non probat; sequens præterea contextus de solis Judaisantibus agi clare patefacit qui « carnalia » seu legalia ad justificationem aliquid conferre jactabant.

(5) ἡ περιτομή : abstr. pro concr. veri circumcisi : les vrais circoncis. Cf. *Rom.* II, 28-29. « Non enim quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed circumcisio cordis in spiritu, non littera »; et *Col.* II, 11-12. « In quo et circumcisi estis circumcisione non manufacta... circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo ». Statim explicat discrimen

servimus Deo (1) *et gloriamur in Christo Jesu* (tanquam causa meritoria nostræ justificationis), *et non in carne* i. e. in rebus materialibus et carnalibus (quales sunt carnis circumcisio, carnalis origo ex Jacob (v. 5), legis mosaicæ (v. 6) observatio) *fiduciam* acquirendæ justificationis reponimus (2).

4. (Nos christiani, non confidimus in ulla prærogativa carnali) *quamquam ego Paulus*, si esset aliqua gloria in carne, *haberem unde confidam* (3) *et* (4) *in carne*. Imo, *si quis alius videtur* habere cur *in carne confidat,* talis *ego* censendus sum *magis* quam ille.

5. Nimirum *circumcisus* sum (non provecta ætate ut Judaisantes (5) multi vel proselytæ) sed (juxta præscriptum legis) *octavo* post nativitatem *die*, natus *ex genere Israel* seu stirpe Israelitica (6), ex *tribu Benjamin* fidelissima (7), *hebraice* loquens (8) *ex* parentibus *hebræis*

---

quod falsos seu materialiter circumcisos (concisos) inter et veros seu corde (spiritualiter) circumcisos viget.

(1) Vel juxta lect. quæ multo plures habet auctor. « qui spiritu Dei servimus » = per Spiritum Dei (gr. πνεύματι : dat. instrumenti) cultum præstamus (Deo), qui cultus spiritualis magis ac internus est, uti innuitur ex ipsa voce *Spiritus* et patet ex oppositione cum membro sequenti : *non in carne*. Cf. HAUPT, *o. c.*, p. 120; — NESTLE, *Novum Test. græce*, Stuttgart, 1901, p. 505. Cf. *Jo.* IV, 24 « Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, *in spiritu et veritate* oportet adorare ».

(2) Ne ideo videatur contemnere privilegia « carnalia » Judæorum, quod ipse eis careat, Paulus statim subjungit vv. ss.

(3) *Confidentia* (πεποίθησις) sumitur hic non ut v. 3 pro fiducia sed pro fiduciæ materia.

(4) *Et* = etiam, i. e.: non tantum possum gloriari de prærogativis christianis, sed *etiam* de judaicis.

(5) Cf. CEULEMANS, *o. c.*, p. 66.

(6) *Israel* apud S. Paulum nomen est gentis, neque id patriarchæ Jacob applicat. Nomen est gentis honorificum, hujus peculiarem vocationem, theocraticum regimen ac varia beneficia divinitus collata innuens. Cf. HAUPT, *o. c.*, p. 123; — SANDAY-HEADLAM, *A critical and exegetical Commentary on the Epistle to the Romans,* Edinburgh 1902, p. 229 s.

(7) Quæ in scissione regni judaici post mortem Salomonis, tribui tam regiæ (Judæ) quam sacerdotali (Levi) perpetuo manserat unita, adeoque nec regem unquam deseruit nec legem.

(8) Hæc interpretatio multo probabilior est quam illa : « *natus Hebræus*

linguâ (1); præterea *legis* rigorissimus interpres et observator, utpote Pharisæus; 6. Quod attinet ad zelum pro religione judaica, *Ecclesiam Dei* christianam *persequebar;* quod denique ad *justitiam* legalem attinet, ità *conversatus* sum ut fuerim irreprehensibilis (2).

7. *Sed* quascumque (3) has carnis prærogativas, quas olim cùm Judæus essem in maximo pretio habui ut totidem emolumenta, has ipsas (ταῦτα) *pro detrimento* (ζημίαν) (4) *Christi causa* (5) habenda esse *arbitratus sum* (6).

A. Camerlynck.

II

Q. *Quomodo intelligendum est Concilium Tridentinum declarans: « totum Adam, per illam prævaricationis offensam*, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse »? (Sess. V, *Decretum de peccato originali.*)

R. His verbis Concilium docet primum hominem, propter commissum ab ipso peccatum, in pejorem con-

---

ex utroque parente Hebræo » in qua habetur tautologia cum duobus membris præcedentibus. Cf. Van Steenkiste, Ceulemans, Haupt, *h. l.*; — Allioli, *Die Heilige Schrift des A. und N. T.*, T. III, Regensburg, 1875, *h. l.* Ab *Hebræis* distinguuntur οἱ Ἑλληνισταί = Judæi apud exteros nati et græce loquentes, quod nomen iis mansit, postquam fidem christianam amplexi sunt (*Act.* VI, 1 ubi pariter opponuntur *Hebræis*).

(1) Quatuor præcedentes prærogativæ genuinam Pauli originem judaicam ostendunt; tres sequentes ejus vitæ apprime judaicæ institutum exhibent.

(2) Scil. coram hominibus, coævis.

(3) Ἀλλὰ ἅτινα ἦν μοι κέρδη. *Lucra* = voordeelen (Beelen, *Het Nieuwe Testament*, *h. l.*), avantages. *Detrimenta* = nadeelen, schadelijke dingen.

(4) Quatenus istæ « carnis » prærogativæ, inspectis mente ac modo quibus Paulus ante conversionem ipsis adhærebat, ipsum a vera justificatione in Christo consequenda impediebant, quod pulcherrime explicat in vv. seqq.

(5) *Propter Christum:* quod mox (v. 8) adhuc clarius dicit: *ut Christum lucrifaciam.*

(6) Olim sc. quando primùm religionem christianam amplexus sum, et adhuc arbitror, ut explicite additur in v. 8.

ditionem, tum quoad animam, tum quoad corpus, devenisse quam erat ipsius conditio in qua fuerat a Deo constitutus.

Porro in eodem canone quædam assignantur quibus magis determinatur illa in deterius commutatio: docetur nempe: « primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus postestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse » (1). Certe hæc duo: *privatio sanctitatis supernaturalis* et *mors* sufficiunt ut dicatur Adam quoad animam et quoad corpus in deterius mutatus præ conditione in qua erat ex Dei institutione: nam privatione gratiæ sanctificantis et omnium donorum supernaturalium, quæ cum gratia sanctificante connectuntur, commutatur in deterius anima, quippe quæ his donis perficiebatur, nempe elevabatur ad ordinem perfectionis indebitæ et reddebatur capax operis meritorii; morte et malis, quæ cum ipsa connectuntur, mutatur in deterius ipsum corpus; tandem adjungitur aliquid homini extrinsecum, videlicet captivitas sub potestate diaboli a quo impeditur homo in morali perfectione acquirenda. Sed hoc etiam notandum quod Concilium, docens *primum* hominem fuisse in deterius mutatum, intelligit etiam *omnes homines* quatenus in primo seminaliter continebantur: in decreto enim de *justificatione* legitur: « cum *omnes homines* in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi... etc. » (2).

---

(1) DENZINGER, *Enchiridion*, n. 670.
(2) DENZINGER, op. c. n. 675.

Docet igitur Concilium Adamum et omnes ex eo nascituros homines in deterius esse mutatos, quoad animam et quoad corpus, privatione gratiæ et donis supernaturalibus cum illa connexis, morte et malis cum illa connexis et captivitate diaboli. Nihil amplius fuit hic *definitum*. Nominatim noluit Concilium dirimere quæstionem utrum homines peccato originali facti sint debiliores quoad bonum operandum quam fuissent in statu naturæ *puræ* (1).

Nota. Theologi tamen rem ulteriori examini subjicientes, hanc in deterius commutationem explicant dicendo hominem peccato originali fuisse *spoliatum a gratuitis et vulneratum in naturalibus*. Dicitur *spoliatus a gratuitis*, quatenus orbatus est omnibus donis, tum supernaturalibus, tum præternaturalibus, quæ Deus in Adamo contulerat humanæ naturæ; quoad secundum assertum, quod nempe homo fuerit *vulneratus in naturalibus*, non unica est theologorum sententia: hac de re agemus in responsione quæstionis mox proponendæ.

J. Van der Meersch.

III

Q. Explica conditiones requisitas ut valida et efficax sit condonatio restitutionis.

R. I. *Condonatio restitutionis ut valida sit et efficax, duas requirit conditiones:*

---

(1) Hoc constat ex Pallavicino: « Pergit decretum: *In eis liberum arbitrium minime exstinctum esse, viribus licet attenuatum et inclinatum.* Dicebatur antea, humanum arbitrium esse *vulneratum:* optabant aliqui ut hoc deleretur; alii ut adderetur ad rem explicandam, *subtractis donis gratuitis*... Postea pro voce *vulneratum*, repositæ sunt eæ quas retulimus, *attenuatum* et *inclinatum*, quæque hodie leguntur et æque cunctis Scholasticorum sententiis aptari possunt: quarum sententiarum altera hanc attenuationem inclinationemque contrahit ad solam *donorum gratuitorum* jacturam; altera vero eam ampliat ad aliquam in deterius mutationem illius status qui *natura sua* homini convenisset ». *Historia Concilii Tridentini*, L. VIII, c. 13, n. 7.

1ª ut fiat ab eo qui capax est condonandi seu debitum remittendi;

2ª ut fiat plene libere, ea scil. libertate quæ in contractu gratuito, puta donationis, requiritur.

Condonatio (1), duplici (2) hac conditione stipata, debitorem ab obligatione restituendi *penitus* liberat. Ea enim remissione posita, res aliena non amplius detinetur invito domino et deinceps legitime possidetur: hujusmodi remissio est quædam donatio. Nec refert etiamsi debitor non haberet animum restituendi, quia etsi peccet, tamen debitum extinguitur, si creditor debite remittat seu donet.

II. **Utraque conditio explicatur — 1ª**: *requiritur in condonante capacitas debitum remittendi,* attento tum jure naturali, tum jure positivo. Remittens ergo habeat dominium simul et administrationem rei remissæ. Solus enim ille qui liberam bonorum administrationem habet potest ea valide aliis donare. Hinc non valeret condonatio facta a filio minorenne non emancipato, quoad bona sua sub potestate patris vel tutoris constituto (3); neque valeret remissio concessa ab uxore circa bona sive propria sive communia, quorum administratio a lege marito conceditur, nisi de hujusmodi bonis agatur circa quæ maritus invitus non præsumitur vel rationabiliter esse non potest (4). Pariter inhabiles sunt ad

---

(1) Supponimus veram esse remissionem, non autem merum consensum in dilationem restitutionis, qui consensus excusat tantum a restitutione statim facienda.

(2) Auctores quidam, uti Lessius, *De Justitia et Jure,* L. II, c. XVI, Dub. 2, Billuart, *De Jure et Justitia,* Diss. VIII, Art. XX, tres enumerant conditiones requisitas ut valeat condonatio; addunt enim: *ut lex non obstet.* Verùm hanc conditionem ad priorem indicatam, nempe ad capacitatem condonandi reduci posse, nemo non videt: realis igitur nullus dissensus inter auctores reperitur. Neque re dissentit Crolly, *Disput. theol. de Jure et Just.,* V. III (Dublinii, 1877) p. 825 ss. qui quatuor conditiones ponit.

(3) De dominio filiorum-familias cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Tractatus de Justitia,* Brugis 1885-86, T. I, n. 122 ss.

(4) Cf. Markes, *De Justitia,* Ruræmundæ 1879, T. I, p. 305.

condonandum procuratores rerum alienarum quarum administrationem quidem non vero dominium habent. Ità etiam juxta Conc. Trid. (S. XXIV, c. XII *de Reformat.*) canonicus illicite absens horis debet distributionem restituere, non obstante remissione aliorum quæ invalida declarata fuit.

2ª **Conditio**: *condonatio fiat omnino libere seu sit perfecte voluntaria.* Est enim species quædam donationis gratuitæ quæ omnino libera et spontanea esse debet. Condonatio equidem non est contractus, adeoque (nisi fiat per mutuam conventionem vel compositionem) acceptationem debitoris minime postulat; verum quia est gratuita donatio, jure merito, ad voluntarium seu libertatem donantis quod attinet, contractui gratuito æquiparatur. Ad validitatem autem contractus gratuiti, adeoque ad validitatem condonationis, requiritur *voluntarium perfectum*, nullo obstaculo neque ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis impeditum (1).

Invalida igitur et inefficax est condonatio ex ignorantia vel errore facta, aut per fraudem, vim seu metum extorta. Ità, invalida est remissio quæ ex *errore* circa debiti quantitatem fiat, et secus non concederetur. *Fraude* censetur extorta condonatio, quando debitor fingit se longe pauperiorem quam revera sit, aut alio simili dolo inducit creditorem ad remittendum (2). *Vi* seu *metu* obtenta foret, si expresse vel implicite debitor intentaret minas, nisi vel integre vel pro parte debitum remittatur, prout aliquando solent potentiores cum minus potentibus, aut operariis agere. Similiter si debitor cogeret creditorem subire graviores et longiores molestias, litem v. g. nisi totalem vel partialem remissionem obtineat, hujusmodi condonatio metu extorta

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, T. I, n. 375; T. II, n. 341.

(2) *Blanditiæ* tamen et *preces* non impediunt efficaciam validitatemque remissionis, quia non reddunt remissionem involuntariam, nisi fortassis ità præter modum graviter importunæ essent ut condonatio injustæ vexationis redimendæ causa fieret.

dicenda foret. Ex quo capite etiam (1) securi non manent in conscientia mercatores qui, prætextu impotentiæ, concordias exigunt a creditoribus qui, metu amittendi totum debitum, partem singuli remittunt, cùm revera debitor plura posset solvere, et id totum quod superest sibi retineat ex alienis (2).

IV

Q. *Quandonam condonationem restitutionis præsumere* (3) *licet? Proba responsum.*

R. I. In genere *licet, quoties præsumptio nititur conjecturis moraliter certis vel solide probabilibus* (4). *Ratio* est quia res aliena jam non possidetur invito domino: ad excusandam enim malitiam injustitiæ non requiritur voluntas positiva domini, sed solum quod non sit positive invitus. Ex voluntate nempe interpretativa domini debitor rem, quam invito domino abstulit, sibi applicat et facit suam (5). — Dicitur tamen: *quoties præsumptio nititur conjecturis moraliter certis vel solide probabilibus.* Remissio enim utpote odiosa, stricte interpretanda est (6); unde in dubio, nisi fundatæ rationes consensum domini revera suadeant, præsumendum est dominum non consentire ut re sua spolietur.

Conjecturæ autem probabiles quæ domini consensum suadere possunt, desumendæ sunt ex variis adjunctis

---

(1) Ut notat DE LUGO, *De Justitia et Jure*, Disp. XXI, S. IV, n. 46.

(2) Secus dicendum, si absque culpa et fraude debitoris remissio fiat, quia creditor ob indigentiam debitoris vel ob alias causas — absque illius culpa — putat se non posse totum recuperare, et sic remittit partem, ut aliam partem saltem accipiat.

(3) Nulla difficultas est quando condonatio est *expressa* vel etiam *tacita*, ut in art. *cod. civ.* 1382, 1384. *Præsumptam* condonationem jus nostrum civile etiam admittit: art. 1383.

(4) Cf. SALMANTIC. Tract. XIII, *De Restitut.* P. XVI, n. 278.

(5) Cf. DE LUGO, *De Justitia et Jure*, Disp. XXI, S. IV, n. 55. Non ergo requiritur domini actus positivus, ut in contractibus conficiendis. Cf. CROLLY, *Disput. theol. de Jure et Just.* V. III (Dublinii 1877), p. 827.

(6) Cf. MARRES, *De Justitia*, Ruræmundæ 1879, p. 806.

simul inspectis : ex qualitate creditoris ac debitoris, ex indole creditoris, ex momento rei de qua agitur etc. Difficilius autem locus est præsumptioni seu consensui interpretativo in favorem extraneorum, præsertim in re majoris momenti, etiamsi interveniat cessio bonorum voluntaria sive judiciaria (1).

Nota tamen (2) non illico præsumptam condonationem concludi posse ex eo quod, si condonatio peteretur, etiam concederetur. Si enim petitio tua esset *unica* causa ob quam condonaret creditor, petitione non facta, non potes præsumere condonationem, secus vero si remitteret v. g. propter bonam erga te voluntatem.

II. **In specie.** 1/ *Rationabili præsumptioni haud facile locus est in re magni momenti erga debitores extraneos:* varia enim adjuncta hujusmodi interpretationi obstant ac potius dissensum domini suadent.

2/ *Facilius locus est dictæ præsumptioni apud famulos, amicos, conjunctos et maxime apud filios aut uxorem.* Etenim imprimis dominus sæpe non fuit invitus quoad substantiam rei acceptæ, sed quoad modum accipiendi occulte et sine licentia, vel simul etiam quoad finem ad quem res accepta est (3). Præterea etiam si dominus absolute invitus fuit circa acceptionem, sæpe non est invitus quoad retentionem, quatenus rei jam consumptæ pretium exigere aut etiam oblatum accipere nollet (4). Hinc

---

(1) Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *De Justitia*, Brugis 1885-86, T. II, n. 342, coll. T. I, n. 521 ; — *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 454 ss. Cessio bonorum sive voluntaria sive judiciaria per se debitorem in conscientia non liberat seu residuam partem debiti non extinguit (quod patet tùm ex sensu legis civilis, tùm ex intentione creditorum), nisi tamen creditores expresse condonent vel in modo agendi satis aperte condonare se significent. — Ubi inter plures unus condonationem obtinuit, cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *o. c.*, T. II, n. 314.

(2) Quod aliqui Auctores (uti GÉNICOT, *Theologiæ Moralis Institutiones*, Lovanii 1896, V. I, n. 548) non satis attendisse videntur.

(3) De furtis domesticis cf. *Collat. Brug.*, T. II, p. 451 ss.; — T. IX, p. 631.

(4) Cf. DE LUGO, *o. c.*, Disp. XXI, S. IV, n. 53; — MOLINA, *Disput.* 686, n. 10.

a/ *Liberi* ob præsumptam *parentum* condonationem a restitutione plerumque excusantur, si res ablatæ non amplius existunt, nisi de magna pro parentum conditione pecuniæ summa agatur (1). Dicitur: « si res sublatæ non amplius existunt » : etenim si res surreptas adhuc habent in se vel in æquivalenti, per se ad restitutionem tenentur.

b/ *Conjux* pari modo ob præsumptam *conjugis* condonationem a reparatione damni communi dominio illati et ex bonis privatis facienda ordinarie excusatur (2).

c/ *Famuli ac operarii* propter præsumptam *heri* condonationem ab esculentis aliisque rebus parvi momenti restituendis excusantur, nisi tamen eas extra domum asportent aut vendant (3). Si furta sive pecuniæ sive aliarum rerum in materia magis notabili fiunt, condonatio tum præsumi potest, ubi famulus re deprehensa a domino corripitur aut e famulatu dimittitur, quin iste restitutionem exigat (4); alias non potest facile præsumi (5).

Nota. 1/ Uti per se satis intelligitur, hæc non sunt publice prædicanda, ne paretur via rerum alienarum detentioni, ad quam homines nimis sunt proclives; imo cum magna discretione res est in confessione et consiliis tractanda, omnibus rite pensatis.

2/ Communiter fideles debent hac in re prudens consilium confessarii aliusve viri prudentis et pii inquirere, ne tanquam judices in propria causa nimis sibi faveant.

---

(1) Cf. S. Alphonsus, *Theol. Mor.*, Lib. IV, n. 700; — Marres, *o. c.*, p. 306; — Noldin, *De Præceptis Dei et Ecclesiæ*, Œniponte 1904, n. 505.

(2) Cf. Marres, *l. c.*

(3) Exceptis utique parvis rebus quas dominus parum curat, et quarum proinde restitutionem non urgere supponitur.

(4) Sed hoc dicendum non est si fur pecuniam surreptam adhuc possidet, aut si summa surrepta notabile damnum domino inferat.

(5) Ità fere Noldin, *l. c.*

V

Q. *Quandonam a restitutione hic et nunc facienda excusat impotentia moralis debitoris? Adde rationem.*

R. *Impotentia moralis* restituendi est nimia restituendi difficultas oriens ex eo quod grave damnum præsens vel futurum imminens, debitori vel tertio e restitutione sequeretur (1). In moralibus enim dicitur impossibile quod est valde difficile, quodque decenter et honeste fieri non potest: tunc scil. creditor irrationabiliter vellet sibi fieri restitutionem, adeoque adest justa causa eam differendi. *Sed explicandum est quandonam censeatur ad esse illa moralis impossibilitas, et quatenus a restitutione excuset* (2).

I/ *Per se semper excusat impotentia quæ oritur ex* **necessitate extrema** (3) *debitoris vel suorum* i. e. parentum, uxoris aut liberorum: cui scil. aliter subveniri nequit nisi rem alienam seu alteri debitam impendendo. Est sententia communis Doctorum (4). *Probatur autem sequenti ratione.* Extrema vel quasi-extrema necessitas excusat ab injustitia, quia non-possidens in tali neces-

---

(1) Moralis igitur difficultas non ex solo præcepto restituendi sed aliunde, scil. ex specialibus personarum et rerum adjunctis nascitur; secus enim nunquam restituendum foret. Cf. MARRES, *De Justitia*, Ruræmundæ 1879, T. I, p. 309.

(2) Cf. CARRIÈRE, *De Justitia et Jure*, Parisiis 1839, T. III, n. 1270.

(3) Necessitas « est *extrema*, quæ est de rebus necessariis ad vitam conservandam, ità ut secus extremum malum mortis immineat, cui annectitur *quasi-extrema* seu *gravissima*, quæ affert periculum proximum incidendi in extremam; ut morbus lethalis; vel quæ certe affert carentiam maximi alicujus boni ex iis quæ natura communia esse voluit omnibus hominibus, v. g. imminens servitus vel captivitas perpetua, gravissima infamia positiva qua amittitur bonum nomen quod naturaliter habent homines, perpetua carentia sanitatis ». Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *o. c.*, T. II, n. 188; — *Collat. Brug.*, T. II, p. 25; — S. ALPH. *Theol. Mor.*, Lib. IV, n. 520. — Cur necessitas extrema *spiritualis* raro excuset in hac materia, vide apud Illm ac Revm WAFFELAERT, *o. c.* T. II, n. 349.

(4) Cf. LESSIUS, *De Justitia et Jure*, Lib. II, C. XVI, Dub. I, n. 2.

sitate constitutus, cui alia via non suppetit sese eripiendi, retinet jus strictum sibi arripiendi necessaria ad sese ex tali necessitate eripiendum (1). Unde *a fortiori* debitor ad *statim* restituendum non tenetur, quum sic agendo se vel suos in extremam vel quasi-extremam necessitatem conjiceret. Etenim major causa requiritur ad res alienas, domino invito, auferendas, quam ad eas etiam injuste possessas non restituendas.

Theologi autem communiter intelligunt non tantum necessitatem propriam debitoris sed et *suorum* (2) i. e. parentum, uxoris ac liberorum; quia fere non minus tenetur eorum necessitati quam propriæ consulere: hujusmodi enim personæ omnes ità naturaliter inter se conjunguntur ut necessitas unius pro necessitate alterius rite habeatur.

Dicitur tamen *per se* dictam impotentiam esse justam causam differendi restitutionem. *Excipitur* enim casus quo creditor ex subtractione rei restituendæ in eamdem necessitatem conjiceretur. Nam in pari causa et periculo, melior est conditio domini possidentis, qui præterea juxta ordinem charitatis sibi potius, cæteris paribus, consulere quam alteri potest et quandoque debet (3).

II. *Impotentia quæ oritur ex temporali (aut spirituali)* **gravi necessitate** (4) *debitoris, suorum vel creditoris, licet*

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. II, p. 24 ss ; — Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *De Justitia*, Brugis 1885-86, T. II, n. 188; — CROLLY, *Disput. theolog. de Jure et Just.*, V. III (Dublinii 1877) n. 1161.

(2) Imo plures, et meritò quidem uti videtur, id extendunt ad necessitatem *cujuslibet tertii*, quia tertius ille posset rem surripere apud dominum, ergo et apud debitorem. Debitor autem, in casu restitutionem differens, quasi vices tertii indigentis gereret. Cf. DE LUGO, *De Justitia et Jure*, Disp. XXI, S. I, n. 5.

(3) Cf. BOUQUILLON, *Tract. de Virt. theol.* Brugis 1878, n. 428; — Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *Annot. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 428.

(4) Necessitas *gravis* est in qua malum extremum mortis, morbi insanabilis, carceris perpetui etc. non moraliter certo imminet, sed probabiliter timetur, vel certo imminet periculum minoris sed tamen notabilis mali, ut gravis morbi, gravis infamiæ vel jacturæ bonorum aut sui status. Cf. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 645.

per se non excuset, sæpe tamen de facto a restitutione statim facienda excusare potest. — Hæc autem est *ratio*. Necessitas gravis non sufficit ad rem alienam auferendam, adeoque per se non excusat a restitutione. Attamen, *juxta principia de ordine charitatis* inter nos et proximos (1), de facto restitutionis dilatio sæpe permittitur, imo quandoque imponitur. Dominus enim rationabiliter minus invitus est quando quis rem detinet cum animo eam reddendi ubi licuerit, quam si quis eam auferat cum animo nunquam reddendi.

Ut autem de gradu necessitatis ad dilationem sufficiente, adeoque de præsumpto legitime creditoris consensu æquum judicium feratur, simul attendenda sunt: a/ *gravitas rei restituendæ;* b/ *radix obligationis restituendi* (difficilius differre licet ubi obligatio ex delicto oritur); c/ *incommodum* (temporale vel spirituale) debitoris spectatum in se et etiam relate ad incommodum creditoris: nam in pari causa et necessitate melior est conditio creditoris possidentis.

Hujus autem regulæ præcipuas quasdam applicationes breviter exponamus:

1° Restitutio differri potest, si ex restitutione statim facta *debitor damnum subiret quod notabiliter* (2) *excedit damnum quod creditor ex dilatione patitur*. Ità non debet opifex instrumenta suæ artis, vir doctus libros quibus munere fungendo indiget, vendere ut statim restituat; neque debet agricola se privare frumento vel pecunia quæ ipsi necessaria sunt ut agros colat; neque privare quis se debet ea pecunia quæ ipsi nunc necessaria est ne cum magno damno ab aliis ad tribunalia vocetur; neque teneris statim et cum magno detrimento vendere actiones vel obligationes pro quibus postea conveniens pretium certo acciperes. Attamen aliter dicendum, si

(1) Cf. Bouquillon, *o. c.*, n. 423 ss.; — Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Annot.*, n. 423 ss.

(2) Dicitur *notabiliter*, saltem si debitor sit ex delicto.

creditor æquale damnum e dilatione passurus est, e. g. si et ipse, ob omissam restitutionem agros colere nequeat vel propria bona magno cum detrimento vendere debeat. — Hinc etiam cum jactura propriæ famæ restituenda est fama proximi, nisi talis jactura notabiliter superet detrimentum quod passus est proximus (1).

2° *Si quis restituendo ex statu suo juste* (2) *acquisito decideret*, ad tempus restitutionem differre potest, ut quando civis honestus operariorum modo vivere deberet. Talis enim amissio status honeste et juste acquisiti pro debitore longe majus incommodum est quam pro creditore præsens carentia bonorum fortunæ. Agnoscunt tamen omnes graviter peccare debitorem qui non curat, minuendo saltem statum, parcius vivendo aut diligentius pro conditione sua laborando, ut restitutionem aut reparationem a se debitam præstare possit (3).

3° Altera generalis causa restitutionis differendæ est *ut vitetur creditoris ipsius aut alterius tertii damnum proportionate grave*. Charitas enim postulat ut alterius damnum, quantum fieri possit, præcaveamus. Hinc debitor non tantum potest, sed etiam ex charitate saltem debet rem, qua alter certo abusurus est, non restituere, dummodo absque gravi incommodo proprio id facere possit (4).

4° *Privatio lucri apud debitorem non est ratio sufficiens*

---

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *l. c.*; — BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol. mor.*, V. III (Prati, 1890) p. 436; — GÉNICOT, *Theol. Mor. Instit.* Lovanii 1896, V. I, n. 547; — MARRES, *o. c.*, p. 310; — NOLDIN, *De Præceptis Dei et Eccl.*, Œniponte, 1904, n. 506.

(2) Dicitur tamen *juste* acquisito; nam si status quo vivit injustitia comparatus fuit, non potest ideo licite differre restitutionem, qui alias statum suum amitteret: etenim restituendo non amittit statum, sed potius ad statum sibi proprium redit.

(3) Cf. MARRES, *o. c.*, p. 312.

(4) Cf. MARRES, *o. c.*, p. 312: « Ex. g. reddi nequit gladius, quo alter aut seipsum aut alios occisurus aut vulneraturus est; domino non reddendi sunt libri neque picturæ, quæ in *nullum* nisi in pravum usum inservire possunt. »

differendi restitutionem, quia dominus non debet re sua privari ut debitor exinde lucrum percipiat. Differri tamen posset, si debitor hoc lucro *certe* comparando indiget ut aliis creditoribus satisfaciat, quia quilibet creditor ex charitate rationabiliter velle debet, ut majus creditorum damnum cum æquali suo damno vitetur (1).

5° *Ordinarie debitor non debet de necessitate* (2) *restituere bona ordinis inferioris cum gravi suo aut suorum damno bonorum ordinis superioris:* ut bona fortunæ cum jactura famæ, bonum famæ cum jactura vitæ, bonum temporale cum periculo detrimenti spiritualis. Ut tamen hæc ratio valeat, requiritur ut, in prudentum morali æstimatione, bonum altioris ordinis multum excedat bona inferiora restituenda; requiritur præterea nulla pateat via indirecta qua vitetur hoc boni superioris periculum, uti pro fama v. g. restitutio per confessarium.

A. Camerlynck.

VI

Q. *Quomodo et quandonam, in missa privata, facienda est inclinatio corporis a/ profunda b/ mediocris?*

R. **Prænotamen.** Sicut homines, inclinatione facta alicui personæ, generatim intendunt ei exhibere reverentem salutationem aut submissionem, ita etiam in sacris ritibus solet inclinatio præscribi in signum reverentiæ. Unde rubricæ non raro usurpant vocem *reverentiam* tanquam nomen genericum sub se complectens diversas inclinationum et genuflexionum species.

Est autem *inclinatio* duplex, capitis scilicet et corporis. Et dum prior illa magis determinate exprimit

---

(1) Cf. Lessius, *De Just. et Jure*, Lib. II, c. XVI, n. 24.; — Salmant. *De Restit.* c. I, n. 271; — Marres, *o. c.*, p. 311. Quinimo debitor qui omnibus suis debitis solvendis impar est, contra justitiam ageret si unum creditorem aliis absque titulo præferret.

(2) Licet hujusmodi reparatio quandoque *suaderi* possit.

reverentem salutationem, altera hæc magis specifice usurpari solet ad significandam reverentem humiliationem ac supplicationem.

Inclinatio corporis rursus distinguitur in profundam et mediocrem.

I. **Profunda** ab auctoribus describitur ut ea qua corporis superior medietas ita demittitur ut vel digiti attingere possint genua, vel frons fere tangat altaris mensam.

Facienda hæc est quoties a Rubrica expresse petitur, v. g.: *profunde se inclinat; profunde inclinatus* reverentia *facta profunda*. Nempe:

1/ ante initium missæ celebrandæ ad altare in quo non asservatur SS. Sacramentum nec est exposita reliquia S. Crucis aut Passionis Dominicæ: a/ cum primum celebrans pervenerit ante infimum gradum et biretum ministro porrexerit; et rursus b/ cum ab altari descenderit sub infimum gradum, antequam faciat signum crucis (1);

2/ infra et post recitationem *Confiteor* usque dum minister absolverit *Misereatur* et ipse sacerdos responderit *Amen* (2);

3/ dum recitatur *Munda cor..., Jube, Domine..., Dominus sit...* ante evangelium (3);

---

(1) Dum in recessu ab altari in fine missæ reverentia cruci exhibetur simplici *capitis* inclinatione, ante initium missæ facienda est *corporis profunda* inclinatio. Ratio videtur esse quod non fit ad meram salutationem, sed ut celebraturus manifestet sensus profundæ humilitatis qua decet ipsum accedere ad tremendum sacrificium. Hujus inclinationis loco, in antiqua liturgia romana, fiebat plena corporis *prostratio*, quæ hodiedum servata est in Parasceve et in Sabbato Sancto.

(2) Hæc profunda exterior humiliatio corporis fit in signum interioris humiliationis quæ peccatorem decet veniam deprecantem; protrahitur autem infra recitationem *Misereatur* et *Amen* quia et hæ orationes fiunt pro sacerdote peccatore ut misereatur ipsius omnipotens Deus ipsique peccata dimittat.

(3) Ratio est quia celebrans, memor humilis et sancti tremoris quo afficiebatur Isaias missus ut populo nuntiaret verba Domini (*Is.* VI, 5 sqq.), timet et ipse, suæ indignitatis conscius, et mundari a Domino humiliter petit ut sanctum evangelium digne valeat nuntiare. Cfr. VAN DEN BERGHE, *Ordo Missæ*, Brugis, 1900, p. 22.

4/ dum dicitur initium canonis: *Te igitur...* usque ad *supplices rogamus ac petimus* inclusive.

5/ dum infra canonem recitatur: *Supplices te rogamus...* usque ad verba *ut quotquot* inclusive (1).

II. **Mediocris** inclinatio corporis media est inter profundam corporis et profundam capitis inclinationem. Importat capitis et scapularum sat magnam deflexionem, ita ut ad altare, aiunt communiter auctores, frons incurvetur circa altitudinem pallæ super calicem positæ.

In Rubricis solet designari verbis « *inclinatus* » sine addito, aut magis determinato modo: « *aliquantulum, parum, mediocriter inclinatus* ».

Facienda autem est:

1/ ad versiculos *Deus tu conversus...* usque ad *Oremus* inclusive;

2/ ad orationem *Oramus te Domine...* usque ad verbum *Reliquiæ* inclusive;

3/ infra orationem *In spiritu humilitatis...;*

4/ infra orationem *Suscipe, Sancta Trinitas...;*

5/ ad trisagion *Sanctus, Sanctus...* usque ad *Benedictus* exclusive;

6/ infra tres orationes ante Communionem;

7/ infra orationem *Domine non sum dignus...* ter repetitam;

8/ ad sumptionem S. Hostiæ (2).

9/ Pro casibus præcedentibus plane concordat textus rubricarum tum in *Ritu celebrandi* tum in *Ordine Missæ*. Non ita pro duobus sequentibus:

De recitatione *Agnus Dei...* dicit *Ritus celebrandi* X, 2: « *capite inclinato* versus Sacramentum dicit... ». *Ordo Missæ* contra habet: « et *inclinatus* Sacramento... dicit ».

---

(1) Supplex ac profunda inclinatio optime quadrat cum sensibus et verbis harum orationum quibus « *supplices* rogamus ac petimus... ».

(2) Perpendenti prædictas orationes et actiones satis manifeste apparebunt sensus humilitatis et reverentiæ quæ exprimuntur externa corporis inclinatione.

De oratione *Placeat* eadem est textuum discrepantia. *Ritus celebrandi*, XII. 1, ait: « stans junctis manibus super altari et *capite inclinato*, dicit secreto : *Placeat*... ». Sed in *Ordine Missæ* legimus: « sacerdos *inclinat se* ante medium altaris et manibus junctis super illud, dicit, *Placeat* ».

Inde deducunt auctores alii, innixi textui *Ritus celebrandi*, tantummodo *caput* esse inclinandum, alii vero, verbis *Ordinis Missæ* nitentes, contendunt *corporis mediocrem inclinationem* esse faciendam.

Utramque sententiam sequi licet. Animadverti tamen potest solius capitis inclinationem aliàs in missa privata non præscribi pro longiori quadam oratione; inclinationem vero corporis magis videri congruam cum humili percussione pectoris ad *Agnus Dei* (1), et præsertim cum positione manuum super altare ad *Placeat:* hæc enim manuum positio semper fit ratione inclinationis corporis, ad illud nempe sustinendum, pro capitis vero inclinatione nullibi præscribitur.

C. Callewaert.

(1) Cf. rubricam ad *Domine non sum dignus*...

Miscellanea

I/ Casus matrimonialis.

Proponitur a P. Lehmkuhl, in egregio opere periodico *Theol. Prakt. Quartalschrift*, Lintz, 1905, p. 120: Caius, mortuo patre, nuptias ambit ineundas cum Titia, a quibus nuptiis Caium avertere nititur Lucia Caii mater vidua; quæ irritos præsentiens conatus apud filium, parochum adit eique declarat Caium filium esse natum, vivente marito, ex commercio adulterino cum avunculo Titiæ, adeoque matrimonio Caii cum Titia obstare occultum impedimentum consanguinitatis in 2° gradu lineæ collateralis æqualis.

Quod spectat *solutionem:* non raro negligenda erit hujusmodi assertio, signanter si concepta est proles tempore legitimi matrimonii et extra legitimi viri absentiam: quo casu præsumetur filius ex patre natus quem nuptiæ demonstrant, non obstante adulterino commercio a matre habito, nec opus erit ad dispensationem recurrere.

Quodsi *seriò dubitatur* de impedimenti existentia, puta si tempus conceptionis meritò præsumitur matrimonio legitimo prævium, vel incidens in absentia notabili mariti, casus deferendus est Episcopo qui, juxta plurium auctorum sententiam (1), super impedimentis juris ecclesiastici *dubiis*, dubio facti, dispensare valet ex potestate quasi-ordinaria, quæ dispensatio foret impetranda saltem ad cautelam.

Posset etiam fieri *certam* esse præfatæ consanguinitatis existentiam, quando v. gr. ex testimonio matris

---

(1) Cf. De Becker, *De Sponsal. et matrim.*, ed. 1903, p. 305-306; Gasparri, *Tract. canon. de matr.*, I, n. 407; Wernz, *Jus Decretalium*, tom. IV, n. 620, et auctores ll. cc. allatos; Feye, *De Imped. matr.*, n° 637, qui restringit usum episcopalis potestatis ad casum urgentem.

fide digno constat ex una parte Caium fuisse conceptum ante matrimonii contractum, et ex alia parte Luciam cum nullo alio viro præter Titiæ avunculum carnaliter fuisse commixtam. Quo casu, nulla hic facultate competente Episcopo, dispensatio foret obtinenda a S. Sede, eaque ita esset comparanda ut in foro externo possit invocari, si impedimentum publicum evadat, utque interea ignota maneat ac secreta custodiatur. Exempla hujusmodi dispensationis non semel jam attulimus, inter alia apud *Collat.*, VI, p. 609.

Potuisset et alia quæstio, a P. Lehmkuhl hîc non memorata, obiter agitari occasione prædicti casus: utrum nempe Lucia Caii mater, sola, uti supponimus, impedimenti conscia, debuerit impedimentum parocho revelare pro impetranda dispensatione. Porro non est dubium quominus ab hac revelatione facienda excusaretur ob gravissimam quam coram parocho incurreret infamiam, quæ infamia eo gravior foret quo integriori frueretur fama ac honestioris conditionis esset Lucia mater.

Quinimo hujusmodi infamia sufficiens esset ratio ut abstineatur a revelatione impedimenti consanguinitatis in primo gradu, et permittatur potius incestuosum matrimonium inter fratrem et sororem: instante nimirum matrimonio, quemadmodum nuper contigisse audivimus, inter juvenem et puellam, quam hujus mater sola noverit esse sponsi sororem, utpote natam ex matris adulterino commercio cum ipso patre juvenis, non esset cogenda dicta mater ad revelandam turpitudinem suam coram propria filia, ut hæc a nuptiis desistat, licet totis viribus et omni quo par est conatu ejusmodi infandam unionem impedire teneatur (1). Cf. in hunc sensum so-

(1) Vix monendum est a confessario, ejus generis impedimenti ex confessione conscio, sanctissime ac severissime custodiendum esse sigillum sacramentale, cujus providum rigorem, etiam in adeo anxiis adjunctis ex Ecclesiæ doctrina urgendum, sacrilegè calumniatur auctor recenter editæ tragediæ, cui nomen *La Soutane*, Cf. *Bien Public*, Supplément du 5 Févr. 1905.

lutum casum coram conferentiis Romanis propositum apud *Analecta Eccles.*, 1901, p. 189 et seq.

*
* *

II. **De morte reali et apparenti.**

Sacerdoti properanti ad adultam personam ultimis sacramentis reficiendam, ipsamque domum ingredienti nuntiatur a familiaribus illam personam brevi ante obiisse: quid facto opus? et signanter an et quousque potest ac debet ultima sacramenta ministrare?

Quæstio nuperrime tractata est fusiori sermone in hispanico periodico *Razon y Fe*, auctore P. Ferreres, cujus dissertationis compendium, ex *Revue Augustinienne* desumptum, exhibent *Revue ecclésiastique de Metz,* 1904, p. 681-688, necnon *Revue théologique française,* 1895, pp. 49-62. Quocirca juvat paucis proponere quædam solutionis elementa pro variis casibus præ oculis habenda et solerter applicanda.

Notum est non paucos dari Auctores qui, sicuti A. dissertationis de qua modò, contendunt fideles, in casu proposito, posse sacramentaliter absolvi ac inungi, utique conditionaliter, per tempus plus minusve longum inde a momento quo visi sunt mortem oppetiisse.

Quam praxim duplici ex capite, licet non satis accurate distincto, legitimare nititur laudatus A. Nimirum

1°/ Quod spectat **mortem subitam**, administrari possunt sacramenta propter dubium in casu passim subsistens, utrum mors *realis* sit an verò *apparens* tantùm; in cujus asserti subsidium affert testimonium Academiæ Barcenonensis, quæ, « d'accord avec beaucoup de savants approuvait naguère à l'unanimité la déclaration suivante d'un de ses membres: L'état de mort apparente est très fréquent et long chez les personnes qui meurent de mort subite ou par accident ». *R. th. fr.*, p. 53, quo loco addit: « Les expériences physiologiques qui appuient ces affirmations tiennent lieu ici de démonstration scientifique et contribuent puissamment à les faire prévaloir ».

2°/ Quoad mortem **non subitam**, facilius quidem semovetur hypothesis mortis apparentis, sed etiam tunc, seposita scil. hypothesi mortis apparentis, tenet prudentem permanere rationem suspicandi animæ præsentiam. Quod prudens dubium ex hoc deducere conatur quod mors non sit *in instanti* posita, sed *successive ac progressive* corpus humanum pervadat, adeo ut vita, adeoque hujus principium anima, non separetur a corpore instantanee sed progressive dumtaxat. Nimirum mors hic non est apparens, uti sub 1°, nec ulla ne minima quidem subest spes reviviscentiæ, sed mors non est a primo momento absoluta, totumque corpus occupans, sed notabili ad hoc indiget temporis spatio: incepit quidem vita ac anima corpus definitive deserere, nondum autem separationem absolvit nec perfecit.

« La mort ne se produirait donc pas d'une façon instantanée au moment précis où les signes extérieurs de la vie disparaissent, mais progressivement à partir de cet instant... Le médecin peut constater facilement le dernier souffle du mourant (en cas de mort non subite), l'arrêt du cœur et de la respiration... il peut même, à n'en point douter, déclarer que jamais cet homme ne retrouvera, du moins d'une façon normale, l'usage de la respiration et l'exercice de la vie. Pourtant certains organes secondaires semblent encore bien vivants : dans cinq minutes, dans un quart d'heure, on constatera encore certains phénomènes physiologiques sur ce que tous appellent déjà un cadavre. La vie a quitté les organes principaux pour se retirer, semble-t-il, dans les cellules des tissus secondaires », l. c., pp. 53-55.

Ex quibus concludit A. probans sacerdotem qui, *etiam in casu mortis non repentinæ,* ultima sacramenta impertiret conditionatè personæ, postquam inde a media hora et ultra exspiraverit, l. c., p. 56.

***

Sciscitanti autem quid de hujusmodi conclusione

ejusque propositis fundamentis sentiendum videatur, en quousque, salvo meliori, illa admittenda opinemur :

A/ **In casu mortis subitæ**, illius signanter quæ provocatur per causas relatas apud Vibert, *Précis de médecine légale,* Parisiis, 1896, p. 62-63 : « certains traumatismes occasionnant une commotion du crâne ou de tout le corps, la fulguration, l'asphyxie produite par strangulation, pendaison, enfouissement, submersion, certaines intoxications, celles produites par exemple par l'oxyde de carbone, le chloroforme » ; in ejusmodi, inquam, casibus non negamus locum esse administrationi sacramentorum conditionatæ, per aliquot momenta inde ab instanti quo mors videtur accidisse.

Testibus namque eruditis unanimiter, ratio datur non levis, in dictis adjunctis, suspicandi, per aliquod temporis intervallum, sub velamento mortis apparentis vitam latitare invisibilem (1). Nec desunt facta historica illam opinionem corroborantia, qualia plurima eaque recentia ac authenticis munita documentis refert Dr Icard in *La Presse médicale,* n° 66, diei 17 Aug. 1904, p. 522 et seq. ; quæ facta seriem complent factorum ab eodem consignatorum in libro, cui titulus *La mort réelle et la mort apparente,* 1897, Parisiis. Monet autem non absque discretione fidem esse adhibendam omnibus qui circa hæc circumferuntur rumoribus (2).

---

(1) « Pendant la syncope et la mort apparente les battements du cœur peuvent rester pendant longtemps faibles, ralentis et irréguliers ; ils sont alors difficiles ou impossibles à apprécier par la palpation ». VIBERT, op. cit., p. 41.

(2) « Beaucoup d'observations résultent d'erreurs commises par des personnes étrangères à la médecine ; d'autres — et c'est le grand nombre — sont des observations que l'on peut qualifier, avec raison, de fantaisistes, de mensongères et de romanesques. La presse quotidienne se fait trop facilement l'écho de la rumeur publique... il nous faudrait plusieurs volumes si, les croyant exactes, nous voulions donner toutes les observations inédites qui nous ont été rapportées durant l'enquête

Porro sufficit qualecumque, infimæ etiam probabilitatis motivum, modò probabile sit, sperandi humanæ vitæ præsentiam ut moribundis spiritualiter succurratur per conditionatam absolutionem et sacramentalem unctionem, uti expositum habes apud *Collat.*, VII, pp. 546-548. Qua occasione non possumus non revocare in memoriam præstantiam Extremæ Unctionis præ absolutione sacramentali respectu moribundi, uti hic, sensibus destituti. Ad fructuositatem namque Extremæ Unctionis, uti apud *Collat.*, V, p, 14, instanter monuimus, sufficit ipsis sola attritio *habitualis*, dum ad peccatorum per absolutionem sacramentalem remissionem postulatur attritio *virtualis*, et insuper aliqualis *confessio externa*, quæ in hujusmodi moribundis valde dubie obtinebit (1).

Quod spectat *temporis spatium* licitæ sacramentorum dispensationi relictum, nemo unquam illud accuratè determinabit, idque cæteroquin pendet a variis adjunctis particularibus, quorum rationem habere debet sacerdos in dijudicanda opportunitate agendi ; vix tamen unquam excedet quadrantem horæ, eo vel magis quod cavendum est a scandalo et offensione populi, ne scilicet mirentur modum agendi sacerdotis, vel etiam, quemadmodum notat compendii redactor, l. c., p. 57-58, ne inde inducatur vel confirmetur infaustus usus « de ne demander le ministère du prêtre qu'au dernier moment,

---

que nous avons entreprise dans le but d'éclairer notre religion et de savoir à quoi nous en tenir sur la fréquence des inhumations précipitées.... Les hommes de science eux-mêmes répètent un peu trop facilement de pareilles histoires, ils acceptent sans contrôle des faits qu'ils donnent comme certains et qui le plus souvent n'ont aucun fondement : l'auteur qui a une thèse à soutenir accueille avec trop d'empressement l'argument qui lui est favorable sans trop se soucier de son origine ».

(1) Insuper Extrema Unctio sine attritione suscepta potest revivisccre, si postea, durante eodem mortis periculo, suppletur defectui, nequaquam vero Pœnitentia, cum attritio ad ejus constitutionem pertineat.

et parfois même trop tard pour assurer au mourant le repos éternel ».

B/ **Extra casum mortis subitæ**, quando nempe mors apparet morbo et agoniæ normaliter succedens, passim abstinendum videtur a sacramenti collatione post ultimum susceptum suspirium. Et sane non urgent rationes a P. Ferrères adductæ pro vindicanda contraria praxi. Reverà

1°/ non datur serium motivum præsumendi mortem *apparentem,* quemadmodum contingit pro casu mortis subitæ. Equidem medici docent, præter putrefactionem, non dari aliud signum mortis *absolutè et physice certum*, fatentur tamen quod, extra casum mortis plus minusve repentinæ, *moralis certitudo* de morte reali quasi semper sequetur obvie percipienda signa cessantis respirationis et cordis pulsationis, totumque corpus pervadentis paloris cadaverici : quorum phenomenorum qui unquam testis fuerit dubium omne practicum semovebit.

« L'arrêt de la respiration, ait Vibert, op. cit., p. 40, est le vrai signe de la mort pour les personnes qui assistent un agonisant. Dans la plupart des cas ce signe n'est pas trompeur, et quand la respiration est arrêtée depuis une minute, la vie est définitivement éteinte ».

« Pour les maladies ordinaires, aiguës ou chroniques, ou les maladies qui conduisent à la mort par tous les degrés connus de dépérissement, de faiblesse, d'émaciation, de marasme et d'extinction successive, qui offrent tous les symptômes qui précèdent et accompagnent l'agonie... dans tous ces cas on est généralement bien plus tôt convaincu de la réalité indubitable de la mort.... on est assuré de la mort ; et cette conviction pratique et expérimentale est d'une très grande force ou plutôt elle équivaut à la certitude ». De Breyne, *Mœchialogie ou Traité des péchés,* Bruxelles, 1848, p. 407-408.

2°/ Nec valet alterum motivum ad quod recurrit

R. P. Ferrères, quasi, seposita hypothesi mortis apparentis, semper maneat verum quod mors, postquam reipsa ac realiter jam inceperit corpus invadere ac essentiales organismi functiones jam abruperit, nonnisi *lente ac progressive* totum corpus occupet completamque animæ separationem provocet, juxta dicta suprà.

Equidem non contendimus, cum functionum essentialium suspensione ac abruptione, omnem qualemcumque illico extingui vitæ scintillam, in omnibus et singulis organis et cellulis, nec negare volumus motum aliquem vitalem sat diu post ultimum suspirium in illis seorsim reperiri; sed illa phenomena vitalia, ubi dantur, non procedunt a principio unico totum compositum animante et vivificante, sed segregatam produnt ac singularem aliquam vitalitatem quorumdum organorum, absque cohæsione ac unitate totius compositi. Et certe mors, si proprie loquamur, id est, separatio animæ a corpore in instanti contingit, nec aliter concipi potest.

Appositè Ill. Mercier, *La Psychologie,* Louvain, 1899, p. 515-516: « La mort de l'homme c'est la séparation de l'âme raisonnable d'avec le corps. Or cette séparation n'entraine pas d'un coup la désorganisation complète du corps et sa résolution immédiate en ses premiers éléments. Il est de fait même que des substances albuminoïdes, extraites de l'organisme aussitôt après la mort, révèlent à l'analyse chimique une complexité très grande; il est de fait que la vie se retrouve dans certains éléments organisés, elle se manifeste même par la croissance de certains tissus; il y a donc encore passagèrement, dans un cadavre humain, des composés partiels offrant une certaine unité; il doit y avoir dès lors des formes relativement élevées qui assurent momentanément cette complexité d'éléments et ces manifestations de vie; mais ces *unités partielles* et éphémères n'empèchent pas que le corps ait perdu son *unité d'ensemble,* et n'ait cessé dès lors de réclamer un principe d'unité... ».

Ipse etiam compendii collator, de quo suprà, in hunc sensum moderatur doctrinam R. P. Ferrères, p. 56-57: « Il y a pourtant lieu à de sérieuses réserves. Les manifestations de la vie matérielle dans le corps humain ne sont pas un indice absolu de la présence de l'âme : elles persistent parfois dans certaines parties du corps, longtemps après sa séparation de l'âme. Les observations des médecins s'appliquent exclusivement à la présence des phénomènes vitaux et quasi-vitaux; l'action spirituelle du prêtre s'exerce sur l'âme elle-même, et, celle-ci disparue, le ministre du sacrement ne peut plus agir ».

A. De Smet.

Fabriques d'église

Séance légale du premier dimanche de Mars.

I. Aux termes de l'a. 5 de la loi du 4 Mars 1870, le trésorier est tenu de présenter son compte annuel au conseil de fabrique, dans une séance obligatoire qui se tiendra le premier dimanche de Mars. L'objet principal de cette séance sera donc, l'examen et la clôture du compte. Cependant, il demeure toujours loisible au conseil, de charger le bureau de vérifier le compte et de lui en faire rapport dans la séance d'Avril, dans laquelle, au plus tard, cet état des deniers sera définitivement clos et arrêté.

Nous engageons vivement MM. les curés et les administrations fabriciennes, à veiller à l'observation de toutes les prescriptions légales relatives à la confection, à la vérification, à l'apurement et à l'approbation de cet acte de comptabilité (1). Non seulement, ils éviteront ainsi, les désagréments que leur occasionnerait le renvoi des comptes non approuvés ou modifiés par l'administration supérieure; mais encore, ils y trouveront le moyen de s'assurer de la régularité des écritures et de la bonne tenue des livres (2), et d'établir d'une façon exacte, la situation active et passive de la paroisse.

---

(1) Voir la circulaire ministérielle du 15 Mai 1885 ap. *Coll. epist. pastoral.*, T. XIV (1881-1887), p. 220 ss.; les observations judicieuses et pratiques consignées dans les *Collationes Brugenses*, T. I, p. 81 ss.; II, p. 90 ss., 590 ss.; IV, p. 109 ss.; V, p. 194 ss. Pour plus de détails, cf. Vouriot, *Manuel des conseils de fabriques*, 3e édit., Bar-le-duc, 1873; Leroy, *Instructions pratiques sur la comptabilité et l'administration des fabriques d'églises*, p. 102-149, Tournai, 1883; Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9e édit., p. 564 ss., 596 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp.*, 7a edit., T. II, nº 1135, p. 446 ss.; p. 532 ss.

(2) Le travail de confection du compte est facile, quand le journal des recettes et des dépenses est tenu dans l'ordre même du budget et du compte.

A cet effet, ils veilleront surtout, à ce que le trésorier présente à l'appui de cet état des recettes et des dépenses, toutes les pièces qui établissent que les opérations portées au compte, ont été réellement et régulièrement faites (1).

Divers arrêtés royaux publiés au *Moniteur* depuis le 1er Janvier 1904, ont été pris en la matière. Voici les conclusions qui s'en dégagent :

1° Il faut porter en recettes, le produit de toute collecte faite pour les frais du culte et qui doit être perçu par le trésorier et versé à la caisse de la fabrique (2). Sont considérées comme faites pour les frais du culte, les quêtes faites pour l'embellissement et la décoration des églises, notamment pour l'acquisition et le placement d'un maître-autel (3), et généralement pour tous les frais spécifiés aux articles 1 et 37 du décret de 1809.

2° L'allocation d'un crédit pour dépenses imprévues, constitue une dérogation aux principes de comptabilité. Cependant, si le montant effectif d'une dépense n'excède que légèrement le crédit alloué au budget en vue de cette dépense, ce léger excédent peut être imputé sur l'allocation portée à titre de *dépenses imprévues*, au n° 50 ou 61 des modèles des budgets et des comptes (4). Le président du bureau doit alors ordonnancer deux mandats à annexer comme pièces justificatives, l'un avec imputation sur le crédit spécial alloué et approuvé au budget; l'autre avec imputation sur le crédit des dépenses imprévues, de l'excédant de la dépense sur la somme qui avait été prévue au budget.

---

(1) Ces pièces justificatives sont énumérées dans la circulaire citée du 15 Mai 1885.

(2) Leroy, *o. c.*, p. 23; De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*, n° 1123, p. 136; *Coll. Brug.*, I, 138, 430; III, 474; IV, 184.

(3) ar. r. 25 Décembre 1903 (*Moniteur*, 1904, p. 164; *Coll. Brug.*, IX, p. 212).

(4) ar. r. 11 Février 1904 (*Moniteur*, p. 780).

Cette allocation peut également servir au paiement de dépenses peu importantes et urgentes, qu'il y a lieu d'effectuer dans le cours de l'exercice (1).

3° La *remise* au trésorier, dépense obligatoire, doit se calculer sur les *recettes ordinaires* et ne peut dépasser 5 % (2).

Le Bureau a aussi l'obligation de dresser, vers la même époque, l'état de situation de la caisse. Ce compte d'avoir sert à contrôler le compte annuel des deniers et par suite celui du trésorier, dont les éléments entrent dans le compte général de la caisse. On est sûr d'avoir bien opéré, quand le compte de la caisse présente en fin d'exercice, une augmentation ou une diminution égale à l'excédent ou au déficit du compte de l'exercice (3).

II. Nous rappelons aussi, la grave obligation qu'ont les marguilliers et surtout le trésorier, de visiter au commencement du printemps, les bâtiments, avec des gens de l'art et de pourvoir à ce que les réparations soient bien et promptement faites, en suivant la marche indiquée aux art. 34, 4°; 41 et 42 du décret de 1809 (4).

Les marguilliers et spécialement le trésorier sont personnellement responsables, tant vis à vis des tiers que vis à vis de l'église, de leurs fautes et de leurs négligences, dans l'observation de cette disposition (a. 1382-1383 du *C. civ.*). La fabrique est civilement responsable des faits des marguillers et du trésorier, ses préposés, qui ne remplissent pas ou remplissent mal leur devoir de surveillance et d'entretien, s'il résulte de cette omission ou négligence, des préjudices pour les tiers (a. 1384, *C. civ.*).

---

(1) Leroy, *o. c.*, p. 90; Moulart, *o. c.*, p. 589; *Coll. Brug.* I, p. 82-83.

(2) ar. r. 25 Décembre 1903; 11 Janvier, 2 Février 1905 (*Moniteur*, p. 215, 602); *Revue de l'Administration*, 1904, T. LI, p. 485.

(3) Vouriot, *o. c.*, p. 25; *Coll. Brug.*, I, p. 86-87; ordonnance de Mgr Faict, *Congr. Prosyn.* 14 Junii 1889, decr. VII (*Coll. epist. pastor.*, T. XV, p. 87).

(4) *Coll. Brug.*, I, p. 130-135; II, p. 92; IV, p. 482.

Un arrêt récent du tribunal civil d'Anvers a confirmé ces conclusions (1).

Un nommé François Van de Velde avait été blessé sur la voie publique par la chute d'une pierre tombée de la façade de l'église Saint-Charles-Borromée à Anvers et avait succombé le même jour à ses blessures. La mère de la victime a assigné les marguilliers et la fabrique, en réparation des suites dommageables de cet accident.

Depuis longtemps déjà ce bloc de pierre de taille était crevassé verticalement au point d'appui de la tour, par un port à faux de cette construction et avait été cramponné dans sa partie supérieure. Mais une fissure horizontale, intérieure d'abord, s'était développée ensuite dans le même bloc de pierre, en dessous des crampons, lesquels exposés aux intempéries de l'air et de la saison et mangés par la rouille n'avaient pu empêcher la chute de la pierre.

Les constatations de l'expertise ont établi que le vice de la pierre était quasi-imperceptible, que son accès était particulièrement difficile et que les réparations apportées avaient été faites bien avant l'entrée en fonctions des marguilliers actuels. Conséquemment le tribunal a jugé l'action non fondée vis-à-vis des marguilliers, vu qu'il n'est pas démontré que ceux-ci ont commis une faute engageant leur responsabilité. Mais, attendu que les réparations avaient été insuffisantes et que de ce chef, la responsabilité civile de la fabrique est certaine, le tribunal dit l'action recevable et fondée vis-à-vis de la fabrique propriétaire de l'église et la condamne aux $\frac{4}{5}$ des dépens.

---

(1) *Revue cath. de droit*, 1904-1905, T. VII, p. 232-236; *Het vlaamsch bestuur*, 1904, T. XV, 334-335; Voir un jugement du tribunal de Mons, 25 Juillet 1890 (*Pas.*, 1891, III, 67) et l'arrêt suivant de la cour de Bruxelles, 21 Oct. 1890 (*Pas.*, 1893, II, 166) cf. *Coll. Brug.*, I, p. 133; *Het vlaamsch bestuur*, 1891-1892, T. III, p. 68; 1893, T. IV, p. 171-172; De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*, n° 1079, p. 373.

Nous ajoutons que, propriétaire ou non, la fabrique est toujours responsable, puisqu'elle est tenue de veiller à l'entretien des bâtiments, de pourvoir aux réparations nécessaires, et en cas d'insuffisance de ses revenus de faire toutes les diligences, pour qu'il y soit pourvu par la commune.

Séance légale du mois d'Avril.

Le conseil s'assemblera en séance ordinaire, le 2 Avril, premier dimanche du mois.

A l'ordre du jour figurent principalement, la réélection ou le remplacement des dignitaires du conseil, la réélection ou le remplacement du marguillier le plus ancien en exercice.

Le même jour, le bureau se réunira aux fins de nommer ou de renouveler son président, son secrétaire et son trésorier (1).

Le projet de budget dressé ou préparé par le bureau des marguilliers (a. 24 du décret), doit être soumis au conseil dans la séance du mois d'Avril (a. 47). Toutefois en pratique, le budget ne saurait être arrêté avant la séance de Juillet, parce que le compte de la pénultième année ne doit être remis que le 1er Juillet. Par conséquent le bureau peut dresser le projet dans sa séance du mois de Juin (a. 47, combiné avec a. 1 et 8 de la loi de 1870) (2).

A. De Meester.

(1) Voir *Coll. Brug.*, I, p. 205-208; II, p. 145-148; III, p. 178; VIII, p. 202-203; *Calend. liturg. dioc. brug.* 1905, p. 119.

(2) Moulart, *o. c.*, p. 586-587; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 1090 s.; p. 394 s.; *Coll. Brug.*, I, p. 205.

E Sacra Congreg. Indulgentiarum

I

MEDIOLANEN.

Explicatur distantia inter ecclesias pro lucranda indulgentia Portiunculæ.

Emus et Revmus Archiepiscopus Mediolanensis huic S. Congrni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ sequentia dubia exhibuit solvenda circa modum quo metienda est distantia inter duas Ecclesias, quæ privilegio Indulgentiæ de *Portiuncula* nuncupatæ ditatæ sunt, quum in Brevibus Apostolicis nec non in Rescriptis hujus S. Congregationis apponitur clausula: « Dummodo eo loci nulla extet Fran- » ciscalis Ecclesia, aut alia simili ditata privilegio, vel, si » extet, unius saltem milliarii spatio ab ea distet »; nimirum:

I. Qualis sit mensura metrica, quæ unius milliarii spatio respondeat?

II. Quomodo talis distantia (unius milliarii) sit metienda; an ex via communi, quæ ab omnibus peragatur, vel ex quibusdam semitis, quæ utramque Ecclesiam inter se conjungunt?

III. An clausula supradicta privilegium irritum faciat, quando distantia non existit inter unam et alteram Ecclesiam privilegio *Portiunculæ* ornatam?

Et Emi Patres in Generali Conventu ad Vaticanum habito die 18 Augusti 1904 propositis dubiis responderunt:

Ad Ium. Milliarium respondet metris 1489.

Ad IIum. Affirmative quoad 1am partem; *Negative* quoad 2am.

Ad IIIum. Affirmative post annum 1878, quo præfatæ clausulæ appositio fuit præscripta.

Quas Emorum Patrum responsiones relatas ab infrascripto Cardinali Præfecto in Audientia habita die 14 Septembris 1904, SSmus Dnus Ner Pius PP. X benigne confirmavit.

Datum Romæ ex Secria ejusdem S. Congrnis, die 14 Septembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Præf.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotatio ad III.

Ante annum 1878 solebat in concessionibus indulgentiæ dictæ *de Portiuncula* pro ecclesiis non Franciscalibus hæc apponi clausula: *dummodo nulla extet eo loci, vel unius saltem milliarii spatio distet Franciscalis Ordinis ecclesia.*

Porro postulatum est: An, si nulla extet ecclesia actu ad PP. Franciscales pertinens, plures ecclesiæ in eadem civitate, imo in eadem parœcia, milliarii spatio minime inter se distantes, frui possint privilegio vulgò *della Porziuncola?* Et S. Congreg. Indulg. respondit: Affirmative. Attenta tamen speciali prærogativa indulgentiæ Portiunculæ, expedire, ut in novis concessionibus clausula quoad distantiam, quæ apponi solet favore ecclesiarum Ordinis S. Francisci, *extendatur ad alias omnes ecclesias hoc privilegio ditatas* (Decr. 23 Nov. 1878. Decr. auth. n. 441).

Deinceps praxis fuit S. Sedis utendi in hujusmodi concessionibus formula magis restrictiva, sicut ponitur in initio præsentis decreti. Hoc autem declaratur distantiam unius milliarii inter unam et aliam ecclesiam privilegio Portiunculæ ditatam requiri ad valorem concessionis factæ post decretum anni 1878.

H. Mahieu.

II

VENETIARUM.

In erectione Stationum Viæ Crucis, Cruces affigi possunt super scamna, dummodo sint inamovibilia et satis erecta.

Huic Sacræ Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, circa locum ad quem Cruces affigi debeant in erectione Stationum Viæ Crucis, sequentia dubia dirimenda sunt proposita:

I. Utrum ad validitatem erectionis sit essentialis conditio,

ut Cruces ad parietem tantum affigantur; an vero affigi possint etiam supra scamna, quin erectio sit invalida?

Et quatenus affirmative quoad 1am partem:

II. Utrum erectiones dictarum Stationum cum affixione Crucium supra scamna, convalidatæ censendæ sint a recentioribus Decretis hujus Sacræ Congregationis, quibus sanati fuerunt omnes defectus admissi in erigendis Stationibus?

Et Emi Patres, ad Vaticanum coadunati die 18 Augusti 1904, responsum dederunt:

Ad Ium. Quoad 1am partem *Negative;* quoad 2am *Affirmative,* dummodo scamna sint inamovibilia et satis erecta.

Ad IIum. Erectiones Stationum cum affixione Crucium supra scamna inamovibilia non indigere sanatione; erectiones vero Stationum cum affixione Crucium supra scamna amovibilia convalidatas quidem esse a recentioribus Decretis hujus S. C.; injungitur tamen, ut Cruces a scamnis amovibilibus removeantur, et ad locum stabilem affigantur.

De quibus relatione facta SSmo Dno Nro Pio PP. X in audientia habita ab infrascripto Cardinali Præfecto die 14 Septembris 1904, Sanctitas Sua Emorum Patrum responsiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. C., die 14 Septembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Præfectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Ex Sacra Congregatione Rituum

I

De expositione SS. Sacramenti, S. Communionis distributione et cruce altaris.

Ordinis Fratr. Minorum Prov. Portugalliæ.

Reverendus Pater Dominicus Consalves Sanchez, Seraphicæ Provinciæ Portugalliæ olim Minister Provincialis et Kalendarista, ut in functionibus ecclesiasticis omnia ex ordine procedant juxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præscripta, hisque adversantes consuetudines tamquam abusus omnino tollantur, de consensu sui Reverendissimi Procuratoris Generalis, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi humillime proposuit, nimirum:

I. Mos invaluit pluribus in Ecclesiis, etiam in Capellis ubi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non asservatur frequenter Festa Domini, Beatæ Mariæ vel Sanctorum celebrandi cum ejusdem Sanctissimi publica expositione in Ostensorio etiam perduiante Missæ celebratione ad majorem solemnitatem, præhabita Ordinarii licentia, quæ semper concedi solet. Sæpe vero contingit quod in Capellis, ubi Sanctissimum non asservatur, pyxis non adsit; ideoque sacra Hostia pridie consecranda, in quadam tabernaculi specie inter corporalia asservetur, ibique deinde reponatur, ut sequenti die in Missa celebranda consumatur. Quæritur, an hujusmodi usus saltem tolerari possint?

Et quatenus affirmative ad primum et ad primam partem;

II. An prædicta expositio Sanctissimi in Ostensorio adhuc fieri possit ante Missam solemnem celebrandam, in qua Communio puerorum vel aliorum fidelium solemniter ministranda sit?

III. An tantummodo a tempore ad tempus quo Missa celebrari permittitur, Communio Christifidelibus ministranda sit, juxta Decretum 2572, ad XXIII; aut etiam ultra prædictum tempus, nempe usque ad occasum solis ministrari liceat?

IV. An Crux cum imagine Crucifixi, in medio altaris inter candelabra collocanda, etiam in altari, ubi Sanctissimum asservatur, collocari possit immediate ante ejus tabernaculum; aut super ipsum vel in postica ejus parte collocari debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Quoad primam partem, id passim ne fiat, et cum venia Ordinarii in singulis casibus obtenta. Quoad alteram partem nempe quod, deficiente pyxide, sacra Hostia inter corporalia asservetur, hujusmodi abusus est omnino eliminandus.*

Ad II. *Non licere.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Ad IV. *Crux collocetur inter candelabra, nunquam ante ostiolum tabernaculi. Potest etiam collocari super ipsum tabernaculum, non tamen in throno ubi exponitur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.*

Atque ita rescripsit, die 11 Junii 1904.

S. Card. CRETONI *Præfectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Adnotanda. Ex plurimis S. R. C. decretis (1) eruitur non licere celebrare missam in altari, in quo SS. Sacramentum publice est expositum, nisi adsit necessitas vel gravis causa vel speciale indultum. Pluries tamen, præsertim his ultimis annis toleravit S. Congregatio consuetudinem contrariam (2). Hæc facilior tolerantia, quæ ceteroquin ex pluribus aliis actis S. Sedis apparet (3), rursus confirmatur præsenti decreto quo toleratur non tantum consuetudo immemorialis sed « mos

---

(1) Decreta 11 maii 1878, n. 3448[1]; 13 sept. 1879, n. 3505[1]; 23 nov. 1880, n. 35254 et 18 julii 1902, *De Queretaro*, ad I, apud *Analecta ecclesiastica*, 1902, p. 337.

(2) Decreta 27 sept. 1864, n. 3124[2]; 10 maii 1890, n. 3728[2]; 28 nov. 1902, *De Queretaro*, ad 1. ap. *Nouv. Rev. théol. française*, 1903, p. 161.

(3) Cf. v. g. decretum *Urbis et Orbis*, 13 nov. 1899, n. 4046. Cf. ILL. VAN DER STAPPEN, *De administr. Sacram.*, q. 179 (ed. 1900).

invalens » celebrandi missam coram Sanctissimo exposito, modo « id passim non fiat et cum venia Ordinarii in singulis casibus obtenta ».

Ad secundum. Juxta supracitata decreta (1) nequit S. Communio distribui ad altare in quo SS. Sacramentum est *publice in ostensorio* expositum. Hæc prohibitio, quæ præsenti decreto confirmatur, extendi nequit ad casum *expositionis privatæ*, pro qua solummodo aperitur ostiolum tabernaculi ita ut SS. Sacramentum oculis fidelibus objiciatur in ipso tabernaculo, in pyxide clausa et velo suo obtecta. Imo, juxta nonnullos auctores (2), quoties SS. Sacramentum, sive in pyxide aut ciborio sive in ostensorio, exponitur in consueto tabernaculo quod claudi potest, S. Communionis distributio non prohibetur, dummodo tabernaculum claudatur eo tempore quo fideles ad sacram synaxim accedunt.

Ad tertium. Juxta Missalis *Rubr. gener.* tit. XV, n. 1 missa celebrari potest « quacumque hora, ab aurora ad meridiem ». Hæc autem temporis determinatio non mathematice sed moraliter est accipienda, et rationabili consuetudine aut indulto speciali aliquatenus extendi potest. Præsenti decreto statuitur S. Communionem posse distribui eodem tempore quo missas celebrare licet, et non ultra.

Ad quartum. Contendunt nonnulli auctores *certum* esse summitatem tabernaculi debere terminari aliqua parva cruce (3). Hoc tamen nullo decreto aut textu rubricarum diserte injungitur (4). Quare ab aliis ut

---

(1) Cf. p. 183, nota 1ª, quibus adde decr. 8 febr. 1879, n. 3482.

(2) Cf. Ill. Van der Stappen, *De administr. Sacramentorum*, q. 193.; De Herdt, *Liturgiæ praxis*, t. II, n. 34.

(3) Gardellini, *annotationes super decret. gener. 31 mart. — 3 apr. 1821*, n. 2613 (apud *Decr. authentica S. R. C.*, t. IV, p. 204); Ill. Van der Stappen, *De administr. Sacr.*, q. 154 (ed. 1900, p. 105); De Herdt, *Liturg. praxis*, t. III, n. 180, 4.

(4) Allegatur quidem textus Benedicti XIV, Const. *Accepimus* 16 jul. 1746. § *Tertio loco.* Sed in citato loco Benedictus XIV non *injungit* crucem esse apponendam, sed ponit factum quod « tabernaculo parva crux cum imagine Salvatoris crucifixi semper *præfigatur* ».

conveniens quidem, non autem ut obligatorium hoc admittitur. Quorum sententia nobis videtur roborari ex præfato responso, quo statuitur crucem altaris posse « etiam collocari super ipsum tabernaculum, non tamen in throno... ». Patet agi de cruce altaris mobili. Sed quomodo posset talis crux sat magna collocari super tabernaculum cujus summitas quadam cruce terminaretur? Ipsa igitur S. Congregatio supponit tabernaculum *posse* terminari quadam superficie plana quæ pedem crucis altaris capere valeat (1).

C. CALLEWAERT.

II

Decretum *Ceneten.* 4 novembris 1904 :

Quær. Utrum verba rubricæ Ritualis Romani, cap. 4, quæ ita leguntur : « In die vero... anniversario duplicantur antiphonæ », intelliganda sint de primo tantum anniversario vel etiam de ceteris anniversariis, sequentibus annis celebrandis ?

Resp. Negative ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

III

Decretum *Carpen.* diei 4 novembris 1904 :

Quær. Utrum in missa solemni coram episcopo celebrata canonici venientes ad circulum et ab illo recedentes ad *Agnus Dei*, utroque genu genuflectere versus altare debeant, vel debeant et possint genuflectere unico genu ?

Resp. Affirmative ad primam partem, nisi ex consuetudine obtinuerit genuflexio simplex, juxta decretum *Rhemen.* 20 maii 1904 (2); et quoad secundam partem provisum in primo.

(1) *Nouv. Rev. Théol.*, t. XIII, p. 172.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 670.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. X, pag. 137).

ARTICULUS II.

De prædictiônibus prophetarum, præprimis messianicis.

451. Vidimus quodnam fuerit generatim munus propheticum, nunc in specie de prædictione futurorum agimus.

Hoc speciale munus prænuntiandi futurum intime cohæret cum missione universim prophetarum antiqui testamenti, ejusdemque ratio manifesta est ex propria indole Legis, quæ tota respiciebat futurum fœdus novum, finis siquidem Legis Christus.

Re quidem vera, universa prædicatio prophetica evidenter tamquam objectum princeps habere debuit atque habuit opus redemptionis futurum Messiæ: neque enim aliud nomen datum est hominibus, in quo salvari oportet, quam Christi Jesu; unde, quam nos redemptionem factam per Christum agnoscere debemus, antiqui futuram sperare ad salutem debebant. Adeoque eadem est prædicatio princeps Apostolorum et Prophetarum, hæc salutis futuræ, illa salutis peractæ per unum eumdemque Christum.

Proinde, hæc prædicatio in ore prophetarum necessario complectebatur annuntiationem *futuri* seu prophetiam strictiore sensu, quæ quidem comprehendebat tum ipsum opus redemptionis, tum præparationem ejus. Opus, inquam, ipsum redemptionis, idque universum, inclusa quoque consummatione sæculi per judicium universale et regnum Christi cœleste: hinc tempora messianica, post impletum tempus antiqui fœderis, solent in prophetiis designari non formula tantum

futuri: *post hæc,* sed et hac vel simili: *in novissimis diebus.* Præterea vero, nuntiarunt quoque prophetæ eventus futuros respicientes populum electum, cujus tota historia via fuit ad Christum, tum in ordine reali eventuum, tum in ordine ideali quatenus omnia in figura contingebant illis, ita ut non solum terminum sed et viam præmonstrarent.

452. Sicuti futurum regnum Messiæ princeps objectum erat prænuntiationis propheticæ, cætera vero objecta secundaria, ita quoque præcipua argumenta suæ prædicationis desumebant prophetæ ex regno futuro Messiæ, ad doctrinam suam persuadendam auditoribus magis spiritualibus, alia vero ex eventibus vicinioribus ad persuadendum magis carnalibus, conformiter ad indolem antiqui testamenti. Inde fit ut utraque prænuntiata, scilicet et proxime et remote futura, quasi mixta appareant (1); cæterum sic quasi permixta ipsi eadem a Deo inspirante percipiebant, quod quidem primo intuitu mirum videtur, sed rationem optimam ac profundam habet in ipsa indole typica historiæ V. T.

Hæc intelligas de iis prophetis, quos Deus non solum ad prædicandum sed ad scribendum movit: initio enim regnorum Juda et Israël præcipua missio prophetarum, si quosdam ut ipsum regem David excipias, erat solummodo prædicandi ad emendationem æqualium suorum, ad observationem Legis, quæ quidem ducebat ad Christum, non vero præterea directe prænuntiandi Messiam, ideoque Deus non inspiravit eosdem ad

(1) Mixta quidem, quia connexa in ordine ideali, scilicet typi ad antitypum, aut in ordine reali præparationis cujusdam remotæ. Ex hac simultanea propositione rerum præsentium aut proxime futurarum, sub sanctione temporali, et rerum ad remotum regnum messianicum pertinentium, cum promissionibus spiritualibus, etiam hoc commodum accedebat prædicationi prophetarum, quod in cordibus suorum auditorum fidem atque spem excitabant ut dignos se redderent tum benedictionibus temporalibus in præsenti, conformiter ad indolem antiqui testamenti, tum gratiis spiritualibus futuri regni messianici.

scribendum; postea vero, pro opportunitate appropinquantis plenitudinis temporum, necesse fuit tum Messiam ejusque regnum prædicere et paulatim propius definire, tum easdem prædictiones scripto consignare, ut testes manerent veritatis evangelicæ. Imo videntur nonnullæ prophetiæ, ut v. g. ultima pars Isaïæ, nonnisi scripto editæ fuisse.

Inter priores, qui non scripserunt, habes præter quosdam innominatos, Gad et Nathan, tempore Davidis; Ahiam Silonitam, qui divisionem regni prædixit, ut consignatur III *Reg.*, XI, 29 sqq.; Semeïa, sub Roboam (III *Reg.* XII, 22) et Addo ejusdem ætatis (II *Par.*, XII et XIII); Azaria, Hanani, ejusque filium Jehu, Jahaziel et Eliezer, sub regibus Asa et Josaphat (II *Par.*, XV, XVI, XIX, XX); Eliam, Elisæum, et priorem Michæam, filium Jemla, sub Achab et successoribus. Plures tamen ex his quædam scripserunt, sive prophetias, sive rerum commentaria, ut patet e libris I *Paral.*, XXIX, 29 et II *Par.*, IX, 29; XII, 15; XX, 34.

Posteriores prophetæ, quorum scriptas prophetias legimus in bibliis, sunt sexdecim (si jungas Baruch cum Jeremia), quos distinguere solemus, pro majore vel minore momento librorum, in quatuor magnos, Isaïam, Jeremiam, Ezechielem et Danielem, atque duodecim minores.

Ratione loci ac temporis, quibus ministerio suo functi sunt, distribui quoque possunt in quatuor classes: 1/ in prophetas regni Israël, qui fuerunt Jonas, Amos et Osee; 2/ regni Juda, qui sunt Abdias, Joël, Isaïas, Michæas alter scil. Morasthites, Jeremias cum Baruch, Nahum, Habacuc, Sophonias; 3/ in prophetas exilii: Daniëlem et Ezechielem; 4/ post exilium, qui sunt Aggæus, Zacharias et Malachias. Hos enumeravimus ordine, quantum potuimus, chronologico, in unaquaque classe; absolute autem antiquiores videntur Abdias, et dein Joël, quos sequuntur prophetæ regni Israël et sic porro, ut suprà. De quibusdam etiam dubitari potest

an regni Israël, an Juda, an utriusque dicendi sunt; prout origo eorum, aut objectum oraculorum, aut utrumque spectatur.

453. Quæ libris prophetarum, quos legimus in bibliis, continentur prædictiones, ad has fere reduci possunt: 1/ populus Dei, ob apostasiam suam (jam a Moyse prædictam *Deut.*, XXXII, 15-21) quam prophetæ illi multoties exprobrant, a Deo vindicante punietur. 2/ Deus tamen non disperdet penitus populum suum, sed imo castigatum, præprimis per captivitatem, ad se convertet; 3/ deleta dominatione hostili Babylonis, et similiter reliquarum Gentium, tandem 4/ residuum populum suum, e captivitate reducem, instaurabit, et Messiam Redemptorem mittet, qui regnabit in æternum.

De prophetiis proprie ac directe messianicis solis nunc agere volumus; reliquas opportunius in seq. art. III, quantum ad scopum nostrum, obvias habituri, ubi de providentia Dei generatim erga populum suum sermo erit, cujus quippe providentiæ in hac epocha instrumentum sane non infimi momenti fuerunt prophetæ.

Itaque, alia prænuntiant prophetæ circa personam Messiæ, alia circa regnum ejus, alia quasi media quæ ad alterutrum referri possunt, videlicet de humiliatione ac passione Christi, seu de modo quo regnum suum stabiliet et redemptionem perficiet. Qua in re, sicuti in prophetiis psalmorum regis David jam advertimus, duplex series descripta decurrit commixta, hinc humiliationis, inde gloriæ, de industria quidem sic a Deo ordinata, ut nempe Christus atque opus redemptionis certius ac continuo clarius innotescerent, modus vero redemptionis ante eventum celaretur, ut supra notavimus.

Dum prædictiones messianicas prophetarum præcipuas jam enumeramus, mirabile quoddam Dei consilium indigitare juvat, quo scilicet manifestissime declarare voluit Spiritum suum in prophetis esse locutum. Etenim, attendamus ad duo: hinc quidem, a nulla creatura

prævideri ullo modo potuisse, quæ pluribus ante eventum sæculis a prophetis de Messia prædicta sunt; inde vero, prophetas, et loco et tempore longe inter se distantes, singulos pro parte sua unam descripsisse Messiæ ejusque regni imaginem, in uno Christo verificatam. Quibus attentis, nonne evidentissime apparet per ora multorum unum esse locutum Spiritum Dei?

454. Igitur, e libris prophetarum prædictiones stricte messianicas saltem præcipuas, ordine temporis quo prolatæ sunt, quantum licebit, servato, jam breviter indicabimus; quas deinde in certas classes distribuere poterimus, prout respiciunt personam Christi, variaque adjuncta adventus, vitæ, passionis ejus, necnon regnum ac gloriam ejusdem, seu Ecclesiam terrestrem atque cœlestem. Sic procedendo, hinc quidem primo, pressius sequemur ipsum Providentiæ ordinem in prædicendo ac præparando Messia, inde vero secundo, clarius unoque intuitu perspiciemus prophetiarum impletionem in Christo factam.

Incipimus a JONA propheta; quoniam, inter antiquiores quidem numerandus, hoc speciale habet quod sit figura et vivens quasi prophetia, potius quam verbis Messiam Christum annuntians.

Jonas e Judaïca gente ortus, sicut Christus, a suis non auditur, et prædicaturus mittitur ad Gentiles, qui pœnitentiam agunt. Pariter Christus a suis repellitur, sed mox per apostolos convertit Gentes, et Ecclesia Christi a judæis quidem incipit nam « salus ex Judæis est » (1), sed plene sese evolvit inter Gentes.

Jonas multa patitur, et in ipso naufragante jam veritas patet expedire « ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat » (2).

Jonas reluctat, ita Apostoli hæsitant ad Gentes transire.

Tristatur Jonas et amare dolet ex amore populi sui; ita Apostoli tristantur de infidelitate judæorum.

---

(1) Joan., IV, 22. — (2) Joan., XI, 50.

Ipsa missio Jonæ valde ingrata ipsi præparat; ita conversio Gentium Apostolis multisque fidelibus ingrata attulit dissidiis et controversiis.

Jonas tribus diebus sepelitur in ventre ceti, et miraculose servatus Ninivitas convertit. Christus tribus diebus manet in sepulchro, et e mortuis resurgens mundum universum ad fidem et justitiam convertit.

Delectabiliter Hieronymus Paulino scribens notat: « Jonas, columba [allusio ad significationem verbi hebræi] pulcherrima, naufragio suo passionem Domini præfigurat, mundum ad pœnitentiam revocat: et sub nomine Ninive, Gentibus salutem nuntiat. »

Obiter nota in historia Jonæ argumentum contineri populos gentium non fuisse plane derelictos a Deo, ad quos nempe, præterquam quod signum constanter reperiebant in populo electo, misit aliquando prophetas, ut hic Jonam, et qui retinuerant, ut patet maxime e libro Job et hic in Ninivitis, conceptum Dei judicis ac vindicis, pœnitentia placandi. Admirare etiam divinum consilium, quo opportune populo electo et præprimis prophetis ejus, hic Jonæ quamvis reluctanti, in memoriam aliquando revocata est veritas, salutem non solorum Judæorum sed universi generis humani velle divinam misericordiam, quemadmodum et Messiam non propter solos Judæos sed propter omnium salutem exspectare oportebat.

455. Abdias propheta prædictionem messianicam, saltem litteralem, non exhibet; quamquam typice judicium contra Edom, alias Esau, tamquam adversarium natum Israël seu Jacob, hujusque finalis de eo victoria, designare merito intelligitur *triumphum veri Israël seu populi christiani, duce Christo,* (« Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus: et possidebit domus Jacob eos qui se possederant », v. 17) *de hoste antiquo diabolo.*

Qui quidem sensus typicus ex eo confirmatur quod idem versus 17 Abdiæ citatur in prophetia messianica Joëlis, II, 32: « Quia in monte Sion, et in Jerusalem

erit salvatio, *sicut dixit Dominus.* » Et ipse Abdias concludit prophetiam per triumphum finalem : « Et erit Domino regnum. »

Neque inusitatum est prophetis designare hostes regni Christi, nomine, non solum gentium (goïm), sed unius alteriusve etiam populi, olim Judæis valde infensi. Sic eodem nomine Edom, contra quem vaticinatur Abdias, indicantur apud Amos, IX, 12 et Isaïam, LXIII ; item nomine Moab, apud eumdem Isaïam, XXV, et nomine Magog apud Ezechielem, XXXVIII.

456. Joël propheta judicii seu diei Domini vocari potest. Annuntiat enim primo judicium Dei de Juda, quem tamen conversum Deus eripiet ex desolatione hostium et abundanti benedictione cumulabit. Occasione hujus temporalis benedictionis, annuntiat spiritualem effusionem Spiritus sancti in redemptos per Christum : *Et erit post hæc : Effundam spiritum meum super omnem carnem* etc. (II, 28 sqq.), quemadmodum interpretatus est S. Petrus in die Pentecostes (*Act.* II, 17-21). *Et erit : omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (II, 32), quod quidem Joëlis verbum adhibet S. Paulus (*ad Rom.*, X, 13) ut confirmet non esse distinctionem judæi et gentilis, sed omnes vocari ad salutem in Christo.

Deinde nuntiat propheta judicium Dei de Gentibus universim, hostibus populi sui, cum signis in sole, luna et stellis, motisque cœlo et terra ; quo perfecto, erit Jerusalem sancta, et magna felicitas et Dominus commorabitur in Sion. Quæ quidem typice intelligas de judicio quod exercebit et vindicta quam sumet Christus Dominus, in primo quidem adventu de universis potestatibus inferorum, et mox de infidelibus Judæis ; deinde vero in secundo adventu de omni gente sibi hostili, sive e judæis, sive ex aliis nationibus, in extremo judicio ; quæ post judicia sequentur, post quidem primum, *regnum supernaturalis felicitatis et gratiæ in Ecclesia Christi*, post vero secundum, *æterna beatitudo et gloria in Jerusalem cœlesti.*

Hæc prophetia messianica, nondum designato Messia, adhuc satis obscura est, et plura in ea, ex parte rei distincta, tum in priori tum in posteriori parte, quasi commixta apparent, commixta quidem quia connexa, ut sæpe fit apud prophetas. Eodem modo Christus in evangelio (1) tum judicium de infidelibus judæis per eversionem Jerusalem sub Tito et Vespasiano, tum judicium ultimum universale commiscet, eadem autem signa a Joële descripta tamquam judicium adventumque suum prævenientia inducit.

457. Propheta Amos, (sub Jeroboam II, versus a. 760 a. C.) post minas contra varias gentes necnon contra Judam et Israël, hujusque captivitatem regnique extinctionem prædictam, domum tamen Jacob, id est Judam simul et Israël, non penitus conterendam annuntiat, statimque addit *instaurandum esse regnum Davidicum (nempe per Messiam)*, quod se extendet ad omnes nationes, eritque maxime prosperum atque perpetuum: *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit: et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo: et reædificabo illud sicut in diebus antiquis. Ut possideant reliquias Idumææ, et omnes nationes* (cf. *Abdias*, 17 et sqq.), *eo quod invocatum sit nomen meum super eos: dicit Dominus faciens hæc* (2). Cujus prophetiæ interpretationem a Jacobo apostolo factam lege *Act.* XV, 15-18. Deinde pergit Amos describendo *felicitatem ac perpetuitatem regni messianici,* eod. c. IX, 13-15, quibuscum cf. *Joël;* III, 17-21.

458. Osee propheta, coætaneus Amos, paulo post hunc prophetavit similiter contra Israël, plura autem habet ad regnum messianicum spectantia, inter quæ nonnulla etiam minus generica; sunt autem reliquis oraculis sibi succedentibus, quæ ob similitudinem suam ægre possunt accuratæ analysi subjici, intermixta,

(1) *Matth.*, XXIV; *Marc.*, XIII; *Luc.*, XXI.
(2) *Amos*, IX, 11 et 12.

nempe minis, contestationibus atque ad pœnitentiam hortationibus nunc annectuntur, nunc interjectæ reperiuntur. Idque valet tum de priori parte conscripta oratione soluta (I-III), tum de parte reliqua, ubi observatur parallelismus. Hujus præprimis ratione habita scribit Hieronymus: « Osee commaticus est et quasi per sententias loquens (1). »

Itaque in priore parte, ubi sub duplici symbolo infidelitas Israëlis depingitur, habes *promissiones messianicas,* tum in fine c. I, vv. 10 et 11, de quibus vide S. Paulum *ad Rom.*, IX, 24-26; tum in fine c. II, præsertim v. ultimo, de quo idem audiatur Paulus, *ad Rom.*, ibid., et S. Petrus, I, c. II, 10; tum denique in fine c. III, ubi postquam v. 4 propheta nuntiavit futurum ut filii Israël sedeant dies multos absque rege et sine principe et sine sacrificio, etc., hæc addit v. 5 valde notanda: *Et post hæc revertentur filii Israël, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum* etc. En Messias clare designatus tamquam filius David, imo ipse nominatus David.

In altera parte, longe prolixiore, prophetiæ, idem fere thema evolvitur exprobrationis vitiorum, præsertim idololatriæ, minarum ob infidelitatem omnimodam Israël, invitationis ad conversionem; minas interrumpit semel propheta nuntiando castigationes reducturas Israël ad conversionem et restaurationem, VI, 1-3; et oraculis suis quædam interserit, quæ in scriptis novi testamenti *de Messia dicta* referuntur, scilicet, XI, 1: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, de quo vide *Matth.*, II, 15. Idem forte dici potest de *Osee,* XIII, 14: *Ero mors tua, ô mors*, etc., ad quod alludit Paulus, 1 *Cor.*, XV, 55 et *ad Hebr.*, II, 14. Finem imponit Osee suis oraculis, XIV, 5 sqq., fere sicut Amos et Joël, promittendo Israël *magnificam completamque instaurationem, tempore scilicet messianico.*

(Continuabitur).

---

(1) *In XII prophetas Præfatio.*

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii

—

I

Expone quisnam fuerit status ecclesiæ Ephesinæ tempore quo S. Paulus scripsit I^am^ epist. ad Timotheum.

II

Expone debitum *proximum* contrahendi peccatum originale non repugnare perfectæ sanctitati Mariæ.

III

Da notionem jejunii stricte dicti et explica naturam præcepti de unica refectione.

IV

Expone quomodo quis constituere possit in gula finem suum ultimum.

V

Da notionem ebrietatis formalis.

VI

Describe ordinem cæremoniarum quas servare debet celebrans a fine ultimæ postcommunionis usque ad initium ultimi evangelii in missa a/ privata aut b/ solemni.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. *Da analysim partis dogmaticæ epistolæ ad Colossenses I, 13-III.*

R. In parte dogmatica sive polemico-dogmatica (1) ep. ad Col. S. Paulus eximiam dignitatem Christi Redemptoris ipsis jam prædicati exponit, et Colossenses adhortatur ut Christo mediatori ac salvatori firmiter adhæreant, abhorrentes doctrinam de aliis salutis mediatóribus atque praxes quasdam Evangelio minime miscendas. — Hujus argumenti sequens analysis statui potest.

1ª Pars: *Exponitur excellentia Christi Redemptoris ac Mediatoris omnium.*

I. *Transitio* a gratiarum actione (I, v. 3-12) ad thema principale epistolæ proponitur v. 13-14 ubi gratiarum actio sensim sine sensu mutatur in dogmaticam instructionem: Colossenses jam translati sunt in regnum dilecti Filii Dei (13) utpote ab eo redempti (14).

---

(1) Uti AA. quidam aiunt, v. g. CORNELY, *Introductio in U. T. libros*, V. III (Parisiis 1886) p. 515. In distinguendis partibus dogmatica et parænetica consentiunt omnes interpretes. Verùm, non uno modo dogmaticam partem distribuunt ut videre est apud CORNELY. *o. c.*, p. 514. Ad rem notat VAN STEENKISTE, *S. Pauli Epistolæ*, Brugis, 1899, T. II, p. 147: Divisio argumenti statuitur « in quantum dividere liceat epistolium, quod absque systematica informatione uno quasi impetu ab ingenio æstuante auctoris prorupit ». — Cf. JACQUIER, *Histoire des Livres du Nouveau Testament*, T. I (Paris, 1903) p. 318 ss.; — E. HAUPT, *Die Gefangenschaftsbriefe*, Göttingen 1902, p. 20 ss.; — ABBOTT, *A critical and exegetical Commentary on the Ep. to the Ephesians and the Colossians*, Edinburgh, p. XI. ss.; — MOFFATT, *The historical New Testament*, Edinburgh, 1901, p. 218.

II. *Exponitur præeminentia Christi Salvatoris* (I, 15 — II): Christus « in omnibus primatum tenet » (18), sc. natura et munere suo superat omnes res creatas.

1/ utpote Filius, est imago substantialis Patris (15);

2/ ab æterno est genitus (15, 17[a]);

3/ est omnium prorsus creator: omnia per ipsum et in (propter) ipsum creata sunt (16) ac omnium ipse conservator est (17[b]);

4/ est omnium redemptor ac mediator:

a/ *In genere:* est caput corporis mystici quod est Ecclesia et primus ex mortuis resurrexit ad vitam immortalem (18[a]). Hoc autem factum est ut Christus *sit in omnibus primatum tenens* (18[b]), non tantum secundum naturam divinam (19), sed etiam secundum naturam humanam, in qua omnia cum Deo reconciliavit (20).

b/ *In specie:* dicta de redemptione Colossensibus applicat per modum exhortationis: Colossenses olim alienati a Deo (21), nunc Deo per Christum reconciliati, immobiles permaneant in fide accepta, quæ ubique terrarum prædicatur et cujus Paulus factus est minister (22-23).

III. *Transitio* (1): Ut monita melius sint recepturi, præmittit rationem qua ad scribendum permotus est, ità ut simul suam auctoritatem contra Judaisantium obtrectationes stabiliat: Paulus deputatus est a Deo Gentium apostolus, ut eas doceat magnas divitias, quas Christus gentibus

(1) Ut notat Van Steenkiste, *o. c.*, p. 162, novus paragraphus hic inchoari non debet, propterea quod auctor ità suam auctoritatem defendit ut materiam partis dogmaticæ de Christo redemptore simul prosequatur.

attulit easque ad perfectionem adducat. Hoc ministerio cum Christi adjutorio digne fungi conatur et ad illud implendum multa gaudens patitur (24-29).

2ª Pars: *Colossenses adhortatur ut uni Christo mediatori ac salvatori firmiter adhæreant, ideoque doctrinas rejiciant ac praxes quæ unicæ Christi mediationi repugnant.*

I. *Impugnat falsas doctrinas,* ità ut dignitatem Christi et beneficium redemptionis iterum inculcet.

Colossenses, de quibus Paulus valde sollicitus est (II, 1-2), non sinant seduci se a pseudo-apostolis, sed in ea, quam acceperunt, fide ambulent (II, 4-6), Christoque soli, vana philosophia spreta, inhæreant (7-8); nam

a/ in Christo inhabitat plenitudo divinitatis (9).

b/ in Christo quoque, qui omnium angelorum est caput, omnia bona redemptionis ac sanctificationis quibus gaudent, acceperunt (10), nimirum: circumcisionem spiritualem cordis (11), remissionem peccatorum (12-13), abolitionem legis mosaicæ (14) et plenam de hoste victoriam (15).

II. *Impugnat praxes perversas* a pseudo-doctoribus impositas et quæ muneri Christi redemptoris repugnant.

1/ Colossenses avocat ab antiquis Judæorum ritibus (16):

a/ ritualia legis sunt tantum umbra eorum quorum Christus est realitas (17);

b/ ab illis ritibus liberati sunt per mortem Christi (20ª);

c/ solum prima scientiæ religionis rudimenta continebant (20ᵇ);

d/ jam sunt mera præcepta hominum (22);

e/ habent speciem tantum sapientiæ et humilitatis (23).

2/. Eos avocat a perverso cultu angelorum quos pseudo-doctores ut salutis mediatores habebant: ille cultus ex superbia potius quam ex humilitate ortus (18) injuriam facit Christo qui est unicus mediator et supremum caput totius corporis mystici, et ex quo tota Ecclesia spiritualiter vivit et crescit (19-20).

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Solvatur sequens difficultas: Si Maria est immaculata in sua conceptione non est redempta a Christo; atqui hoc ultimum falsum est; ergo...*

R. Nego antecedens, nempe nexum adesse inter conditionem et conditionatum. Etenim Maria, naturali generatione ab Adamo descendens, eo ipso contrahere peccatum originale *debuisset:* si enim sibi relicta fuisset, sicut cætera generis humani individua, privata fuisset gratia sanctificante ex voluntario actu primi parentis, consequenter originali fuisset peccato infecta et captivitatem sub diaboli potestate incurrisset. *Indiguit* proinde Maria ut *eriperetur* a « massa damnata » uti sæpe loquitur S. Augustinus, et *speciali Dei privilegio præservaretur* a diaboli captivitate: quod factum est quatenus Mariæ anima in *primo instanti suæ ad corpus infusionis* fuit gratia sanctificante prædita et sic immunis a labe originalis peccati.

Gratia autem in præsenti Providentiæ ordine jam non conceditur hominibus nisi meritis *Christi Redemptoris:* indiguit proinde Maria ut a *Christo* reciperet gratiam, scilicet ut intuitu *meritorum Christi* redimeretur.

Proinde perfectiori modo in Maria quam in cæteris hominibus fuit effectus Redemptionis: redemptione enim Maria fuit *præservata* a peccato, quum alii homines redemptione *liberentur* a peccato jam contracto:

magis autem est præservare a contrahendo peccato, quam purgare a contracto (1).

Nota. Ex suprà dictis constat, Mariam non recte dici posse *redemptam* a Christo, nisi *debuisset* contrahere peccatum originale, aliis verbis nisi *habuisset debitum* contrahendi peccatum. Illa igitur sententia quorumdam qui docuerunt Mariam neque quoad *actum*, neque quoad *debitum* contraxisse peccatum originale, rejicienda est pro ea parte quæ a Maria excludit *debitum* contrahendi originalis peccati (2). Incompossibilis etiam est illa sententia cum ipsa definitione facta a Pio IX et declarante: « Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ conceptionis fuisse..... *intuitu meritorum* Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe *præservatam* immunem » (3).

2. Imo illud *debitum*, quod asserimus, est debitum *proximum*, hoc est debitum quod infert *immediate* peccatum, seu necessitas *ipsius peccati* contrahendi, si desit redemptio: ita ut, nisi in primo instanti conceptionis suæ Maria fuisset sanctificata, *tunc* contraxisset peccatum (4).

Ratio autem talis debiti *proximi* admittendi est quia

---

(1) Cf. Scotus, in III, D. III, Q. I; etiam in opere cujus titulus: *Reportata Parisiensia*, L. III, D. III, Q. I, Schol. II.

(2) Cf. Jungmann, *De Deo Creatore*, n. 372.

(3) « Il est évident que si la Mère de Dieu a été *préservée* de la souillure originelle, elle eût contracté cette souillure dans le cas où Dieu ne l'eût point prévenue de sa grâce; ce qui suppose en Marie, pour me servir du langage de l'école, la *dette du péché originel*, et renverse la théorie des décrets éternels antérieurs à la création. De plus, dès que les mérites du Sauveur interviennent, il est clair que la préservation du péché est le fruit de la rédemption, et que le privilége de l'Immaculée Conception de Marie appartient au plan général des miséricordes du Seigneur envers notre race proscrite ». Malou, *L'Immaculée Conception*, Bruxelles, 1857, T. I, p. 10.

(4) Debitum *remotum* est illud quod tantum *mediate* infert peccatum, et supponit Mariam non solum præservatam *ab ipso peccato* contrahendo, sed jam exceptam *ab ipsa lege* vi cujus homines contrahunt peccatum originale.

secus jam non intelligitur relate ad Mariam vera *redemptio*. Etenim si quocumque modo fingatur Maria *excepta* ab illo ordine rerum vi cujus, ut filia Adami, fuisset *ipsi peccato obnoxia*, jam non indiguisset Maria ut *eriperetur* a « massa damnata », nec ut *præservaretur* a captivitate diaboli, nec redimi debuisset, nec potuisset (1). Quod « confirmatur et explicatur exemplo... de muliere quæ serva efficitur excipiendo in ipso contractu aliquem ex filiis, ne servus nasci possit. Hoc enim posito, qui postea mulierem illam a servitute redimeret, revera non redimeret filium, *quia non erat obnoxius servituti*, sed de se liber erat nasciturus; sic ergo, si B. Virgo non fuisset (ut ita dicam) vendita in Adamo, et de se servituti peccati obnoxia, non fuisset vere redempta » (2).

« Præterea distinctio debiti *proximi* et *remoti* inutilis est. Nam sepositis meritis Christi Redemptoris, b. Virgo, eo quod filia Adami, habuisset peccatum, an non? si affirmas, ponis debitum proximum: si negas, negas fuisse eam redemptam, seu intuitu meritorum Redemptoris præservatam a peccato. Nec debitum debiti fingi potest; secus iremus in infinitum. Itaque quemadmodum, si Adam non peccasset, inducta esset necessitas quædam, ut b. Virgo ex eo orta haberet justitiam originalem; ita peccante illo, inducta est quædam necessitas Virgini contrahendi peccati » (3).

J. Van der Meersch.

---

(1) Qui censent *remotum* tantum fuisse in Maria debitum contrahendi peccati originalis, varias adducunt explicationes, alii alium statuentes ordinem decretorum divinorum et consequenter aliud signum rationis in quo Mariæ sanctitas a Deo decreta fuerit: cf. Wirceburgenses, *Theologia*, T. IV, de peccatis, disp. III, c. 3, a. 3; Mazzella, *De Deo creante*, Romæ, 1892, n. 1130 et seq; Janssens, *De Deo Homine*, Friburgi Brisgoviæ, 1902, P. II, p. 34.

(2) Suarez, *De mysteriis vitæ Christi*, disp. III, sect. II.

(3) Palmieri, *De Deo creante*, Romæ, 1878, p. 745.

III

Q. *Indica et explica conditiones requisitas ut actio damnificans inducat obligationem ex stricta justitia restituendi.*

R. I. Ut actio damnificans inducat obligationem ex stricta justitia restituendi, secluso contractu, requiritur *ut sit actio stricte, effective et culpabiliter seu formaliter injusta;* seu ut *actio sit* a/ *vere injusta*, b/ *causa efficax damni*, c/ *theologice culpabilis* (1).

Per *actionem* hîc etiam intelligimus omissionem actionis *ex justitia* debitæ, adeoque omissionem seu negligentiam qua jus alterius rigorosum efficaciter et voluntarie læditur. — Dicitur *secluso contractu,* quia per contractum (quasi-contractum et legem) etiam obligatio suscipi potest ad damnum reparandum quod non solum sine ullo actu positivo, sed etiam ex casu fortuito evenerit (2).

II. **Hæc triplex conditio explicatur**. Debet actio damnificans esse

A/ **vere injusta**, *quæ scil. alterius jus strictum seu rigorosum violat. Ratio* est quia ex alterius juris stricti læsione et ex ea sola restitutionis obligatio nascitur. Inter virtutes enim sola justitia stricta seu commutativa ad restitutionem obligat, quia in ea sola post læsionem integrum perseverat motivum quo ejus obligatio fundatur, quodque in honestate æqualitatis servandæ consistit. In aliis virtutibus, transacta occasione, non amplius

---

(1) Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *Tract. de Justitia*, Brugis 1885-86, T. II, n. 265, coll. nn. 5 ss. ubi de *injuriæ* notione fuse agitur. Quæ hîc traduntur ex fundamentali notione injuriæ decurrunt. Re non dissentiunt AA. qui (ut LEHMKUHL, *Theol. Moralis*, Friburgi B. 1898, V. I, n. 962) quatuor conditiones ponunt: una aliave ex tribus conditionibus in resp. assignatis apud ipsos subdividitur.

(2) His additis explicationis gratiâ, jam supervacaneum apparet cum AA. quibusdam (CARRIÈRE, *De Justitia et Jure*, Parisiis 1839, T. III, n. 1104 ss.; — CROLLY, *Disput. theol. de Just. et Jure*, V. III, (Dublinii 1877), n. 647, quartam assignare conditionem: ut actio damnificans sit *positiva*.

subsistit motivum quo fundatur earum obligatio (1). Sed cum justitia *stricta* tendat ad tribuendum unicuique quod suum est, seu ad statuendam æqualitatem rei ad rem, motivum illud semper perseverat, etiam postquam justitia fuit violata; quia subsistit inæqualitas donec injustitia reparata fuit.

Ex hac prima conditione resolves:

1/ Non est vere injusta actio qua quis violat debitum charitatis, pietatis, obedientiæ etc.

2/ Neque læsiva seu injusta est actio damnificans juris rigorosi quoties jus habens huic valide et efficaciter renuntiat (2).

3/ Vere injusta est actio qua quis alterum impedit a bono consequendo ad quod jus strictum habet.

4/ Vere injusta est actio qua quis *viâ injusta* (vi, metu, fraude) alium impedit a bono consequendo legitime (3) licet absque jure stricto: tunc enim violat jus strictum negativum quod ille alius habet ne injuste impediatur a mediis ad finem legitimum adhibendis.

B/ **Causa efficax damni.** *Requiritur nempe ut damnum ex actione damnificante tanquam ex sua causa revera secutum sit. Ratio* autem hæc est. Nulla est obligatio restituendi ubi nullum datur damnum quod reparetur, atque ad damnum reipsa secutum ille solus obligari potest cui tanquam auctori læsio est imputanda. Atqui ille solus est auctor damni cujus actio aut ipsa physice damnum effecit, aut alium utcumque ad damnum efficiendum moraliter (4) movit. Hinc

---

(1) Sic, si teneor cuidam ex charitate succurrere, transacta necessitate non amplius subsistit motivum; et si necessitas perseverat, teneor non per modum restitutionis, sed eodem modo ac si nunc primum inciperet necessitas. Cf. CARRIÈRE, *o. c.*, n. 1107.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. II, p. 316 ss.

(3) Imò fit injuria si alius impeditur a bono consequendo, quod absque injuria non tamen sine peccato consequi potest, quoties jus ad istud bonum per actum licet peccaminosum jam acquisivit. Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *o. c.*, T. II, n. 6.

(4) Nota exemplum *formale* æquivalere suasioni, consilio, adeoque

1/ Causa efficax damni non est voluntas seu *merus affectus* vel *intentio* jus lædendi (1).

2/ Neque causa damni efficax est actio quæ non est proprie causa sed *conditio* vel *occasio* damni alteri reipsa illati, et quæ causa mere occasionalis dicitur, neque physice neque moraliter in dammum alienum influens; e. g. si Petrus furatus fuerit ejusque furtum Paulo imputatur, etiamsi Petrus hanc imputationem prævideret, dummodo tamen eam de industria, v. g. vestem Pauli in loco furti relinquendo, non procuraverit.

3/ *Causa accidentalis* ea est quæ natura sua ad effectum producendum ordinata non est, eumque solis concurrentibus adjunctis extrinsecis producit, adeoque cum effectu nullam probabilem, sed tantum possibilem connexionem habet. Talis causa accidentalis per se non inducit obligationem restituendi, quia non est causa efficax damni. Attamen notare juvat *intentionem nocendi* efficere posse ut positio causæ accidentalis, cujus effectus alteri nocet, fiat causa efficax damni seu injuriosa, unice quia talis intentio nocendi adest. Sc. posita causa (2) accidentali, seu quæ non sufficiat ad imputationem effectus damnosi, intentio nocendi efficere potest ut imputetur effectus ponenti causam. Ut enim effectus sequens per accidens ponenti causam imputetur, requiritur et sufficit (3) ut agens libere causam ponat, effectum ex ea secuturum prævideat, et *teneatur omittere*

---

causam esse vere influentem, exemplum vero *materiale* solam præbere occasionem. Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT. *Étude de théol. morale sur la Coopération etc.* — Bruges, 1884, p. 149-150.

(1) Confundi tamen nefas est injuriam mere affectivam cum injuria stricte dicta mentali qua (per judicium temerarium v. g.) efficaciter jus proximi læditur. De influxu intentionis injustæ in injuriam cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *Tract. de Justitia*, Brugis 1885-86, T. II, n. 10.

(2) Sc. deficiente omnino influxu causalitatis, sive physico sive morali, intentio efficere non potest ut causalitas oriatur, ut occasio v. g. mutetur in causam; sed, posita vera causalitate, insufficiente tamen ad imputationem effectus, intentio efficere potest ut imputetur effectus ponenti causam.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, T. I, p. 284, s.

causam (1) *ideo ne sequatur effectus*. Jamvero, agens ex justitia tenetur ad vitandam causam ne sequatur effectus damnosus, si hunc effectum intendat, seu causam ponat ideo ut lædat (2). Ergo intentio nocendi supplet defectui connexionis physicæ inter causam et effectum, ità ut causa accidentalis in ordine physico fiat causa efficax in ordine morali (3). Sed hîc jam tertiam conditionem attingimus.

C/ **theologice culpabilis** *seu peccaminosa* (4). Obligatio enim strictæ justitiæ damnum reparandi nascitur tantum, secluso contractu, ex culpa theologica. Etenim ut morali restitutionis obligatione adstringamur, actio aut actionis omissio qua damnum illatum est, a nobis non qua causa physica tantum sed qua causa morali proficisci debet. Atqui nemo damni illati est *causa moralis* et proinde *injuriæ reus*, nisi illius actio damnificans sit aut directe aut indirecte (seu in causa) voluntaria, et proinde nisi coram Deo seu theologice culpabilis sit (5). Ergo damnum ne in confuso quidem prævisum damnificator reparare non debet.

Nota. 1/ Plures quæstiones de voluntario seu culpa theologica in hac materia restitutionis resolvuntur apud Ill^m^ ac Rev^m^ Waffelaert, *Tract. de Just.*, Brugis 1885-86, T. II, n. 206 ss. et apud *Collat. Brug.*, T. II, p. 569 ss.

---

(1) Et in casu, ex justitia.

(2) Tunc enim prævalet jus negativum quod unusquisque, ante omnem hypothesim habet, ne lædatur. Si agens ex alio motivo causam ponat, prævalere potest jus quod habet ad bona prosequenda et mala avertenda, etiam si cum bono hoc effectu sequatur per accidens læsio alterius. Cf. *Collat. Brug.*, T. I, p. 286 ss.

(3) Hinc patet posse eamdem actionem. propter diversum agentis animum, contrahere vel non contrahere malitiam injustitiæ. Ità qui laqueum ponit in via per quam raro ipsius inimicus transit, unice tamen ut si fortasse veniat, crus frangat, causa efficax est damni si inimicus per accidens transiens, revera damnum patitur. — Quodsi ex alio fine rationabili ponit et inimicus incidit, non est injustus neque reparare tenetur.

(4) Seu, uti alii dicunt, formaliter injusta.

(5) Cf. Marres, *De Justitia*, Ruræmundæ 1879, T. I, p. 267.

2/ Quoties non intervenit lex civilis, sed agitur de solo contractu vel quasi-contractu sensu theologico (1), non potest agi de restitutione, si deficiat culpa theologica. Si vero quis per contractum voluntarie se obligavit ad compensandum damnum quod contingere possit, et imo in se susceperit casus fortuitos, debet quidem ex justitia illa damna resarcire, ast hæc non est restitutio, sed solutio seu executio contractus (2).

3/ Ubi autem absente omni culpa theologica, mere juridica culpa (3) adest contra legem civilem, ex ea nascitur obligatio obedientiæ (non autem justitiæ commutativæ) reparandi damnum alteri cum hujusmodi tantùm culpa illatum, quæ obligatio non viget nisi post sententiam judicis.

IV

Q. An famam injuste læsam reparare sufficit apud auditores immediatos tantum?

R. I. **Principium fundamentale** est: *qui alterius famam injuste læsit, tenetur ex justitia, sicut quilibet damnificator, totum resarcire damnum cujus ipse causa injusta, voluntaria scil. et efficax fuit*: Quod generale principium speciali huic quæstioni applicantes (4) respondemus sub distinctione:

---

(1) A pluribus *theologis*, licet minus proprie, *quasi-contractus* vocatur contractus implicitus seu tacitus quo suscipiens officium ipso facto se obligat ad illud diligenter implendum. *Quasi-contractus sensu juridico* a *jurisperitis* intelligitur contractus a lege confictus; nimirum ex posito licito cujusdam facto, puta ex negotii alieni gestione sponte suscepta, mutuus consensus adesse a lege fingitur, et quædam obligationes quasi ex contractu nascuntur.

(2) Cf. Ill^{s} ac Rev^{s} Waffelaert, *Tract. de Justitia*, Brugis 1885-86, T. II, n. 270.

(3) Culpa mere juridica habetur, quando quis in jure legem civilem violasse reputatur, quamvis nullam culpam theologicam seu formale peccatum admiserit.

(4) Cum communiore et verissima sententia. Aliqui Auctores, olim præsertim contendebant *semper* sufficere satisfacere apud auditores

1/ *Si detractor vel calumniator prudenter præsumere potuit audientes non ulterius rem esse propagaturos, famam læsam apud solos auditores illos immediatos reparare tenetur,* non autem apud alios quibus illi forsan postea dixerunt. Ità v. g. si lædens alicui vel aliquibus dixerit sub secreto, vel personis discretis quas prudenter præsumere poterat rem non esse ultra divulgaturos. *Ratio* est, qui ulterior divulgatio, si adfuit, non censetur illi voluntaria, sed fortuitò eoque invito accidisse; adeoque non fuit causa injusta illius damni subsequentis.

2/ *Si nec sub secreto nec talibus personis discretis, sed potius hominibus levibus et garrulis rem narravit, tenetur lædens damnum resarcire non tantum apud auditores immediatos, sed his non resarcientibus, etiam apud auditores mediatos:* quia fuit causa injusta licet mediata infamiæ subsequentis. Etenim lædens ille damnum pro læso apud mediatos auditores futurum sufficienti modo prævidit, ut qua indirecte volitum illud ei imputari debeat.

Hæc sententia communis, stando in vi rationis et argumenti, verissima est, ut merito ait de Lugo (1). Adeoque, in defectu auditorum immediatorum, lædens *per se* tenetur ad dictam reparationem apud mediatos audientes. Per accidens utique excusari potest propter impotentiam, ut in aliis materiis; stricte tamen loquendo, quamvis apud omnes non possit satisfacere, non

---

immediatos; verùm eorum argumenta præcise eadem sunt quæ sub II adducentur ut appareat quomodo plerumque teneri possit *praxis communis* confessariorum et pœnitentium, qui satisfieri putant si apud immediatos auditores tantum reparatio fiat. *Practice* igitur fere nulla differentia apparet inter sententiam communiorem et aliam, hodie cæteroquin derelictam. Verùm theoretice loquendo et attentis principiis communior sententia omnino est tenenda. Cf. Carrière, *De Just. et Jure*, Parisiis 1839, T. III, n. 1415; — Marres, *De Justitia*, Ruræmundæ 1879, T. I, p. 421; — Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Tract. de Justitia*, Brugis, 1885-86, T. II, n. 385; — *Theol. Mechl. Tract. de Jure et Just. et de Contract.* Mechliniæ, 1896, p. 170; — S. Alph. *Theol. Mor.*, Lib. IV, n. 991 s.; — Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, V. III (Prati, 1890), p. 401.

(1) *De Just. et Jure*, Disp. XV, S. II, n. 15.

ideo excusabitur ut apud nullum satisfaciat. Sicut qui debet mille, quæ solvere non potest, non excusatur a solvendis centum quæ potest solvere. — Nihilominus:

II. **Practice et regulariter** *lædens per retractationem apud immediatos auditores satisfacere dicendus est, ubi revera causa fuit injusta læsæ famæ apud mediatos, partim propter impotentiam moralem ulterius progrediendi, cùm mediati auditores nonnisi ab immediatis cognosci possint et sic porro; partim et potissimum quia implicite immediatis auditoribus committitur et ab ipsis onus suscipitur sufficienter læsionem reparandi.* Quod ità evolvit de Lugo (1): « Eo ipso quod apud immediatos auditores detegit falsitatem vel injuriam, videtur illis implicite committere, ut ipsi hanc suam retractationem apud alios divulgent, quibus rem illam fortasse dixerant. Quare, dum immediati auditores munus illud et commissionem non expresse rejiciunt, videntur implicite acceptare. Hic enim videtur esse sensus detractoris corrigentis postea suum errorem: nimirum protestari se nolle infamatum pati quicquam detrimenti in fama ob id quod prius de ipso... dixerat, et paratum se esse ad omnem satisfactionem necessariam præstandam. Quare, dum auditores immediati non dicunt, necessarium etiam esse ut idem aliis protestetur, quibus ipsi bona fide dixerunt, videntur eo ipso significare se vel aliis non promulgasse, vel assumere in se onus et curam manifestandi rem totam, et tollendi errorem apud auditores mediatos. Cùm enim detractor nesciat quæ sint illæ aliæ personæ, nec possint sciri nisi ab auditoribus immediatis; eo ipso quod hi nihil ei dicunt, censentur sibi eam curam assumere, et liberare detractorem ab hoc onere ».

Ergo quamdiu auditores immediati lædentem non monent de infamia jam ulterius propagata, et quod ipsi nolunt illud damnum reparare, poterit, saltem ut in plu-

(1) *l. c.*, n. 16.

rimum, præsumi vel quod damnum non sit ulterius illatum, vel quod ipsi assumunt sibi curam illud reparandi.

Dicitur tamen lædens **regulariter** satisfacere per reparationem apud immediatos auditores: nam ubi ex una parte moraliter constat hos auditores non sibi assumere curam damni reparandi apud mediatos, et ex alia parte hæc ulterior reparatio possibilis apparet, hujusmodi reparationis onus lædentem urget: causa enim immediata deficiente, ipse lædens, utpote ulterioris damni causa mediata, ad reparationem tenetur (1).

V

Q. *An et cur licet pro fama læsa accipere occulta compensatione pecuniam.*

R. *Non licet, pro fama læsa, compensatione occulta accipere pecuniam,* dummodo agatur de ipsa fama læsa et non — uti satis frequenter contingit — de temporali damno ex diffamatione secuto quod, positis ponendis, pecuniaria compensatione occulta reparari potest.

Ratio cur in casu infamationis compensatio occulta sit prohibita, est *quia ad licitam hujusmodi compensationem requiritur* (2) *jus certum, quod in casu deficit.*

I. *Requiritur ad compensationem occultam* **jus certum**, tùm quia in dubio nemo spoliari potest re sua, cùm in dubio melior sit conditio possidentis (3); tùm quia cogi nequit ad solvendum ille cui fas est rem retinere: æquivalenter autem cogitur si res ipsi occulte surripi-

---

(1) Hinc videant in quantas sese conjicere possint angustias, qui tam facile aliorum famam dilacerant. BILLUART, *De Jure et Just.*, Diss. XV, Art. III, § II.

(2) Inter alias conditiones quæ exponuntur apud *Collat. Brug.*, T. IX, p 581 ss. — Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *Tract. de Just.* Brugis 1885-86, T. II, n. 200.

(3) Privilegium hoc communiter agnoscitur veræ possessioni in materia justitiæ; rationes ob quas principium possessionis in hac materia valeat sunt: præsumptio in favorem possessoris bonæ fidei et ratio boni communis. Cf. *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 175 s.

tur; tùm denique quia secus propter periculum hallucinationis multi re sua privarentur (1).

II. *In casu infamationis deficit jus certum ad compensationem* pecuniariam. Etenim ut ille cujus fama læsa est habeat jus certum ad pecuniariam reparationem, requiritur ut moraliter certum sit damnum famæ illatum *pecunia* compensari posse et debere.

Atqui obligatio famam pecuniis reparandi vix cum probabilitate defenditur.

Ergo incertum est utrum damnum famæ illatum pecunia reparari possit et debeat, adeoque in casu infamationis nunquam uti licet compensatione pecuniaria occulta.

Minor probatur his argumentis.

1/ *Probabilius nullum damnum est de necessitate* (2) *reparandum ex bonis ordinis diversi.* Etenim justitia commutativa pro objecto formali habet æqualitatem rei ad rem i. e. arithmeticam seu perfectam, saltem cum aliqua parte rei debitæ, ità ut non existat obligatio justitiæ commutativæ ubi deficit dicta æqualitas perfecta. Atqui perfecta æqualitas impossibilis est ubi bonum ablatum (fama) et bonum redditum (pecunia) sunt in diverso ordine: nam tunc adhuc læsus non habet quod suum est; adhuc enim (accepta pecunia), totaliter caret bono ablato (fama) sicut prius. Ergo restitutio ex bonis diversi ordinis nihil conducit ad formale objectum justitiæ commutativæ, adeoque ex justitia commutativa non obligat.

2/ Jus certum ac strictum debet esse determinatum ac demonstrabile, ut ex ipsa ejus notione patet: porro

---

(1) Cf. DE LUGO, *De Just. et Jure.*, Disp. XVI. n. 94 s ; — VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia*, Brugis 1904, p. 330 ss.; — NOLDIN, *De Præceptis Dei et Ecclesiæ*, Œniponte 1904, n. 418.

(2) Dicitur *de necessitate*, nam confessarius aliquando pecuniæ summam tanquam ex æquitate debitam suadere, eamve per modum pœnitentiæ dandam interdum injungere potest. Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *o. c.*, n. 355.

nulla est regula ex qua determinari possit quædam proportio inter bona diversi generis.

In specie bonum famæ cum pecunia comparatum est bonum ordinis superioris quod *nulla pecuniæ summa æstimari potest*, quod non est in commercio positum neque, jure naturali, pecuniâ vendere licet. Meritò advertit Billuart (1) : « Fateor hujusmodi compensationem in pecunia non esse in usu... quia diffamati eam non solent exigere, eo quod probrosum sit inter homines famam suam quasi venalem habere, et pecuniam pro illa accipere aut exigere; quique id faceret, vilissimæ et abjectæ famæ haberetur ».

3/ Sententiæ nostræ *usus fori judicialis* etiam favet, cùm nulla a judice pecuniaria compensatio pro ipsa læsione famæ imponatur, licet damnum temporale ex infamia quandoque natum, compensandum esse decerni soleat.

Cùm principia in hac solutione proposita maximi sint momenti, et a nullo, quod sciamus, auctore sufficienter tueantur, ea ulterius vindicamus contra sequentes

Objectiones. I. *Objiciet* quis debitum famæ esse certum et dubium versari tantum circa modum quo compensari possit, doctores autem, quando dicunt in dubio non esse locum compensationi, intelligere dubium circa debitum non vero circa modum compensandi. — Transmissa illa distinctione, respondemus in casu proposito dubium circa modum compensandi ipsum debitum concrete sumptum incertum et dubium reddere. Sane, quamdiu fama læsa non fuit reparata, habet lædens debitum eam aliquo modo reparandi ; at prorsus incertum est, ut probavimus, utrum pro fama læsa debeat compensationem pecuniariam.

II. *Neque valet ratio adversariorum:* qui non potest

---

(1) Qui tamen oppositæ sententiæ favet. Cf. *Tract. de Jure et Justitia*, Diss. XV, Art. II, § II.

totum damnum reparare, tenetur saltem restituere partem quam potest (1). Ergo ubi detractor potest et non vult reparare famam læsam, potest infamatus sibi partem damni pecuniâ occulte compensare. — Nam, licet antecedens verum sit quoties bonum ablatum et redditum sunt in eodem ordine, consequens negandum est, quia pecunia nulla pars famæ ablatæ restituitur, cùm sicut prius infamatus maneat, adeoque deficit in compensante conditio juris certi ad hujusmodi restitutionem necessario requisita.

III. *Neque objiciatur* demùm: plures optimæ notæ Theologos (2) expositæ sententiæ adversantur. Ergo

---

(1) Ità fere S. THOMAS, *Summa theol.* 2ª 2ᵃᵉ, q. 62, a. 2 ad 1ᵐ et 2ᵐ, et cum ipso Adrian. SOTO, SYLVIUS, VALENTIA, MOLINA, COVARRUVIAS.

(2) Nullus Auctor loquendo in generali et pro omnibus casibus, ausus est asserere licere compensationem occultam cum jure probabili tantum, sed omnes dicunt debere esse certum, liquidum et indubitatum debitum. At vero agentes de quibusdam casibus particularibus (nempe homicidii, mutilationis et infamationis ac inhonorationis) plures Auctores asserunt licitum esse alienum occulte retinere vel accipere cum probabilitate debiti. Ità ad infamationem quod attinet, pecuniariam compensationem occultam ut licitam habent LESSIUS, *De Just. et Jure*, L. II, c. 11, dub. 25; — ARAGON, 2ª 2ᵃᵉ, q. 62, art. 2, dub. 9, disp. 2; — MOLINA, T. I, Disp. 49, n. 5; — LEDESMA, JOAN. DE LA CRUZ, TANNERUS quos refert et sequitur DIANA 2 part. tract. 2, miscel. resol. 30; — BONACINA, Disp. 2, q. 6, punct. ult. n. 1; — TRULLENCH. l. 7, c. 10, dub. 29, n. 6. — DE LUGO, *De Just. et Jure*, Disp. 16, s. 5, n. 97-106 illos Auctores inconstantiæ arguit (n. 95); quorum tamen sententiam justificare conatur ope distinctionis inter dubium circa debitum et dubium circa modum illud compensandi, quam distinctionem in Resp. ad 1ᵃᵐ obj. rejiciendam ostendimus. Addit nihilominus: « De hoc tamen nihil volo asserere, imo libenter abstineo ab ultimo judicio circa hoc totum punctum de compensatione licite facienda cum opinione solum probabili » (n. 106). — SALMANTICENSES, Tract. XIII, c. I, n. 318 ss. eamdem difficultatem diligenter investigant, et fatentur se non capere disparitatem (323), tenentque occultam compensationem licitam esse in illis casibus « probabilitate extrinseca, desumpta ex Doctorum auctoritate », et pariter allegant distinctionem Lugonis (c. IV, n. 148) — S. ALPHONSUS, *Theol. Mor.*, Lib. IV, n. 521 et 1001 simpliciter affirmat Doctores apud Salmant. casum infamationis a regula generali excipere. — Neque nova argumenta protulit CARRIÈRE, *De Justitia et Jure*, Parisiis 1839, T. III n. 1430; neque LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, Friburgi B. 1898, V. I, n. 939.

opinio occultam compensationem in casu infamationis permittens est solide probabilis.

Concesso enim antecedente, adeoque concessa probabilitate extrinseca illius opinionis, negamus consequens et consequentiam. Dictæ enim opinioni nulla affulget auctoritas intrinseca in rationum momentis fundata. *Optime enim notandum est extrinsecam auctoritatem fundari in intrinseca tanquam in radice et causa præcontinente.* Unde tantum valet auctoritas quantum valet ratio, ità ut vere probabilis sit opinio quæ nititur motivo vere gravi tùm absolute, tùm relative seu inspectis motivis in oppositum. — Jamvero argumentum ab illis Auctoribus (1) allatum ut ostendant famæ damnum aliquando posse et debere compensari pecunia, dissolvimus in *II^a obj.* Unde eorum doctrina non apparet absolute probabilis. Eam autem non esse probabilem patet maxime ex motivis quæ in favorem sententiæ negantis attulimus.

Præterea, data non concessa probabilitate intrinseca illius opinionis, dato igitur non concesso probabile esse famam aliquando posse et debere pecunia reparari, nullo modo sequitur læsum cum illa opinione probabili posse uti compensatione occulta. Etenim allata distinctio dubium circa debitum inter et dubium circa modum compensandi nihil operatur in casu, ut ostendimus in *I^a obj.* Imò *illi Auctores inconsequenter et inconstanter procedunt*, cùm ex una parte in generali negent licitam esse compensationem cum opinione probabili debiti, et

(1) Crolly, *Disputat. theolog. de Justitia et Jure*, V. III (Dublinii 1877) n. 1458 cum aliis AA. admittit licitam esse compensationem pecuniariam si lædens potest restituere famam ast non vult, non tantum quatenus (ut dicemus in Nota I) quis possit solutionem debiti differre ad urgendam restitutionem famæ, sed etiam pecuniam possessam absolute appropriare aut imò surripere « quia restitutio famæ certe debita est ». Verùm, ut iterùm dicamus, an certe debetur restitutio *pecuniaria?* Et cùm hoc vix sit probabile, nonne valet principium a Crolly *ibid.* positum: « ad occultam compensationem recurrere non licet nisi debitum sit certum, et minime *certum* est lædentem teneri restitutionem facere pecunia pro damno quod circa famam intulerit » ?

ex alia parte in casibus particularibus eam licitam esse adstruant. Si licet compensatio cùm est probabile mihi ob injustam læsionem *famæ* pecunias deberi, cur non licebit, si sit probabile mihi deberi pecunias propter *furtum* vel *rapinam?*

Ergo vel est dicendum in omnibus casibus in quibus datur probabilitas facti, quod res debetur, esse licitam compensationem et sic dari probabilitatem proximam juris, vel est negandum in casibus particularibus. Maxime, *ratio quare in his particularibus casibus liceret compensatio, tenet in omnibus:* quia non assignatur ab Auctoribus alia ratio, quare in illis casibus liceat, nisi *quia probabile est rem deberi.* Ergo in omnibus casibus, in quibus verificatur esse probabile rem deberi, liceret talis compensatio, quia ubi urget eadem ratio, eadem debet esse decisio. Atqui nullus Auctor, ut jam diximus, docet fieri universim posse compensationem cum sola probabilitate debiti, quia talis probabilitas semper vincitur ab alterius possessione certa. Ergo nullus logice id tenere potest in casu particulari infamationis (1).

Nota. I. Certo tamen licet debitori qui a creditore suo est diffamatus, ipsum per *dilatam debiti solutionem* urgere ad famæ læsionem reparandam (2).

II. Etiam Auctores qui opinionem affirmantem theoretice vere probabilem habent (3) vel quæstionem theoretice non dirimunt (4), merito concedunt prædictam compensationem **practice** esse sollicite cavendam. Si enim compensatio occulta ut periculosa agnoscitur in debitis ordinariis, multò magis esset in præsenti materia, cùm pro fama, quæ pretio æstimari nequit, compensationem concedendo larga injustæ cupiditati panderetur via.

A. CAMERLYNCK.

---

(1) Cf. SALMANTICENSES, *ll. cc.*

(2) Cf. *suprà* p. 156 ss. (sub II) ubi de causis a restitutione hic et nunc facienda excusantibus.

(3) Uti CARRIÈRE, *o. c.*, n. 1430.

(4) MARRES, *o. c.*, L. II, n. 366. — Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *l. c.*

VI

Q. Quelles sont les attributions du commissaire d'arrondissement dans l'administration fabricienne?

Préliminaires. Les attributions des commissaires d'arrondissement s'étendent sur les communes dont la population est inférieure à 5000 âmes, pour autant que ces communes ne soient pas chefs-lieux d'arrondissement (loi 31 Mars 1874).

Le commissaire d'arrondissement, intermédiaire entre l'administration provinciale et les autorités communales, est un agent de surveillance et de transmission, obéissant à l'impulsion du gouverneur et de la députation permanente.

Les affaires administratives sont instruites par ce fonctionnaire, qui veille à ce que les lois, règlements et instructions soient observés, donne ses conseils aux administrations communales de son ressort, leur trace la marche à suivre etc.; puis, ce premier point terminé, c'est le commissaire d'arrondissement qui étudie d'abord les affaires, examine les dossiers, contrôle leur régularité et les transmet au gouvernement provincial, accompagnés d'un rapport, dans lequel il consigne tous les éléments d'instruction destinés à éclairer l'autorité supérieure (1).

Il est aussi un agent de conciliation qui, par l'autorité morale dont il est investi, rapproche et met d'accord les administrations qui ont des intérêts communs.

R. Relativement à certains actes de l'administration fabricienne spécifiés par la loi, les commissaires d'ar-

---

(1) Giron, *Le droit administratif de la Belgique*, 2e édit., T. II, p. 141, 3 vol.. Bruxelles, 1885; le même, *Dictionnaire de droit administratif*, vo Commissaire d'arrondissement, T. I, p. 181, 3 vol., Bruxelles, 1895-1896; *Pandectes Belges*, vo Commissaire d'arrondissement.

rondissement n'ont pas d'autres attributions que celles qui sont comprises dans leurs fonctions générales d'agents de surveillance et de transmission.

1° Lorsqu'il s'agit de localités de moins de 5000 âmes et qui ne sont point chefs-lieux d'arrondissement, les différents actes des fabriques, soumis par la loi à l'avis des conseils communaux et à l'approbation de l'autorité supérieure sont transmis à la députation permanente par l'intermédiaire des commissaires d'arrondissement qui donnent leur avis, s'il y a lieu. Tels sont: les aliénations, transactions, échanges de biens ou droits immobiliers, les actes de donations et les legs, les demandes en autorisation d'acquérir des immeubles ou droits immobiliers, la vente et le changement du mode de jouissance des terrains incultes (a. 76 L. com.), les partages, les emprunts, les actes de location par adjudication publique etc.

La même marche administrative doit être suivie, pour l'approbation des budgets et des comptes, conformément aux articles 2 et 7 de la loi de 1870.

Art. 2. — Les collèges des bourgmestre et échevins des communes placées sous les attributions du commissaire d'arrondissement transmettent à ce fonctionnaire les budgets des fabriques, accompagnés des pièces justificatives et de l'avis du conseil communal, au plus tard en même temps que les budgets communaux. Le commissaire d'arrondissement transmet le tout, avec ses observations, s'il y a lieu, au gouverneur, avant le 20 Octobre.

L'art. 7 contient une disposition analogue quant aux comptes.

Ces formalités doivent aussi être observées pour l'approbation des crédits supplémentaires, qui ont pour objet, soit une dépense non inscrite au budget, soit une dépense qui y figure, mais avec un crédit insuffisant.

Avant de transmettre à la députation permanente

ces différents actes spécifiés par la loi, le commissaire d'arrondissement s'assurera s'il a été satisfait à toutes les dispositions législatives et réglementaires sur la matière. Par conséquent il a le droit d'examiner la régularité des dossiers, de veiller à l'observation des formes prescrites, de signaler les erreurs ; il n'a pas le droit de réformer.

2° L'art. 136 de la loi provinciale est rédigé comme suit : « Ils (les commissaires d'arrondissement) visitent, au moins une fois l'an, toutes les communes de leur ressort ; ils vérifient les caisses communales chaque fois qu'ils le jugent convenable. Ils peuvent visiter les établissements communaux de leur ressort ».

M. le chevalier de Corswarem, une autorité en matière d'administration fabricienne, commente cette disposition en ces termes : « Quoique la fabrique d'église n'émane pas de la commune, il est cependant hors de doute qu'elle est un établissement communal dans le sens de l'art. 136 de la loi provinciale. Le commissaire a donc le droit de la *visiter*, ce qui comporte le droit de prendre communication de tous les documents intéressant la fabrique, ainsi que le droit de prendre connaissance des registres et pièces comptables du trésorier et de vérifier la caisse » (1). Plus loin il cite à l'appui de cette interprétation, une dépêche du Ministre de l'Intérieur, en date du 14 Novembre 1884 (2).

Néanmoins, nous croyons cette opinion non fondée. Ni le caractère des fabriques, ni la législation spéciale qui les régit (3), ne permettent de ranger les fabriques parmi les établissements communaux. De plus, les discussions dont cet article de la loi provinciale fut

---

(1) *De la législation civile des cultes et spécialement de l'administration des fabriques d'églises*, p. 305-306, n° 305, Hasselt, 1904.

(2) *ibid.*, p. 530, n° 601. Nous n'avons pu examiner le texte de cette dépêche ministérielle.

(3) *Collat. Brug.*, 1904, T. IX, p. 638 ss. ; T. X, p. 36 ss.

l'objet, écartent cette interprétation extensive des droits des commissaires (1) et plusieurs auteurs la rejettent (2).

A. De Meester.

(1) *Pandectes belges*, v° commissaire d'arrondissement, n° 105.

(2) Delcour, *Traité de l'administration des fabriques*, p. 133, note 163, Louvain, 1846; Bernimolin, *Les institutions provinciales et communales de la Belgique*, 2 vol., T. I; p. 269, Bruxelles, 1892. Cet auteur arrive, par comparaison des articles 90, n° 3, 91 L. com. et 136 L. prov., à la conclusion suivante. « Quant à la visite des établissements communaux que l'art. 136 L. prov. confie également à ces fonctionnaires (commissaires d'arrondissement), il ne peut s'agir des établissements publics proprement dits, comme les bureaux de bienfaisance et les hospices, mais seulement des établissements communaux qui n'ont pas d'administration spéciale et ne sont pas personnes civiles ».

DISSERTATIO

De Frequenti Communione

Occasione recrudescentis controversiæ circa communionem frequentem (1), conabimur sacerdotibus, in sacro ministerio laborantibus, brevi compendio doctrinam proponere, quæ circa dictam quæstionem, in varios sensus agitatam, magis conveniens videatur menti Ecclesiæ ac principiis theologiæ. Animum habemus alienum ab omni altercatione vel lite evocanda, ac unice intendimus theticè indicare ac paucis vindicare normam, juxta quam confessarii pœnitentes securius dirigere queant in ordine ad crebriorem vel rariorem SS. Eucharistiæ susceptionem. Quæ expositio eo magis opportuna visa est quod nonnullis judicium latum circa opellas R. P. Godts ac D. Chatel, apud *Collat.*, X, p. 134, ansam dedisse videtur interpretationi minus rectæ sententiæ nostræ.

Capita doctrinæ evolvemus in quintuplici successiva propositione, quam sequetur conclusio practica. Sit ergo

*
* *

Propositio Prima.

Re absolute spectata et solo attento fine institutionis

---

(1) Ita hanc controversiam apud nos moverunt nuperrime Godts, *Exagérations historiques et théologiques concernant la communion fréquente*, De Meester, 1904; Chatel, *La Doctrine catholique sur la communion fréquente*, Bruxelles, Polleunis, 1904; Coppin, *La Sainte Communion ou le Pain quotidien*, De Meester, 1904; Couet, *De la Communion fréquente et quotidienne*, apud *Annales de l'association des Prêtres Adorateurs*, 1905, pp. 5-20; Lintelo, *Lettres à un Prêtre à propos d'une polémique sur la communion fréquente*, Casterman, Tournai, 1905; Aertnys, *De Heilige Communie als behoedmiddel tegen de zonde*, apud *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1905, p. 85; *La Voix du Rédempteur*, Mars 1905, p. 83 et seq.; *Le Très-Saint Sacrement*, Mars 1905, pp. 577-607.

SS. Sacramenti, summopere optandum est ut omnes et singuli fideles quotidie communicent.

Explicatur.

Sic sonantem propositionem quis audeat in dubium vocare? Sane quotidianam communionem summis in votis esse Christi et Ecclesiæ instanter suadent tum ipsa eminens virtus SS. Sacramenti, tum analogia cum cibo corporali, cujus frequenti sumptione vires corporales continuò recreantur ac sustentantur, tum ipsa integra liturgia sacrificii Missæ, quæ adeo intimam prodit connexionem inter communionem et missæ assistentiam, quæque assistentes Sacramenti sumptione sacrificio associare videtur.

Quam connexionem urget etiam Benedictus XIV, *De Sacrificio Missæ*, Sect. 1ª, cap. 350-351, provocans ad varias orationes in missa usurpari solitas: « ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus.... Satiasti familiam tuam muneribus sacris, etc. (1)...

Ejusdem ardentis Ecclesiæ desiderii testis est S. Synodus Tridentina, Sess. XXII, cap. 6, ubi ait: « Optaret quidem sacrosancta Synodus ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret », et Sess. XIII, cap. 8, « paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli,

---

(1) « Si l'on considère, dicit R. P. Coubé, in egregio opere *La Communion hebdomadaire*, Parisiis, Rétaux, 1902, 16e mille, p. 79, l'essence et la forme du sacrifice de la messe on y voit clairement que la communion en est le complément normal et naturel. La messe est un sacrifice, mais dans tout sacrifice, ainsi que nous le voyons pratiqué dans toute l'antiquité, c'est une loi que les assistants se partagent les chairs de la victime ». Et adducit S. Joannem Chrysostomum quasi exaggeranter urgentem intimam affinitatem inter assistentiam et participationem sacrificii.

qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant... ac hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant, et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animæ vita et perpetua sanitas mentis ».

Accedit et *Catechismus Concilii Tridentini, De Eucharistiæ Sacramento,* n. 60, monens: « Quarè parochi partes erunt fideles crebro adhortari ut, quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant, ita etiam quotidie hoc sacramento alendæ et nutriendæ animæ curam non abjiciant ».

Laudant etiam et extollunt usum frequentis communionis S. C. Concilii decreta lata sub Sixto V, die 24 Januarii 1587, et sub Innocentio XI, die 12 Februarii 1679, quorum decretorum tenorem, cum præviis consultorum votis ac discussionibus fusè referunt *Analecta Juris Pontificii*, Série 7e, col. 781-331; et ideo reprobatur, in decreto Sixti V, statutum, quod introducendum proposuit Episcopus Brixiensis, restringendi communionem pro viris laicis conjugatis et mulieribus etiam non conjugatis ad certos dies, nempe ad dies festivos et feriam 4m et 6m (1).

In eumdem sensum diserte loquuntur Instructiones S. C. de Prop. Fide anni 1784 et 1817, quas respective exhibet *Collectanea S. C. de P. F.*, nn. 719 et 722.

---

(1) *Normæ* pro approbandis novis institutis votorum simpliciùm, nº 150, monent: « In constitutionibus determinari poterunt dies, quibus omnes sorores simul ad S. Synaxim accedant »; sed nº 151 providè additur: « Hæc determinatio dierum, quibus ad sacram synaxim accedant omnes, habet pro singulis sororibus vim normæ directivæ, non vero legis stricte et sub culpa præcipientis aut restringentis ». Cf. etiam Responsum S. Congr. Epp. et Regul. 4 Aug. 1888, apud P. VERMEERSCH, *De Religiosis Institutis et personis,* edit. 3ia, 1904, tom. II, nº 217; et decretum *Quemadmodum,* 17 Dec. 1890, nº VI, apud *N. R. th.*, XXIII, p. 131; BATTANDIER, *Guide canonique pour les Constitutions des Instituts à vœux simples,* Parisiis, 1905, n. 218 et 219.

Tandem S. Pœnitentiaria, in responso 19 Novembris 1885 « laudabilem proclamat consuetudinem quotidie ad sacram communionem accedendi ». Lahousse, *De Eucharistiæ mysterio,* n. 156.

Quibus luculentissimis documentis addere possemus testimonia SS. Patrum et Doctorum Ecclesiæ, qui omnes unanimi consensu promovere studuerunt ac amplissimis encomiis celebraverunt frequentem accessum ad SS. Eucharistiam: quæ testimonia, brevitatis causa, omittimus, lectorem remittentes ad Favre, *Théorie et pratique de la Communion fréquente et quotidienne,* S^ti Trudonis, 1852, signanter pp. 138-220, necnon ad laudatum opus Coubé, in 2^a, quam habuit, oratione, pp. 76-122.

Attamen probè nota in prosositione dici: « *re absolute spectata ac solo attento fine institutionis Sacramenti* », quia *ex parte communicantis* varia possunt esse impedimenta ob quæ, seposita etiam conscientia peccati mortalis, dissuadendus esset frequentior ac quotidianus accessus ad S. Synaxim, quemadmodum infra dicetur. Quotidiana nimirum communio in votis est ut ab omnibus instituatur, modò sic vivant ut quotidie sumere valeant, quæ sane conditio, uti infrà ostendetur non in omnibus verificatur. « La communion quotidienne, notat Coubé, op. cit., p. 162, est un idéal absolu, que, pratiquement, la plupart des chrétiens ne peuvent atteindre ». Cf. etiam De Lugo, *De Sacramento Eucharistiæ,* Disput. XVII, n. 3-4; S. Thom., Pars III^a, qu. LXXX, art. 10, in corpore. Quam restrictionem latiùs explicat ac vindicat

***

Propositio Secunda.

Non sufficit status gratiæ ut unicuique non conscio peccati mortalis communio absque restrictione, etiam frequens et quotidiana, commendetur.

Explicatur et Vindicatur.

Quod sufficiat necne status gratiæ, etiam supposita

recta intentione, ad hoc ut communio frequens (pluries per hebdomadam) ac quotidiana passim commendetur, quæstio est jam antiquitus Auctores in duplicem partem dividens, aliis negantibus, aliis affirmantibus.

Severiorem opinionem promovit potissimum De Lugo, in citata Disputatione XVII, ubi, n. 3-4, statum quæstionis ponit hisce terminis: « Dubium ergo est an hæc major utilitas et perfectio communionis quotidianæ (abstracte loquendo et ex parte sacramenti) universaliter sit accipienda respectu omnium fidelium existentium in statu gratiæ; an vero sint etiam aliqui justi, quibus... consultius sit rarius quam singulis diebus ad Eucharistiam accedere ».

Benigniori autem favet præprimis Joannes Sanchez, *Selectæ et practicæ disputationes,* Disput. XXII, in qua, num. 7, mentem aperit: « Certum tamen puto non aliam requiri dispositionem præter nullius peccati mortalis conscientiam, aut quod ob inanem gloriam non suscipiatur Eucharistia, aut tempore susceptionis non aliud instet præceptum implendum quod frangi necesse sit ob assumptam occupationem Eucharistiæ suscipiendæ, aut quod nullus pravus finis intercedat, eumque qui sic se paratum invenerit, id est, absque mortali et cæteris dictis obstaculis communicando, juxta sanius consilium acturum ».

Cardinalis Gennari (1), argumentis utrimque expositis, utramque sententiam habet uti probabilem; unde practice concludit pœnitentes hanc alteram benigniorem opinionem sequi posse tanquam normam, denegato confessario jure frequentiam communionis juxta severiorem sententiam reducendi.

Porro priorem sententiam inhæsitanter amplectimur,

---

(1) *Sulla communione frequente e sul decreto Quemadmodum*, Napoli, 1900; opellam translatam adnexuit P. Bastien operi cui titulus *Directoire canonique*, Maredsous, 1904. Cf. etiam *R. th. fr.*, 1902, p. 561 et seq., ubi præcipua puncta doctrinæ probantur.

quemadmodum jam notavimus apud *Collat.*, hoc tomo, p. 134 et seq., eamque haud ægre eruendam opinamur

A/ **Ex mente Ecclesiæ.**

Ut pauca, inter plura, eligamus, audivimus Concilium Tridentinum, Sess. XIII, cap. 8°, in ipsa pericopa, in qua fideles ad communionem frequentem eloquenter compellat, sedulò eos monere ut sancte et devote ad hujusmodi communionem sese disponant. Decreta etiam S. C. Concilii, suprà citata, diserte docent, iisdem usurpatis verbis, frequentiorem ad S. Synaxim accessum pendere a gradu devotionis et præparationis ac conscientiæ puritate (1).

Ad hæc remisit S. C. Episc. et Reg., in decreto Maii 1843 (2), ubi declaratur « posse superiorem frequentiorem SS. Sacramenti perceptionem iis monialibus permittere, quæ puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ videantur, prout ab Innocentio XI... decretum est ».

Similiter S. Pœnitentiaria, in rescripto jam memorato anni 1885, in quo laudat quotidianam communionem, illicò addit : « spectare autem ad confessarium id singulis permittere juxta regulas a probatis Auctoribus traditas et præsertim a S. Alphonso ». Jamvero S. Doctor, in *Praxi Confessariorum,* n. 149, explicite docet non esse dubium « quin error sit... concedere communionem frequentem... iis qui accedunt ad communionem cum affectu ad peccata venialia deliberata

---

(1) « Quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam accessus confessariorum, secreta cordis explorantium, judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiæ fructu et ad pietatem processu .. quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt ».

Pastores autem « dent operam ut unusquisque digne, pro devotionis et præparationis modo, rariùs aut crebrius dominici corporis suavitatem degustet ».

(2) Cf. DALGAIRNS, *La Sainte Communion*, Paris, 3e edition, 1884, tom. 2e, p. 282-285, in appendice desumpto ex *Analecta Juris Pontificii*, serie 6e, col. 1503-1535.

sine ullo desiderio se ab eis liberandi ». Cf. Libr. VI, n. 270, et *Hom. Apost.*, Append. I, n. 29.

Benedictus XIV, *De synodo diœces.*, l. VII, cap. XII, n. 9, observat: « præcipue vero monendi sunt confessarii ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant aut permittant qui..., etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem »; quam normam proponit Pontifex uti decreto Tridentino adamussim respondens.

Hanc doctrinam, sub utraque propositione delineatam, egregie exponit Doctor Angelicus, P. III, qu. LXXX, art. 10, in corpore: « Respondeo dicendum quod circa usum hujus sacramenti *duo* possunt considerari: *unum* quidem ex parte ipsius sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, et ideo utile est quotidie ipsum sumere ut homo quotidie ejus fructum percipiat;... *alio modo* potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur ut cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat, et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat, unde August., cum dixisset: accipe quotidie ut quotidie tibi prosit, subjungit: sic vive ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum » (1).

B/ **Ex ratione theologica.**

Ultro concedimus solum peccatum mortale, imo

---

(1) Coubé, op. cit., p. 163-164, advertit: « Plusieurs auteurs du XVIIIe siècle, dans un très-louable dessein de combattre le Jansénisme, mais emportés par un esprit de réaction excessive, ont soutenu que la seule condition dont il fallût se préoccuper pour s'adonner à la communion quotidienne était l'absence de péché mortel, et que par conséquent on pouvait y engager indistinctement tous les fidèles en état de grâce, quelles que fussent leurs autres dispositions ».

solam conscientiam peccati lethalis (1), constituere *obicem simpliciter* ad fructuositatem SS. Eucharistiæ, totumque effectum impedire sacramentalem ac sacrilegii reatum inducere gravem. Ast, præter obicem simpliciter, datur in omni sacramento obex *secundum quid*, partialiter impediens fructuositatem sacramenti ; et, quemadmodum voluntaria susceptio sacramenti cum obice simpliciter importat gravem irreverentiam et inordinationem, ita non deest irreverentia ac inordinatio, etsi venialis tantùm, in voluntario accessu cum obice secundum quid : quæ irreverentia ac consequens inordinatio eo major est quo majori reverentia ac veneratione enimenter digna est SS. Eucharistia præ reliquis sacramentis. Est tamen hæc inordinatio abstergibilis, a dicta irreverentia excusante ratione proportionata, puta susceptionem Sacramenti urgente præcepto vel spirituali indigentia (2).

Hujusmodi obex secundum quid, uti infrà latius evolvetur, est in defectu devotionis actualis ac mentis divagatione et signanter in affectu actuali ad peccatum veniale, quibus impediuntur fervor charitatis ac spiri-

---

(1) Sententia namque communior docet Sacramentum Eucharistiæ *per accidens* infundere gratiam *primam*, id explicite docente S. Thoma, P. III, qu. LXXIX, art. 3°; « Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati... perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet et remissionem peccati ». Vi nempe sacramenti *ex attrito fit contritus*. « Non quod *actus attritionis* possit postea fieri *actus contritionis*, uti notat Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, II, p. 137; nam actus semel procedit in esse, et ideo si semel processit a non habente gratiam, nunquam poterit esse formatus, neque ex parte motivi quod non fuit motivum charitatis, neque ex parte principii quod non fuit virtus infusa. Sed *ipse homo*, qui ex actu attritionis præcedente *denominabatur attritus*, nunc, vi sacramenti justificatus, *denominari debet contritus*, utpote jam habens gratiam et charitatem per quam omnis informitas tollitur ».

(2) Si ad abstergendam irreverentiam non requiritur *gravis* necessitas, non sufficit tamen attentis dictis, *quæcumque levis* ratio.

tualis sapor in communionis actu, virtute sacramenti, excitandi.

Quo pacto non est negandum quod accedens ad S. Synaxim voluntarie mente divagans ac peccato veniali actualiter adhærens, quantumcumque in statu gratiæ versetur, inordinationem incurrit, venialem utique, sed inordinationem tamen, eamque attenta summa sacramenti dignitate non negligendam, a qua non excusatur suscipiens nisi, ratione præcepti vel ratione peculiaris necessitatis, ad communionem accesserit.

Nemo autem nos coget admittere hanc indigentiam spiritualem, in communiter contingentibus, posse invocari in favorem communionis *frequentis* (pluries in hebdomada) et signanter *quotidianæ*. Hanc communionem vocat P. Coubé, op. cit., p. 164 « un luxe divin, une surabondance, sans laquelle on peut vivre d'une vie surnaturelle très-parfaite ».

Cæterum periculum est ne communio, cum descripto obice ac extra peculiaris indigentiæ casum, frequentius instituta, tædium generet ac fastidium, quo fideles ab eucharistica mensa recedant ac super angelico cibo nauseent. Quod natum est contingere ex eo quod fervor charitatis, ad quem excitandum ordinatur S. Communio, impeditur, ac dulcedini spirituali obex ponitur, adeo ut extinguatur esuries illa spiritualis, qua tædium vincatur in cibo frequenter sumendo.

*
* *

Propositio Tertia.

Objective et generatim loquendo, ad communionem frequentem ac quotidianam commendandam, præter statum gratiæ, sufficit et, excepto peculiaris indigentiæ spiritualis casu, requiritur remotio obicis secundum quid ad fructuositatem SS. Sacramenti, seu immunitas ab affectu actuali ad peccatum veniale, necnon devotio actualis in accessu ad S. Synaxim.

Explicatur et vindicatur.

Hæc tertia propositio duplicem habet partem:

1ª Pars docet, extra peculiaris necessitatis adjuncta, pro libero ad S. Communionem accessu, requiri ac sufficere *remotionem obicis secundum quid*. Et sane quod ad hoc non sufficiat gratiæ status, in hoc conveniunt omnes Auctores propositioni secundæ subscribentes, differunt autem non parum in determinanda dispositione illa ulteriori, variasque proponunt regulas ac normas plus minusve divergentes pro varia uniuscujusque æstimatione subjectiva.

Porro solutio proposita mediam viam videtur tenere inter solutiones extremas, unam nimium perfectionis uti positivæ dispositionis requirentem, alterum nimis facilè liberum accessum indulgentem ad S. mensam, supposito statu gratiæ cum recto fine; niti etiam videtur solido fundamento theologico, ac conformior esse menti Ecclesiæ ac integræ œconomiæ sacramentali.

Et requidemvera

Quod A/ *postulatur* remotio obicis secundum quid, sequitur ex ratione theologica superius inducta, quatenus scilicet communio, cum obice hujusmodi scienter instituta, irreverentiam importet erga sacramentum, quæ, ex supposito, ratione urgente non abstergitur. Cæterum non alium in finem Christus Dominus fructus disposuit sacramentales quam ut fidelibus prosint, ac proinde merito censetur velle ut, seposito specialis necessitatis casu, ita sese præparent ut integrum ipsis præparatum fructum percipere valeant.

Quod B/ *sufficiat* illa remotio obicis ad liberum accessum, id tutò asseri posse censemus, nitentes ex una parte in eminenti virtute sanctificante SS. Sacramenti ac invitatione SS. Patrum, Ecclesiæ et ipsius Christi Domini, toties ac tam instanter repetita ad frequentem ac quotidianam Eucharistiæ susceptionem, et ex alia parte in absentia omnis impedimenti quod divinæ efficaciæ sacramenti obstet vel ab instanti invitatione accipienda revocet.

Quid enim obstat quominus votis tam ardenter conceptis Christi et Ecclesiæ fiat satis? quid obstat quominus uberes suos fructus abundantissime effundat divinum Sacramentum? quid jam deest ut reverentiæ erga SS. Sacramentum consulatur.

Et profectò non videmus quo titulo altior perfectio foret *requirenda*, nisi dicatur communionem esse dandam in præmium perfectionis et mercedem, et non in remedium et medecinam ac sustentaculum; quod contradicit menti et sensui Ecclesiæ ac doctrinæ quam universa conclamat Traditio. Quod adagium de non danda Eucharistia in præmium sæpe opponitur a benignioris, de qua supra, sententiæ patronis (1): solos autem tangit Auctores qui excelsiorem perfectionis gradum *uti positivam dispositionem* exigunt; nos nempe perfectiorem præ statu gratiæ dispositionem non postulamus nisi uti *removens prohibens,* ac nullatenus uti positivam perfectionem præmiandam.

*
* *

Porro dispositio removens obicem secundum quid, pro libero accessu ad S. Communionem requirenda ac sufficiens, practice reducitur, uti suprà jam innuimus, *ad actualem devotionem in sacramenti susceptione ac absentiam actualis affectûs ad peccatum veniale.*

Nimirum mentis divagatio delectationem impedit spiritualem, in ipso communionis actu provocandam; actualis autem affectus ad venialia directe contrariatur fervori charitatis, a SS. Eucharistia excitando (2), ac consequenter etiam impedit divinæ refectionis saporem,

---

(1) Cf. Lintelo, op. cit., p. 15-16: « ce serait revenir à la conception erronée de la communion *récompense*, alors que N. S. ne nous l'a jamais proposée que comme une *nourriture* et le Concile de Trente comme un remède ».

(2) Fervor charitatis excitatur in ipsa sacramenti susceptione *directe*, et etiam *mediate*, per gratias actuales, ad quas ordinem dicit gratia eucharistica, quæque eo tendunt ut charitas fervescat.

uti ostendimus apud *Collationes*, IV, p. 223: dulcedo namque spiritualis proxime procedit ex fervore charitatis in ipso actu communionis accendendo, quo fervore actu convertimur in Deum amatum sentimusque Ipsum nobis amantibus intime præsentem, ex qua actuali percepta præsentia, conjunctione et fruitione amati ad amantem consequitur delectatio spiritualis, ad modum quo ex conjunctione cibi materialis ad corpus, ex ejus masticatione ac fruitione sponte sua enascitur dulcedo et delectatio corporalis: quæ proinde dulcedo spiritualis cum ipso fervore charitatis impediatur necesse est.

Requiritur igitur ac sufficit

1°, devotio actualis ac mentis recollectio in accessu ad eucharisticam dapem, vel saltem serius ad hoc conatus (1) ut mens ad divina applicetur ac dissipatio vitetur cœlestem auferens saporem.

Ad hoc sane opus est ut communionem frequentans sese in animi recollectione ac oratione exerceat, non officit tamen quod adhuc imperfectus sit ac parum profecerit in via contemplationis et meditationis: satis est removere prohibens, mentis scilicet divagationem et ad terrena distractionem. Ipsa nimirum S. Communio, per fervorem charitatis excitandum ac per suavissimum gustum spiritualis alimoniæ, devotionem mirum in modum adaugebit ac mentem ad cœlestia desideria magis magisque eriget.

Nota *actualem devotionem* quam requirimus non esse omnino confundendam cum devotione seu affectu *sensibili;* agitur de affectu *voluntatis*, quamquam comitari solet affectus sensibilis.

2°/ *Immunitas ab actuali affectu ad venialia.*

---

(1) Eo ipso quod quis seriò conatur mentem ad divina applicare, licet involuntarie sit distractus jam aberit omnis irreverentia, de qua suprà, nec ratio est ut a communione dissuadeatur, nisi interdum forsan, vel ubi extraordinaria est mentis divagatio, putâ post pollutionem nocturnam, quocirca cf. S. Thomam, III P., qu. LXXX, art. 7°: cæterùm animum seriò applicare nitenti passim non deerit omnis devotio actualis.

Ad quod sedulò nota sufficere absentiam *voluntariæ* adhærentiæ ad id in quo est peccatum veniale *actu perseverantis*, adeoque nullatenus excludi naturalem inclinationem ac spontaneam propensionem ad peccatum veniale, uti alia occasione jam notavimus (1), nec etiam affectum voluntarium *habitu* perseverantem seu olim habitum et nondum efficaciter retractatum.

Quo pacto non videtur dissuadenda communio etiam frequens et quotidiana ex eo quod quis spontaneam inclinationem ad terrena nondum deposuerit (2), vel quod nonnunquam etiam voluntarie peccet venialiter (3), sive affectum efficaciter retractaverit necne: sufficit quod *voluntatem* non habeat illi peccato *actualiter* adhærentem nec officit quod reatus manserit imputabilis seu in ratione peccati habitualis (4).

Et revera solus affectus *actualis* ad venialia impedit fervorem charitatis in communione et dulcedinem spiritualem, quos effectus, quamvis minuere possint, non tamen prohibent dicta naturalis inclinatio nec peccatum veniale habitu permanens (5). Quinimo fervor

---

(1) *Collat.*, VI, p. 449.

(2) Ita S. C. de P. F., die 25 Maii 1892 in hunc sensum moderavit regulas a Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, II, n. 156, propositas, ut pro communione frequenti excessivam declaraverit dispositionem a laudato A. postulatam, conatum nempe serium ad extirpandos pravos affectus *etiam indeliberatos*. Cf. l. c., ed. 9ª, in nota.

(3) *Per accidens* potest peccati venialis frequentia removere a communione frequenti, quatenus nempe indicium constituat affectus perseverantis.

(4) Sic v. gr. desiderium levioris vindictæ sumendæ, si *actu* perseverat, constituit actualem affectum ad peccatum veniale, adeoque actuale peccatum veniale internum; si fuit quidem depositum illud desiderium, sed ita ut non fuerit efficaciter retractatum, manet reatus imputabilis in ratione peccati venialis habitualis.

(5) Cf. S. Thom., P. III, qu. LXXIX, art. 8º, in corpore ubi accurate distinguit inter peccata venialia actualia et præterita seu habitualia: quæ ultima « nullo modo impediunt effectum hujus sacramenti; potest enim contingere quod aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedat ad hoc sacramentum, et plenarie hujus sacramenti consequatur effectum ».

charitatis, qui in S. Communione excitatur, in hoc præcise tendit ut mens ad cælestia erigatur, utque peccata venialia habitualia remittantur: quatenus ferventis charitatis actu movemur in Deum ita ut non tantum detestemur implicite omne a Deo aversivum, sed simul omne quod est in Deum irreferibile (1).

In hunc sensum intelligi possunt dicta S. Augustini: « quotidie peccas, quotidie sume », quam sententiam monet *Catech. Conc. Trid.*, l. c., n. 60, non unius S. Augustini esse, « sed, si quis diligenter attenderit, eumdem omnium patrum, qui de hac re scripserunt, sensum fuisse facile comperiet ». Ita etiam S. Alph., *Praxis confessarii,* n. 154 et n. 153, ubi tribuit S. Ambrosio monitum: « Qui semper pecco, debeo semper habere medecinam ».

Profectò hortandi sunt fideles, tanto privilegio fruentes frequentis ac quotidianæ communionis, ut illius in dies magis magisque dignos sese reddant, eo vel magis quod fructus crescent cum crescente dispositione; atvero, et in hoc iterum insistimus, præter dispositionem descriptam removentem prohibens, non videtur excelsior dispositio requirenda ad hoc ut frequens ac etiam quotidiana communio commendetur; quæ communio debite instituta ad altiorem perfectionis gradum promovebit per continuum augmentum gratiæ sanctificantis ac signanter per fervorem charitatis quotidie excitandum ac gratias actuales uberrime effundendas, in dies etiam crescente communionis desiderio ex suaviori in dies qua redolebit anima delectatione spirituali.

Quibus omnibus attentis erues cum grano salis esse accipienda illa, quæ, juxta S. Alphonsum, in opere cui titulus *La Vraie Epouse de J.-C., ou La Religieuse Sanctifiée* (2), postulantur ad communionem quotidia-

(1) Cf. Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, p. 117-118; *Collat.*, VIII, p. 478-479.

(2) Traduction par le Père Pladys, Paris, Delhomme, 1891, tom. II, p. 214.

nam. Pag. namque 214 scribit: Lorsque l'âme « aura atteint un degré notable de perfection, *consacrant chaque jour plusieurs heures à l'oraison*, et, comme l'exige Saint François de Sales, ayant surmonté la plus grande partie de ses mauvaises inclinations, on pourra, d'après l'avis du même Saint, lui permettre la communion quotidienne ».

Quæ severitas ex eo forsan explicatur quod, pro monialibus scribens, attenta perfectione status, perfectiores ab illis exegerit dispositiones quam a laicis. Cæterum in sæpe citato opere, *Praxis Confessarii*, faciliorem sese exhibet, signanter n. 155, quo loco ad quotidianam communionem compellat omnes animas quæ odio habentes culpas leviores expetunt communicare cum vero desiderio se emendandi et in divino amore proficiendi.

*
* *

2ª **Pars** docet communionem, supposito statu gratiæ prudenter reputato, posse consuli ac commendari, etiam frequentem imo et quotidianam, absque perfectiori dispositione et non obstante præsentia obicis secundum quid, *quotiescumque, ratione peculiaris indigentiæ, urget communio frequentius suscipienda.*

Rationem jam innuimus, irreverentiam nempe, quæ inhæret accessui in sensu composito cum obice secundum quid, abstergi propter necessitatem occurrentem: sacramenta enim sunt propter homines, ac Deus cedit juri suo in reverentiam coram necessitate spirituali fidelium (1).

Quæ peculiaris necessitas præsertim obtinebit penes juvenem, prava consuetudine peccatis luxuriæ addi-

---

(1) In hac doctrina, uti ex dictis liquet, non permittitur committi malum ut eveniat bonum, quod videtur contendere R. P. Couet, *Annales des Prêtres Adorateurs*, l. c., p. 19, ubi exclamat: « Car enfin vous n'allez pas, je suppose, pour procurer le bien de votre pénitent, lui conseiller de faire des péchés véniels? »

ctum, non rarò quidem in eadem peccata relabentem, sed generose exsurgere conantem ac, gratia movente, castitatis amore æstuantem. Indiget nempe hujusmodi anima ad tempus extraordinario robore ac adjutorio ut catenam, cui quasi alligatur, fortiter disrumpat: quod robur nullibi efficacius reperiet quam in SS. Sacramento, cujus eximia virtus in angelicæ puritatis adeptionem satis extolli nequeat (1).

Cæterum ipsa intima de animæ egestate persuasio efficaciter movebit communicantem ad devotiorem sacramenti susceptionem, ac tædio minor erit locus tum quia provisorie et ad tempus conceditur illa frequentia, tum quia, ex intimo sensu inopiæ sublevandæ, avidius quæret cœlestem qua sustentetur alimoniam.

Ita R. P. Coubé, op. cit., p. 168: « Il est une autre catégorie de chrétiens à qui il faut conseiller la communion quotidienne, du moins pour un temps. Ils se trouvent à l'autre extrémité de la vie spirituelle: ce sont les pauvres pécheurs assaillis de violentes tentations et adonnés jusque là à des habitudes tyranniques, mais qui veulent sortir de leur esclavage et renoncer pour toujours au péché ». Cf. etiam S. Alph., *Praxis confessarii,* n. 149.

Nota. 1°/ Dictum est in propositione: *objective ac*

---

(1) Egregie de hisce disserit Leo XIII, in Encyclica *de Sanctissima Eucharistia*, (*Collat. Brug.*, VII, p. 377 et seq.): « Teterrimi hujus mali (voluptatis) præclarum in divina Eucharistia præstò est remedium. Nam, omnium primum, augendo charitatem, libidinem coërcet; ait enim Augustinus: nutrimentum ejus (caritatis) est imminutio cupiditatis; perfectio nulla cupiditas. Præterea castissima Jesu caro carnis nostræ insolentiam comprimit, ut Cyrillus monuit Alexandrinus: Christus enim existens in nobis sopit sævientem in nostris membris carnis legem. Quin etiam fructus Eucharistiæ singularis et jucundissimus est quem significavit propheticum illud: Quid bonum ejus (Christi) est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines? » Cf etiam *Collat.*, IV, p. 222; BELLAMY, *Les effets de la communion*, Parisiis, 1900, pp. 99-103; TERRIEN, *La grâce et la gloire*, II, p. 113 et 118-119; LINTELO, op. cit., p. 35-46, ubi ex professo agit de « *La Jeunesse et la communion fréquente* ».

generatim loquendo, quia regula proposita, et hoc valet etiam pro propositione sequenti, non est usurpanda uti lex taxativa et absoluta, sed ut norma approximativa, juxta quam confessarius, cui soli, uti infrà dicetur, pertinet in hac re directio animarum, possit, pro prudentia sua ac tactu theologico, judicium suum ac directionem dandam moderari, ratione habita variorum, in quo versantur pœnitentes, adjunctorum. Sub qua restrictione etiam S. C. de P. F. probavit regulas a Lehmkuhl traditas, l. c.

2°/ Facilius, uti sponte patet, potest concedi ac consuli communio frequens quam quotidiana, ac minor necessitas ad illam urgebit quam ad hanc; cæterum opportunum erit passim gradatim ducere pœnitentem a frequenti accessu ad quotidianum.

A. De Smet.

(Sequetur).

E Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium

De extraordinariis confessariis monialium.

Beatissime Pater,

P. D. Maurus Serafini, Abbas Generalis Congregationis Cassinensis a primæva Observantia O. S. B., ad pedes Sanctitatis Tuæ provolutus, humiliter proponit dubium prout sequitur circa Decretum quod incipit « *Quemadmodum* » datum die 17 decembris 1890 de Confessariis Monialium.

Licet die 17 augusti 1891 Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium responderit ad 2 : « Superiorem teneri subditi precibus semper indulgere quamvis plane videat necessitatem esse fictam, et vel scrupulis vel alio mentis defectu ut veram ab ipso petente apprehensam »; insuper ad 3 : « Religiosam petentem eligere posse inter diversos ab Ordinario deputatos, qui sibi munus Confessarii impleat »; nihilominus nonnullæ Sanctimonialium vel sororum Religiosarum Superiores adhuc contendunt sibi licere, decisis non obstantibus, Sorori petenti Confessarium, quem præ cæteris mavult, denegare ex motivis, uti aiunt, extrinsecis.

Quæritur utrum, saltem ob motiva hujus generis, Superiorissa licite possit Confessarium ex deputatis a Sorore electum ipsi denegare? Et Deus etc.

Et S. Congregatio Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, omnibus sedulo perpensis, die 5 Augusti 1904 respondit : « *Negative;* sed si adsint rationes vere graves, Superiorissa eas subjiciat Ordinario, cujus judicio standum ».

D. Card. Ferrata, *Præf.*
P. Giustini, *Secret.*

Annotationes. — Quæ Benedictus XIV in C. *Pastoralis curæ* enixe commendabat ad providendum libertati monialium peculiarem confessarium sibi petentium, s. m. Leo XIII, in decreto S. Cong. Episc. et Reg.

Quemadmodum diei 17 Decembris 1890 ad IV, stricta lege, sequentibus verbis sancivit: « Sanctitas Sua Præsules Superioresque admonet ne extraordinarium denegent subditis confessarium, quoties ut propriæ conscientiæ consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationes inquirant aut ægre id ferre demonstrent » (1).

Hoc decretum, ceteroquin nullam feminarum communitatem excipiens, institutis votorum simplicium applicandum esse concluditur, tum e Constitutione *Conditæ* (C. 2, VIII), tum e *Normis* secundum quas S. C. Episc. et Reg. procedere solet in approbandis institutis votorum simplicium (a. 139 ss.) (2).

Plura jam in lucem edita sunt responsa et rescripta romana, ex quibus sensus præfatæ ordinationis, pressius determinari valet et quæ optimo modo cum hodierna S. A. declaratione concordare videntur. Ex illis documentis sequentia quoad rem nostram juremerito eruuntur.

1° *Ordinariis locorum* committitur cura, exemplaria decreti *Quemadmodum* cum singulis Superioribus et Superiorissis monasteriorum piarumque domorum respectivarum diœcesum communicandi, illiusque ordinationis plenam exequutionem sedulo diligenterque vigilandi et procurandi, etiam vi specialis Apostolicæ Sedis delegationis (3).

Consequenter ipsis jus conceditur tum redarguendi et aliquo modo impediendi moniales quæ rationibus

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, 7ª edit., T. I, nº 633, p. 547; cf. integrum hujus decreti textum ap. *Nouv. rev. théol.* 1891, T. XXIII, p. 131; Vermeersch, *De religiosis institutis et personis*. Tomus alter, supplementa et documenta, p. 617, Brugis, Beyaert, 1902.

(2) Vermeersch, o. c., p. 150 s.; Bastien, *Directoire canonique à l'usage des congrégations à vœux simples*, p. 223, Abbaye de Maredsous, 1904.

(3) Litteræ a S. C. Episc. et Reg. Metropolitanis missæ, die 20 Januarii 1891 ap. *Nouv. rev. théol.*, 1891, T. XXIII, p. 279 s.; cf. alterum rescriptum ejusdem congregationis 15 Aprilis ejusdem anni, *ibid.*, p. 282.

haud probandis et futilibus hoc sibi concesso favore abuterentur, tum eas monendi dispositionem art. IV decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere, pro casibus dumtaxat veræ et absolutæ necessitatis, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et a memorata constitutione benedictina præscriptum habetur (1).

2° Superior i. e. qui domui præest, vir vel femina, sine examine causæ petitionis, subditi precibus semper indulgere tenetur et tantum ipsi licet, modo generali subditum monere ne peculiarem petat confessarium nisi ob necessitatem suæ conscientiæ, h. e. ob animæ quietem vel ulteriorem progressum spiritualem (2).

Quibus non obstantibus, auctores probatissimi adhuc jus et officium vindicabant Superioribus dictam petitionem abnuendi, si certo constaret de causa non justa et pertinente *ad forum externum,* ut esset amicitia particularis, defectus scientiæ ex parte confessarii, timor ne discordiam promoveat confessarius in communitate, reddat pœnitentem indocilem etc. (3).

Hanc opinionem in praxim deduci jam non posse, hodie decernit S. Congregatio. Etenim ad petitum, utrum saltem ob motiva extrinseca, Superiorissa licite posset confessarium ex deputatis a sorore electum ipsi denegare, respondit *negative* sed si adsint rationes vere graves Superiorissa eas subjiciat *Ordinario,* cujus judicio standum sit. Apposite R. P. Vermeersch: « Quo suo decreto simul tacite permittit S. C. ut Superior mandando confessario tum supersedeat, donec Ordina-

---

(1) Resp. S. C. Episc. et Reg. 1 Febr. 1892, ad I, III, IV, ap. *Nouv. rev. théol.*, 1892, T. XXIV, p. 366 s.; *Acta S. Sedis,* 1897-1898, T. XXX, p. 121.

(2) Resp. ejusd. congr. 17 Aug. 1891, ad II, *Nouv. rev. théol.*, 1892, T. XXIV, p. 260 ss.

(3) Piat, *Prælectiones juris regularis,* 2ª ed., T. II, p. 217 s., 2 vol., Tornaci, 1898; Vermeersch, *De religiosis institutis et personis,* tomus prior, p. 286, Brugis, 1902; *Nouv. rev. théol.,* T. XXIII, p. 143, T. XXIV, p. 265, 386.

rius statuerit. Patet autem Ordinarium esse incunctanter de re monendum » (1).

Documentum hodiernum ergo optime cohæret cum anterioribus Sacræ Congregationis Episc. et Reg. decisionibus, quæ Ordinariis locorum decretum *Quemadmodum* exsequendum mandaverant, eisque una simul indicaverant quanam viâ incedere deberent ut dicto favore ad modum exceptionis concesso, intra debitas limites et ad tramites juris utantur moniales.

A. De Meester.

E Sacra Congreg. super negotiis eccl. extr.

Ex audientia SSmi die 5 Julii 1904. SS. D. N. Pius Pp. X concessit indulgentiam *tercentum dierum,* etiam *pluries in die* lucrandam, omnibus devote recitantibus infra positam orationem *initio Missæ cui adstiterint ;* insuper indulgentiam *plenariam* lucrandam *semel in mense* « iis qui sacramentaliter confessi et Sacra Communione refecti eamdem orationem in omnibus et singulis diebus festis initio Missæ de præcepto recitaverint ». Quæ indulgentiæ defunctis applicari possunt.

S. C. Indulg. die 8 Julii 1904 (2).

OPDRACHT

te doen in het begin der H. Misse (3).

Eeuwige Vader, ik vereenig mij met de inzichten en gevoelens, die Maria, de allerheiligste Moeder van smerten, op Calvarieberg gehad

(1) *De religiosis institutis et personis,* supplementa et monumenta *periodica* ed. A. Vermeersch, S. J., 1a Ser., n. 3, p. 87.

(2) *Anal. eccl.*, 1904, p. 456.

(3) Versio ex italico. — Gallice : Père éternel, je m'unis aux intentions et aux sentiments, qu'eut, sur le Calvaire, Marie, la très sainte Mère des douleurs, et je vous offre le sacrifice, que fit de lui-même sur la croix,

heeft, en ik draag u de offerande op, door uwen welbeminden Zoon Jesus van zijn zelven op het kruis gedaan, en thans op dezen heiligen autaar vernieuwd: 1° Om u te aanbidden en u de eerbewijzing te geven die men u schuldig is, uwe opperheerschappij erkennende over alle dingen en hunne volkomene afhankelijkheid van u, ons eenigste en laatste einde. 2° Om u dank te betuigen voor de ontelbare ontvangene weldaden. 3° Om uwe rechtveerdigheid te verzoenen, door zoo menigvuldige zonden vergramd, en haar daarover eene weerdige voldoening aan te bieden. 4° Om genade en bermhertigheid af te smeeken voor mij, voor...., voor allen die in druk of kwelling verkeeren, voor de arme zondaars, voor de gansche wereld en voor de heilige zielen van 't vagevuur.

E Secretaria Brevium

Per breve d. d. 19 Decembris 1904, eadem die communicatum S. C. Indulg., Pius Pp. X concedit indulgentiam *ducentorum dierum* « omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu ubique terrarum existentibus *quoties*.... quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, contrito saltem corde recitaverint hanc jaculatoriam precem: *Adorons, remercions, supplions et consolons avec Marie Immaculée le très sacré et très aimé Cœur Eucharistique de Jésus* » (1).

Iis vero, qui per solidum annum quotidie, semel saltem, illam precem recitaverint, concedit indulgentiam *plenariam* lucrandam in festo Imm. Conceptionis B. M. V., dummodo « vere pœnitentes ac confessi ac S. Communione refecti quodvis templum publicum sive sacellum visitent, *ibique* » pias preces effundant ad intentiones consuetas. — Et indicatæ indulgentiæ defunctis applicari possunt (2).

---

et que renouvelle maintenant sur ce saint autel votre Fils bien-aimé Jésus: 1° Pour vous adorer et vous rendre l'honneur qui vous est dû, reconnaissant votre domaine souverain sur toutes choses et leur dépendance absolue de vous, notre unique et dernière fin. 2° Pour vous rendre grâces des innombrables bienfaits reçus. 3° Pour apaiser votre justice, irritée par tant de péchés, et lui en offrir une satisfaction digne. 4° Pour implorer grâce et miséricorde pour moi, pour...., pour ceux qui sont affligés et en tribulation, pour les pauvres pécheurs, pour l'univers entier et pour les saintes âmes du purgatoire.

(1) Laat ons met Maria Onbevlekt het allerheiligst en zeer bemind Hert van Jesus in het Sakrament des Autaars aanbidden, bedanken, aanroepen en troosten.

(2) Vide breve integrum apud *Anal. eccles.*, 1905, p. 13.

Consultationes.

I

Q. Qualis debet esse color stolæ induendæ a sacerdote vel diacono præbente sacras reliquias venerandas a/ immediate post missam, b/ alio tempore?

R. 1. Pro reliquia S. Crucis aut Passionis Dominicæ color debet esse rubeus, utpote conveniens mysteriis Passionis Domini (1); pro reliquiis Sanctorum debet esse albus vel rubeus prout Sancti quorum reliquiæ præbentur venerandæ exposcunt (2).

2. Si autem reliquiæ osculandæ præbentur immediate post missam a celebrante vel assistente diacono, servari possunt sacra indumenta missæ (3), nisi celebrata fuisset missa de *Requiem*. Censent communiter auctores manipulum esse deponendum.

II

Quæritur. Quomodo concludendum est Matutinum cum in recitatione privata separatur a Laudibus?

Respondetur. Hymno *Te Deum* vel ultimo Matutini responsorio statim subjungantur ℣ *Dominus vobiscum* et Oratio propria officii, cui adnectantur versus *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino* et *Fidelium animæ*... **absque** *Pater noster*.

Decretum enim S. R. C. 1 februarii 1886, quo præscribebatur ut in fine adderetur *Pater noster*, ita immutatum est in ultima authentica collectione (n. 3653), ut jam non debeat recitari *Pater noster*, quo concludendæ sunt aliæ horæ officii in fine recitationis. Ratio vide-

---

(1) Cf. Dec. S. R. C. 2 sept. 1871, *Fabrianen.*, n. 3256.
(2) Rit. Rom. tit. IX, cap. XIV.
(3) Dec. S. R. C. 16 mart. 1833, *Veronen.*, n. 2704[5].

tur esse quia Matutinum unam constituit horam cum Laudibus.

III

Quæritur. Quando absolutio ad tumulum facienda est post missam non de *Requiem* sed *de die* aut *de festo:*

1° *debetne* idem sacerdos qui missam celebravit, absolutionem peragere?

2° *possuntne* celebrans, diaconus et subdiaconus, depositis super altare casula, dalmatica, tunicella, stolis et manipulis coloris v. g. albi vel rubri, assumere super albam pluviale, stolam, dalmaticam et tunicellam nigri coloris?

Respond. Ad utrumque negative. Ratio autem hujus responsi et modus quo procedi debet exponuntur apud *Collat. Brug.*, t. IX, p. 606 et seqq.

C. Callewaert.

Libri dijudicantur.

L. Habrich. **Pedagogische Zielkunde.** — *Naar de tweede uitgave uit het Duitsch vertaald door G. Siméons, kantonalen schoolopziener te Meenen.* **Eerste deel : het kenvermogen.** Brussel, bij Willems-Van den Borre, 1904. Pr. 3,75 fr.

Quemadmodum titulus libri innuit, A. opus suum in duas divisit partes quarum prima *cognoscendi*, altera vero *appetendi* potentiam describit : logicæ regulis est omnino conformis hæc divisio et ideo tenenda loco alterius divisionis quam plerique nostrates, qui de pædagogia scripserunt, admiserunt, sequentes Programma Gubernii Belgici, et qua hominis facultates ad tria capita reducunt, nempe *intellectum, sensibilitatem, voluntatem :* quæ divisio inepta est prorsus (1).

Necessariam esse psychologiæ cognitionem ut quis pædagogiæ scientiam acquirat, necnon et artem pueros docendi ac educandi rite valeat exercere, ostendit A. in præfatione prædicti libri (2) ; proinde institutori præbet librum manualem qui elementa psychologiæ exhibet et ea fusius pertractat, e quibus practicæ deducuntur conclusiones circa rationem docendi ac educandi. In his scientiis valde peritum esse Auctorem patebit cuicumque legenti opus quod dijudicamus.

Quædam tamen animadvertenda censemus. Imprimis dolendum est descriptioni organorum sensuum externorum nullas adjungi *figuras*, quarum defectu impossibile est ut de illis organis clarum acquiratur phantasma. Præterea quædam occurrunt minus accurate proposita. Quid v. gr. designet A. nomine *bewustzijn* (p. 61) cujus

(1) Cf. Mercier, *Psychologie*, Louvain, 1899, n. 127, p. 274.

(2) De hac re doctissime scripsit cf. De Jaegher, *Canisiusblad*, 3de jaar, bl. 40, 72, 132.

exercitium *prærequiritur* ad ipsam operationem qua aliquid sensibiliter *percipitur?* Certe hoc non potest esse *sensus communis* vel *intimus* de quo sermo est p. 67, n. 3 (1).

Nec clara nec utilis videtur expositio circa id quod vocatur *apperceptie* (2): naturæ utique nostræ insitum est ut a cognitis transeamus ad incognita: hoc autem non est specialis operatio alicujus sensus, sed effectus plurium actionum tum sensuum, tum intellectus, tum voluntatis: apperceptio igitur non est ponenda inter operationes phantasiæ, nec ut specialis operatio consideranda.

Illa *abstractio* vel *selectio* de qua sermo fit p. 183 non attribuenda est ipsi phantasiæ tamquam ejus operatio: phantasia enim si sibi ipsi relinquitur in operando subjicitur legibus associationis phantasmatum (3); illa autem selectio attribuenda est voluntati, qua quis vult de tali objecto cogitare, rejectis aliis; imo sæpe accidit ut *contra* voluntatis imperium multa exsurgant phantasmata quia connectuntur cum illis quæ homo hic et nunc excitare vult.

A. distinguit inter *intellectum* et *rationem* (p. 207, p. 241) non taliter quidem ac si essent duæ facultates realiter distinctæ, sed quatenus pro variis *objectis* cognoscendis eadem immaterialis facultas tum intellectus, tum rationis nomen sibi vindicat » (4), et quatenus

---

(1) De sensu intimo non recte dicitur, « Ongetwijfeld omvat hij niet alleen de kennis der lichaamsgewaarwordingen, maar hij strekt zich ook uit op het *geestelijk* leven » (p. 68) : objectum sensus intimi nequit esse nisi materiale et sensibile.

(2) « Deze opvatting van het nieuwe met behulp van voorhanden verwante voorstellingen noemt men *apperceptie* of toeeigenende opvatting » p. 134.

(3) Qua de re egregie omnino agit A. pp. 109-124.

(4) « De aanleg der denkkracht, uit het zinnelijke en aardsche tot het bovenzinnelijke en bovennatuurlijke te besluiten, en alzoo den Schepper te kennen, schrijven wij toe aan de *rede*. In den aard hunner werkzaamheid, is er dus geen onderscheid tusschen verstand en rede; want de rede kent insgelijks door begrippen, oordeelen en besluiten; het onderscheid ligt enkel in het voorwerp der beide vermogens », p. 243.

conceptus tribuendi sunt intellectui, *ideæ* vero rationi. Quo jure A. hanc introducat distinctionem non apparet. Aliter omnino inter rationem et intellectum distinguebat S. Thomas: « Intellectus et ratio differunt quantum ad *modum* cognoscendi, quia scilicet intellectus cognoscit *simplici* intuitu, ratio vero *discurrendo* de uno in aliud » (1). « Etsi intellectus et ratio non sint diversæ potentiæ, tamen denominantur ex diversis *actibus*. Intellectus enim nomen sumitur ab intima penetratione veritatis; nomen autem rationis ab inquisitione et discursu » (2). Quotiescumque igitur homo ex una veritate infert aliam, hæc operatio est *rationis* (3); quando vero intuetur aliquam veritatem, v. gr. prima principia, hæc operatio est *intellectûs:* diversitas igitur non provenit ex *objectis*, ac si ratio cognosceret immaterialia, intellectus vero materialia, sed ex *modo cognoscendi.*

Licet quædam inveniantur minus recta in libro, de quo agitur, illum tamen legendum ac perscrutandum institutoribus indubitanter asserimus: multa enim in eo invenient addiscenda tum de animæ operationibus, tum de ejus natura, tum etiam de arte nobilissima dirigendi animas ad verum cognoscendum et bonum agendum.

J. Van der Meersch.

*
* *

Quæstiones de Justitia ad usum hodiernum scholastice disputatæ ab A. Vermeersch e S. J. (Opus auctum litteris Leonis Pp. XIII et Illustrissimi Episcopi Brugensis ad scriptorem). Editio altera, auctior et accuratior. Brugis, Beyaert 1904, in 8° pp. XXXVI et 758. Pret. 6 fr. 50.

Priorem egregii hujus operis editionem laudavimus

(1) I, Q. LIX, a. 1, ad 1.
(2) II-IIæ. Q. XLIX, a. 5, ad 3.
(3) Tunc etiam dicitur homo *ratiocinari.*

apud *Collat. Brug.*, T. VI, p. 223 s. Hæc altera editio revera prodit emendatior, necnon pluribus explicationibus et argumentis locupletata, præsertim in Quæst. IX *(De Mutuo et Usuris)*. Imo duæ additæ sunt quæstiones, difficiles simul et hodie multum disputatæ, sc. Quæst. XIII: *De feminarum jure et loco in civitate*, p. 656 ss. et Quæst. XIV: *De persona morali quæ est civitas,* p. 674 ss.

Ad « *feminismum* » quod attinet, hæ sunt conclusiones Auctoris quæ, uti confidimus, omnibus theologis ac plerisque scientiæ œconomicæ peritis haud displicebunt: I quamvis excepta societate domestica, nulla absoluta seu perpetua ratione excludatur virorum et feminarum generalis æqualitas, II confusio tamen generum vitæ aut accessus feminarum ad rem publicam (functiones et jura politica), nec per se optandæ sunt res, nec lege quadam progressus sperandæ, nec ipsis feminis ad bene beateque vivendum profuturæ. III Est nihilominus prudenti feminismo locus maxime in ordine operariorum et regimine domestico, non autem in artibus quæ magnam postulant intellectus præparationem.

Non omnibus placebit quod asserit Auctor p. 670: « Suffragium municipale mulieribus utilius concedi posse videtur ». Hoc effatum quidam nimis universale habebunt, nec ipsos plene convincet addita ratio: « municipali enim administratione res definiuntur magis privatæ; et in pluribus rebus, v. g. in disciplina puerorum, quæ a municipiis ordinari consueverunt, magnam, auctore ipsa natura, potestatem habent ipsæ mulieres ». Objiciet enim forte quis administrationem municipalem, in magnis civitatibus saltem, ipsius reipublicæ regimini haud ægre æquiparari posse, ipsamque rempublicam res ordinare in quibus potestatem habent mulieres, v. g. ipsam puerorum disciplinam. Nonne his in rebus jura quædam mulieribus concedi possent quin ipsum concedatur jus suffragii?

Quidquid sit, merito animadvertit Auctor universam de feminismo quæstionem ex Sacra Scriptura definiri

non posse, uti theologus quidam (1) arbitratus est, riteque observat: « hodie præsertim, temerario isto Scripturæ sacræ usu est abstinendum quo, ex sententiis in alium prorsus finem prolatis, præsidium quæritur ad privatas confirmandas persuasiones. Hanc, potius quam scientiam, dixerim esse imprudentiam theologicam » (p. 672).

Ad quæst. XIV quod spectat « *De persona morali quæ est civitas* », magni omnino momenti est caput I: De persona morali in universum. Auctor, repudiata distinctione personas morales reales seu veras inter et fictas (2), opinatur personam moralem non esse nisi mentis figmentum. Concludit autem: « Quamvis recepto usui et commoditati sermonis concedi possit distinctio personæ physicæ et moralis; re vera tamen, præter personas physicas, nullum est in aliqua hominum societate, subjectum jurium; sed omnia cujusvis cœtus bona et jura sunt sociorum, non tamen separatim sed communiter possidenda » (p. 680). Quæ sententia in persona eruditissimi Auctoris egregium nacta est defensorem. Nostro autem judicio, argumenta allata non cogunt statutam distinctionem inter personas physicas et morales, necnon morales reales inter et fictitias derelinquere.

In specie non perspicimus quomodo dominium in societate quâ homines uniuntur ut tales, uti in societate ecclesiastica et civili, explicari possit per dominium collectivum. Revera natura ac finis hujusmodi societatum fundamentum reale constituere videntur, quo hæc entia socialia ratione distinguantur (3) a personis phy-

---

(1) R. P. Godts, *Le Féminisme*, Roulers-Bruxelles, 1903.

(2) Cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Étude de théologie morale sur l'obligation en conscience des lois civiles*, Tournai, 1884; p. 157-206; et *Tract. de Justitia*, Brugis, 1885-86. T. I, n. 160 ss.

(3) Hujusmodi distinctio rationis cum fundamento in re non valet quidem fundare distinctionem personarum physicarum, sed sufficit ad personas physicas alicujus societatis collective sumptas distinguendas ab ente accidentali ordinis intentionalis, quod est subjectum juris et dominii. Hanc distinctionem negligere videtur A. p. 686.

sicis separatim vel collective sumptis. Neque videmus quomodo societas libere constituta ab hominibus qua individuis, cum societate necessaria et perenni penitus æquiparari possit. Cæteroquin rem sapientiorum judicio definiendam relinquimus.

Opus hoc, indefesso labore et acutissimo ingenio elaboratum, clara methodo (1) conscriptum, medullam scientiæ theologicæ circa quæstiones sociales hodiernas perhibens, omnibus sacerdotibus enixe commendamus.

A. CAMERLYNCK.

***

Prælectiones canonicæ ARTHURI VERMEERSCH, e Soc. Jesu. **De religiosis institutis et personis** *tractatus canonico-moralis ad recentissimas leges exactus*. Tomus alter. *Supplementa et monumenta*. Editio tertia, auctior et accuratior. Brugis, Beyaert, 1904. In-8°, XLII — 836 pp. — Pret. 16 fr.

Harum *Prælectionum* tomum primum in hoc periodico T. VIII, p. 225 sqq. indicavimus et condigna laude celebravimus, et simul tomi alterius rationem breviter adumbravimus. Hujus porro voluminis, prelum vix egressi, exemplaria brevissimo spatio temporis omnia distracta sunt; nunc autem jam prodiit tertia editio: quæ fortuna prospera, præsertim si attendatur argumentum istius libri, hunc satis commendat, ita quod jam sufficiet paucis illum describere.

Pars prior exhibet *Supplementa* duodecim, in quibus explicatius disseritur de præcipuis quibusdam quæstionibus, jam expositis, sed brevius, pro scopo, in primo tomo: notari præprimis merentur supplem. II. *De sollemnitate votorum;* III. *De vocatione religiosa*, cui additur parergon *De vocatione sacerdotali* (hoc supplem. III seorsim fuit editum); V. *De obligatione sectandi perfectionem* et

(1) Attamen hinc inde post demonstratam thesim supplementa doctrinæ occurrunt quæ in ipso quæstionis corpore opportunius exponenda censeres.

VI. *De paupertate et bonis religiosorum.* Cum in scribendo priore tomo nondum suppeteret auctori insigne monumentum in disciplina nova juris regularis, cui titulus *Normæ* (S. C. Ep. et Reg. 28 Junii 1901) (1), in supplemento X conscripsit *Commentarium de institutis votorum simplicium ex postremis monumentis pontificiis* (in 1ª ed., suppl. XI), cui subjunxit quæstionem satis conjunctam *De monialibus antiquiorum ordinum quæ simplicem tantum faciunt professionem* (in Gallia et Belgio). Ex priori editione dempta est disputatio minus utilis (ibi erat supplem. V) *De Ordinatione Noviciorum*, posita verò fuit alia *De recens dispersis religiosis* (Supplem. XII) et accessit brevis declaratio decreti *Perpensis* (S. C. Ep. et Reg. 3 Maii 1902), quo disciplina simplicis professionis apud Moniales introducta est (Supplem. XI, cap. I).

Pars altera continet *Monumenta* seu documenta juris regularis in unum collecta. Quæ pars pluribus nunc numeris aucta est. Usui practico maxime inserviunt appositi indices chronologicus, onomasticus et alphabeticus monumentorum et rerum.

Illis notatim qui utuntur his *Prælectionibus* de jure regulari sapienter providit cl. Auctor, edendo *Supplementa et monumenta periodica*, per trimestres partes distributa (Pret. 3 fr. in Belgio).

H. Mahieu.

*
* *

Chanoine Ad. Duclos. **Introduction à l'exécution du chant grégorien d'après les principes des Bénédictins de Solesmes.** Rome-Tournai, Desclée-Lefebvre & Cie, 1904, in-8°, 78 p., F. 1.25.

Du même. **Sa Sainteté Pie X et la musique religieuse.** Commentaire sur les *Motu proprio* et les pièces connexes. Même maison d'édition, 1905, in-8°, 142 p., F. 2.00.

A peine S.S. Pie X avait-elle promulgué le Code

(1) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, Compendium (ed. 7ª), T. I, p. 501; *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 362.

juridique de la musique sacrée, que Monsieur le chanoine Duclos, dont tout le monde sait et apprécie l'activité et l'esprit d'initiative, se mit à travailler à l'application des Instructions pontificales.

Pour le succès de la cause, il fallait avant tout éclairer les esprits. Le Souverain Pontife ayant heureusement rétabli le plain-chant à sa place d'honneur dans la liturgie romaine, M. Duclos édita une introduction à l'exécution de ces mélodies vénérables; le Souverain Pontife ayant codifié les principes et les préceptes, qui gouvernent et règlent la musique sacrée dans les fonctions du culte, M. Duclos édita un commentaire sur les *Motu proprio* et les pièces connexes.

I. L'objet de la première publication, est de mettre le lecteur au courant de la saine interprétation du chant grégorien, tel qu'il a été scientifiquement rétabli dans les éditions bénédictines, et conformément aux principes de l'École de Solesmes.

Outre une préface, à laquelle l'auteur a eu l'heureuse idée d'ajouter une bibliographie fondamentale du sujet (1), l'ouvrage comprend 7 chapitres. Le premier énumère en quelques pages éminemment pratiques, les idées fausses et les défauts à éliminer dans l'exécution du plain-chant. Suivent quelques indications préliminaires et très sommaires, groupées sans beaucoup d'ordre, sur les modes, la portée, les clefs, les altérations, les pauses, la mora vocis et l'ordonnance du mouvement dans les chants d'ensemble. Les règles établies pour arriver à cet équilibre des mélodies à chœurs alternés seront efficaces, si le dirigeant prend la précaution de les déterminer, je dirais, plus mathématiquement. Les chapitres III et IV traitent longuement de la psalmodie et des cantiques. M. Duclos a méthodiquement formulé et pratiquement appliqué à

(1) Cette bibliographie tout en restant fondamentale, aurait pu être plus complète et plus critique.

de nombreux exemples, les principes établis en la matière par le savant Dom Mocquereau dans son *petit traité de psalmodie* (1). M'est avis toutefois, que les moyens préconisés par l'auteur, ne sont pas assez déterminés pour arriver à la précision de l'attaque, à la fusion des voix, à l'uniformité du mouvement, à la simultanéité de la déclamation, des pauses et des cadences. La description des neumes, qui est traitée séparément de leur interprétation, forme l'objet de la 5e partie suivie d'un chapitre original et intéressant, à allure plutôt scientifique, sur le rythme des mélodies grégoriennes. Les conclusions de l'auteur, acceptables dans leurs formules par tous les partisans du rythme libre, sont discutables dans leur application et explication. Ainsi la traduction en notation moderne du Kyrie *Orbis factor* est difficilement admissible et brise l'unité des neumes. Certains points précédents, et surtout le paragraphe 3, où il est question des neumes et des signes rythmiques, est en relation de dépendance avec la théorie de Dom Mocquereau sur le rythme et ses divisions, théorie que l'auteur suppose fondée en esthétique et en archéologie (2), mais qui rencontre dans tous les pays, de nombreux adversaires. Au reste les signes rythmiques qu'on trouve dans les dernières

(1) Dom Mocquereau enseigne, si je ne me trompe, l'équivalence en durée, de la cadence dactylique substituée à la cadence spondaïque, ouv. cité p. 29 s.

(2) Cette théorie et son interprétation est surtout fondée sur les lettres et signes romaniens qu'on trouve dans les manuscrits de St. Gall. M. P. Wagner dans sa dernière et magistrale publication *Neumenkunde*, Palæographie des gregorianischen Gesanges (Freiburg-i-Schweiz, O. Gschwend, 1905), qui forme le tome II de son *Einleitung*, prouve que les manuscrits de St. Gall ne sont que *partiellement* des témoins très fidèles de la tradition *romaine;* que les signes romaniens ne sont point romains; mais qu'ils indiquent probablement une interprétation mensuraliste, (p. 230 ss.); à la p. 259, note 1, il fait remarquer que les nouveautés rythmiques (points, épisèmes, nouveaux groupements des notes etc.) qu'on trouve dans les dernières éditions bénédictines ne sont qu'une mise en œuvre hâtive d'une conception des signes romaniens, qui ne repose pas sur les sources.

éditions bénédictines ne seront point reproduits par la Vaticane. A l'occasion, M. D. sait se détacher des principes de l'école de Solesmes; ainsi en traitant au chapitre VIII de l'hymnodie, il se déclare partisan, pour tous les hymnes, de la métrique basée sur le retour périodique de l'accent et non sur la quantité.

L'auteur n'a point voulu écrire une méthode complète de chant grégorien; la lecture du titre et un simple coup d'œil jeté sur la table des matières en convainc aisément le lecteur. On peut regretter cependant, même au point de vue spécial où l'auteur s'est placé, l'omission de certains points également pratiques pour les prêtres et pour les chantres; comme l'interprétation de certains récitatifs, oraisons, leçons, épitres, évangiles, préfaces etc.; quelques modèles d'analyse de mélodies; quelques notions plus développées de prononciation et de déclamation; quelques réflexions sur l'importance du texte qui, surtout dans les mélodies syllabiques, régit tout: l'agencement, les variations des motifs dans leurs éléments dynamique, mélodique et rythmique. Dommage aussi que l'abondance des termes techniques fasse en sorte que pour des lecteurs peu initiés, cette introduction aux mélodies grégoriennes paraîtra difficile.

Nonobstant ces critiques de détail, qui n'entament en rien la valeur de l'œuvre, nous sommes persuadé que tous les amateurs de plain-chant et spécialement ceux dont l'auteur a en vue l'éducation musicale, y trouveront ample matière à réflexion et à amendement. Et ce sera tout profit pour la splendeur des cérémonies religieuses.

II. Le second ouvrage de M. Duclos est plus intéressant et plus important que le premier. En effet, il constitue un véritable traité *de Cantu et Musica sacra,* au triple point de vue canonique, esthétique et liturgique.

Il se divise en quatre parties. La première examine

quelle est la valeur juridique des documents sur la musique sacrée et quels sont ceux qui sont tenus de favoriser la réforme ordonnée par S. S. Pie X. Quant au premier point, tous les aspects de la question sont envisagés et les conclusions admises par l'auteur, rallieront tous les suffrages.

Quelques réserves cependant pourraient être faites : p. 5, nº 4, la définition d'un *Motu proprio* ne concorde pas avec celle qui est généralement donnée par les canonistes ; p. 7 s., nº 7 s., la description d'un décret formellement général est trop large ; la question de la valeur des décrets particuliers émanant de la Congrégation susdite n'est pas suffisamment exposée. Une mention de l'opinion contraire y était de mise. Si l'auteur cite en faveur de sa thèse le décret du 23 Mai 1846, au reste diversement interprété, les partisans de l'opinion contraire s'appuient sur celui du 8 Avril 1854 (*Acta Sanctæ Sedis*, III, p. 567). J'ajoute que le décret du 8 Janvier 1904 (*Coll. Brug.* IX, 465), très important en la matière, n'est pas invoqué par l'auteur pour corroborer sa thèse et mettre cette controverse au point. La question de l'obligation morale du *Motu proprio* et des pièces connexes n'est pas touchée.

Le second chapitre traite d'abord des formes de chant approuvées ou admises dans les cérémonies liturgiques. C'est, avant toute autre manifestation de l'art musical, le plain-chant grégorien, la musique propre et officielle de l'église catholique et qui se recommande par ses caractères de sainteté, de beauté et d'universalité. Tombée dans le discrédit, à cause de l'ignorance de ses interprètes et des mutilations qu'elle avait subies, elle est redevenue l'objet de l'estime universelle, grâce à une restauration intelligente et savamment poursuivie. Cette œuvre des Bénédictins de la province de France, chaudement encouragée par Léon XIII, nonobstant les approbations et recommandations données à l'édition néo-médicienne, a reçu sa consécration officielle dans les actes récents de S. S. Pie X. Cette action des Souverains Pontifes est parfaitement mise en lumière par le savant auteur ; la

question des éditions conformes ou non conformes à la tradition est étudiée à fond ; le caractère de la future édition Vaticane nous semble très exactement défini. La seconde forme de musique sacrée approuvée par l'Église est la polyphonie classique ou s'inspirant du style classique, positivement approuvé par le Cérémonial et de nombreux Conciles provinciaux. Cet exposé abonde en idées justes et en observations pratiques sur l'exécution de cet art délicat. La musique moderne est également admise dans les cérémonies religieuses, pourvu que l'œuvre soit liturgique, artistique et sainte. Cette seconde partie se termine par l'examen judicieux d'une foule de problèmes, relatifs à l'emploi des instruments de musique, dans les églises et hors des églises.

Les développements de ces derniers paragraphes révèlent chez leur auteur, un sentiment d'esthétique musicale très développé, et des connaissances peu communes de musicologie. Puissent MM. les curés et les maîtres de chapelle s'inspirer de ces pages, pour travailler à l'épuration du répertoire de leurs jubés.

Je me permets ici encore de présenter à M. Duclos, certaines remarques au sujet de cette seconde partie : p. 23, note 2, comme précédemment p. 14, note 1, il est question incidemment, des origines du chant grégorien, il aurait été utile de renvoyer aux études de P. Wagner (*Gregorianische Rundschau*, 1904, III, 33-39) et de Vivell (*Die liturgische und gesangliche Reform des heil. Gregor d. Gr.*, Sekkau, 1904) ; p. 20 s., n. 21 s., l'auteur établit abondamment mais d'une façon peu scientifique que le plain-chant est la musique propre de l'Église. Les décrets des conciles particuliers auraient du être cités d'après la *Collectio Lacensis ;* quant à l'Amérique, les récents et importants Conciles de Baltimore III et de l'Amérique latine ne sont point mentionnés ; et pour la Belgique, l'action de la *Musica sacra,* sous la vaillante direction du Chanoine Van Damme est ici comme ailleurs, passée sous silence etc. ; p. 26 s., n° 26 s., la question de la portée juridique des actes de Léon XIII, relatifs aux éditions bénédictines n'est point traitée ; p. 31, note 2, aux décrets qui

concernent la néo-médicéenne, il faut ajouter celui du 27 Sept. 1884 (Act. S. S. XVII, p. 340). Les actes du 7-21 Juillet, 7-12 Juin 1894 sont donnés d'une façon plus complète dans l'*Appendix ad Concilium plenarium Americæ latinæ*, p. 547-557 (Romæ, typis Vaticanis, 1901) que dans la *Guardelliana*.

Un des moyens les plus efficaces pour propager la bonne musique religieuse, eut été de renseigner plus complètement les lecteurs sur quelques bonnes méthodes d'accompagnement, livres ou modèles d'accompagnement, sur certaines collections et éditions d'ensemble d'œuvres en musique polyphonique ou moderne, sur certains catalogues de musique religieuse etc. que l'auteur connait assurément.

Dans la troisième partie M. D. a très utilement condensé les prescriptions anciennes et nouvelles de la liturgie musicale. Ce traité, dont l'utilité n'échappera à personne, représente sans aucun doute une somme de travail considérable. Il est divisé en plusieurs sections : des chantres ; de l'orgue accompagnant le chant ; de l'orgue suppléant le chant ; de la musique figurée ; des diverses fonctions liturgiques, la messe, les vêpres, matines, laudes et tierces solennelles, les bénédictions du S. Sacrement et les processions.

Cette sèche nomenclature ne peut donner une idée de la richesse des matières accumulées dans ces pages ; nous n'avons pas seulement ici, une mise en œuvre méthodique et ordonnée des rubriques et des décrets, mais la solution d'une foule de questions délicates en même temps que des renseignements pratiques et des conseils éclairés.

Qu'il me soit permis encore une fois de relever certains points qui me paraissent moins bien traités ou moins exacts et de poser au savant auteur certaines questions : p. 89 s., n° 74, l'énumération des jours où on peut toucher les orgues, suivie de celle où cet usage est prohibé, rend l'exposé assez confus ; p. 93, n° 77, l'assertion que la polyphonie classique est mise sur le même pied que le chant grégorien n'est pas fondée ; p. 96, n° 79, 4°, qu'entend-on par répétitions

indues qui altèrent le texte liturgique?; p. 98, note 4, les recueils de cantiques de M. Mortelmans et du R. P. Didacus méritaient certes une mention ; p. 99, n° 80, est-il bien sûr que les prescriptions des décrets de 1873 et 1896 relativement aux intonations du *Gloria*, à l'*Ite Missa est* etc. sont encore obligatoires, ou du moins seront-elles maintenues après la publication de la Vaticane? ou bien faudra-t-il se conformer à celle-ci et aux éditions approuvées qui constitueront les « *libri liturgici* continentes cantum Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, » titre qui, semble-t-il, peut-déjà s'appliquer aux éditions bénédictines?; p. 104, n° 82 comme antérieurement au n° 75, l'auteur se montre hostile à la pratique permise par Rome, de suppléer certaines parties du chant par le jeu de l'orgue et la récitation des passages omis. Je crois cependant la chose pratique, là où il y a pénurie de voix — ce que l'auteur restreint outre mesure — ou pour alléger la besogne des chantres. Si cette exécution se fait d'après les règles d'une bonne psalmodie, elle ne blessera pas trop le sentiment esthétique des fidèles. M. D. est d'avis que cette permission n'est jamais applicable aux jours, où le jeu de l'orgue est défendu, on pourrait, semble-t-il, arriver à une solution moins radicale, en raisonnant sur un décret donné pour Ravenne, 19 Sept. 1883, n° 3590 qui établit une exception à la règle. D'ailleurs la *psalmodie* du texte omis, ne peut-elle pas être considérée comme une forme de chant (*Ephemerides liturgicæ*, 1904, XVIII, p. 552 s.); p. 109, n° 85, les chants *Ave verum*, *Adoro te*, etc. ont reçu l'approbation de l'église dans les dernières éditions bénédictines ; p. 109, n° 86, l'auteur ne donne pas une idée complète et suffisante de la jurisprudence ecclésiastique au sujet des chants en langue vulgaire exécutés pendant l'exposition du S. Sacrement. D'après le D. 3530 *Neapolitana*, 23 Mars 1881, ces chants doivent être exécutés avant le *Tantum ergo*, la bénédiction du S. Sacrement devant suivre immédiatement l'oraison *Deus qui nobis*. Le D. 3237 *Burgi S. Domnini*, 11 Mars 1871, ad I, autorise, eu égard à la coutume, une exception en faveur des invocations *Dieu soit béni, béni soit son Saint Nom etc.* Le D. *Utinen.* 5 Mars 1904, ad II (*Revue théol. franç.*, 1904, IX, p. 555-559) n'est pas cité. Dans le décret *Leavenworthiens*, n. 3537, il n'est pas question de coutume. (Voir pour cette question, Besson, *Commentaire sur le code de la musique sacrée,*

dans la *Rev. théol. franç.*, p. 593-595); p. 111, nº 87, la décision donnée pour Nicaragua ad VII, n'a pas le sens restreint que lui donne l'auteur.

La question des attributions des chantres et du chœur, dans les divers chants, appartient aussi à la liturgie musicale.

La quatrième partie révèle encore mieux que les précédentes, l'esprit d'initiative et d'organisation de M. Duclos. Elle établit les moyens propres à promouvoir l'œuvre de réforme. Ce sont, les commissions diocésaines, la culture du chant sacré dans les séminaires, les « scholæ cantorum », pour l'établissement desquelles, l'auteur présente une série de considérations pratiques et fondées. Pie X préconise aussi de favoriser les écoles supérieures de musique, telle notre école supérieure de Malines dirigée par l'éminent et catholique artiste qu'est M. Tinel, sous le haut patronage de NN. SS. les évêques de Belgique, et où, mieux que partout ailleurs, un cours d'esthétique musicale serait à sa place. Il faut encore veiller à l'instruction des maîtres de chapelle, chantres et organistes et enfin travailler à l'éducation du goût du peuple. Suivent en appendice le *Motu proprio* et les pièces connexes.

Quoique l'œuvre de M. Duclos puisse subir certaines modifications (1) qui en augmenteraient encore la valeur très réelle, elle est tout à l'honneur de celui qui l'a conçue, entreprise et menée à bonne fin. Nous en félicitons chaleureusement l'auteur. Nous souhaitons que son commentaire se trouve entre les mains de tous ceux qui s'occupent de musique religieuse, spécialement de tous ceux, qui par leurs fonctions, sont chargés de veiller à la dignité et à la splendeur des cérémonies du culte. Ainsi l'œuvre de restauration si instamment voulue par S.S. Pie X et à laquelle M. Duclos peut être fier d'avoir efficacement collaboré, se fera promptement et intégralement.

A. De Meester.

(1) L'œuvre gagnerait encore en utilité, si les références bibliographiques étaient plus soignées et plus nombreuses.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. X, pag. 185).

—

459. Occurrit jam nobis inter prophetas illustres, Isaïas, non solum quia inprimis grandiloquus, ut S. Tharasius ait (1), sed etiam quia, teste ipso Spiritu sancto, *Eccli.*, XLVIII, 25-28, fuit « Propheta magnus et fidelis in conspectu Dei... Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum ostendit futura, et abscondita antequam evenirent. » Quod quidem prædictiones messianicas Isaïæ attinet, præclare advertit Hieronymus: « Quod non tam Propheta dicendus sit quam Evangelista. Ita enim universa Christi Ecclesiæque mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere (2). » Quæ quum ita sint, paulo diutius vaticiniis Isaïæ immorandum erit, eo vel magis quod prophetiæ messianicæ ab initio quasi ad finem libri insertæ decurrunt et imo tota prophetia Isaïæ præprimis messianica est.

Itaque, quo tempore Osee vaticinabatur adversus Israël, eodem fere tempore missus est vaticinatum contra Juda et Jerusalem Isaïas, ut ipse narrat in cap. VI, visione a Deo accepta.

In prima serie (c. I-VI) prophetiarum, in libro Isaïæ prout eum in bibliis legimus, notanda præprimis est ipsa visio cap. VI, tum quia Isaïæ thema vaticiniorum generale proposuit, tum maxime quia, ipsum intime percellens, proprium characterem vaticiniis ejusdem

(1) *De Præsentat. Deiparæ.*
(2) *Ad Paulam et Eustochium in translat. Isaïæ... Præfatio.*

impressit, quo nempe fit ut conceptum præclarum majestatis et sanctitatis Dei, quem Sanctum Israël sæpius vocat, mira cum grandiloquentia exprimat, utque simul Messiam ejusque regnum præ cæteris clare et complete describat, nempe per humilitatem et passionem ad gloriam ascensurum. Qua in re, peculiari attentione omnino digna est imago (VI, 13) trunci, præcisa arbore Juda, e quo trunco ascendet germen sanctitatis: truncus enim sunt reliquiæ populi Dei, de quibus tam sæpe loquitur propheta, e quibus, exstincta idololatria, germinabit Messias, humilis et passurus, sicut radix de terra sitienti; et similiter initium regni ejus erit humile, paucorum et pauperum, qui evangelizabuntur. Hæc veluti clavis est prophetiæ Isaïæ.

460. Jam, quod vaticinia attinet contra Juda et Jerusalem c. I-V, exprobrat primum propheta ingratitudinem suam Juda, atque vitia ac infidelitatem, et ultionem Domini per vastationem et captivitatem, relicto tamen semine (I, 9), et post purificationem ab idololatria, restaurationem (v. 24 sqq.). Hac occasione *ad tempora messianica* respicit propheta et describit vocationem gentium ad Ecclesiam et pacem quam afferet Messias: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium... et fluent ad eum omnes gentes... quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem* etc. (II, 1-5).

Deinde pergit vates (II, 5-9) exponendo quam longe absit nunc populus a vero cultu Dei modo descripto in præcedentibus vv. 1-5, et annuntiat vindictam Domini et humiliationem populi sui propter varia vitia ejus, principumque ejus et mulierum superbarum (II, 10-IV-1), quæ quidem castigatio viam parabit *Messiæ, regnoque ejus* (IV, 2-6).

In capite V sub parabola vineæ, eleganter opponit bonitatem Dei erga populum hujus ingratitudini (1-7), deinde post longam enumerationem scelerum ejusdem (8-23) nuntiat divinam ultionem per invasionem exerci-

tuum hostilium (24-30). Quidam in his appendicem et quasi repetitionem præcedentium vaticiniorum vident, ast probabilius nobis videtur prophetam potius complere quæ supra prædixit, et hic agere de ingratitudine finali Judæorum, post exhaustam omnem longanimitatem et bonitatem Dei, postquam ipsi Messiam spreverint; et nationes procul et de finibus terræ, quas describit v. 26 ad finem, esse Romanos.

461. Alia sectio distincta in prophetia Isaïæ continetur cc. VII-XII, quem nonnulli librum Emmanuëlis vocant, quia sub nomine Emmanuëlis *Messiam prænuntiat propheta pluribus vaticiniis insignibus*, imo in tota hac parte Messias ejusque speciatim nativitas et nomina, i. e. proprietates, principem locum obtinent; ut manifestat conspectus generalis cc. VII-XII.

Videlicet, in his capitibus cuncta reducuntur ad explanationem duplicis prophetiæ enuntiatiæ VII, 7-9: reges conjurati Israël et Syriæ volunt exterminare familiam David, atvero (1ª prophetia, VII, 7:) « Non stabit, et non erit istud » — scilicet propter Messiam, qui nasci debet ex David; en occasio insignis prædictionis Messiæ nascituri ex Virgine, et vocandi Emmanuël (VII, 14 sq.); imo, contra, regnum Israël cessabit post sexaginta quinque annos, (VII, 8) et terra utriusque regis conjurati derelinquetur (VII, 16, et rursum infra VIII, 3-7 et IX, 9 et sqq.).

Sed simul vos, domus Juda (2ª prophetia, VII, 9) « Si non credideritis, non permanebitis ». Atqui rex Juda Achaz non credidit, recusavit portentum oblatum et maluit invocare auxilium Assyriorum, ideo dat Deus ipse signum ut supra, Emmanuëlis e Virgine nascituri, et, dum ipsi illi Assyrii, ut flagellum Domini, reges duos adversus Juda conjuratos profligant, simul nec Juda, terram Emmanuël, sine castigatione relinquent (VII, 17 sq., VIII, 8-9), ast non extinguent, propter Emmanuël seu quia nobiscum Deus; inde nova occasio præclaræ prædictionis messianicæ IX, 1-7.

Tandem, dum Assyrii regnum Israël evertunt (IX, 8 sqq.), excedere volunt mandatum a Deo acceptum, et Juda quoque, non modo castigare, sed contererе (IX, 5 sqq.); ideo Dominus franget istam suam virgam, nempe Assur (IX, 12 sqq.), et servabit sibi reliquias seu residuum populi sui, e quo assurget Messias; en occasio tertiæ prophetiæ messianicæ in c. XI, quæ intime cohæret cum præcedente IX, 1-7, eamque complet et explicat. Sequitur canticum laudis et gratiarum actionis, quod in ore redemptorum ponit Propheta, c. XII.

In his habes viam planam ad intelligentiam libri dicti Emmanuëlis.

462. Quod autem explicationem attinet trini vaticinii messianici in eo contenti, adeundi sunt interpretes. Sufficere nobis debet ab ipsis mutuari conclusiones, seu doctrinæ capita quæ constat esse de Christo prædicta. In primo quidem loco, VII, 14 prædicitur *Messiam nasciturum de Virgine;* nomen habiturum, i. e. futurum Emmanuël, quod vertitur: *nobiscum Deus;* futurum ut *more cæterorum infantium, quod corpus attinet, adolescat.* Hæc sine dubio e textu, contextu, adjunctis et occasione prophetiæ dilucide deducunt et invicte probant catholici interpretes (1). Impletio quoque prophetiæ,

---

(1) Hanc non esse interpretationem Rationalistarum cæterorumque incredulorum supervacaneum est dicere, cum, attentis eorum præjudiciis, id a priori asserere liceat. Quomodo enim, omnem prophetiam a priori rejicientes ut impossibilem, admitterent hanc adeo definitam tamque illustrem? Quomodo, respuentes a priori miraculum quodvis, Virginem matrem agnoscerent? Quomodo tandem divinitatem Christi revera prædici faterentur? Enimvero, mos eorum est, si clara nimis prophetia est, aut authenticam eam negare, aut ejusdem sensum pervertere; si non est omnino aperta et definita, eamdem ad vagum quoddam ideale prophetæ referre.

Qua autem via e lumine hujus prophetiæ evadere tentent, operæ pretium erit paucis, unoque exemplo nempe illius quem adeo celebrant Maspero, demonstrare.

Textus Isaïæ ad litteram ex hebræo sic sonat, VII, 14: *Propter hoc* (alii, parum refert, malunt vertere *nonobstante hoc*, scilicet, quod vos

prout in evangelio refertur, mirabiliter ad verbum respondet prædictioni, ut comparando Isaïam cum *Matth.* I, 18 sqq., et *Luca*, I, 26 sqq., et II, præs. 40, manifestum est.

In secundo loco, IX, 1-17, *prænuntiatur lux prædicationis Christi in Galilæa* (cf. *Matth.*, IV, 13-16), deinde describitur ille natus *parvulus* tamquam *admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater æternitatis seu futuri sæculi, princeps pacis.* Annuntiatur *ejus imperium multiplicandum, plene pacificum, in solio hæreditario David,*

Achaz et domus Juda molesti estis non tantum hominibus sed Deo, renuendo per hypocrisim portentum seu signum petere, v. 13) *dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo* (cum art. *la* Vierge) *concipiens et pariens filium, et vocabis* (2ª pers. sing. *fem.*) *nomen ejus Emmanuël* (nobiscum Deus). *Butyrum et mel comedet* (infantili cibo utetur), *ut sciat* (Hieronymus vertit *quamvis sciat;* expressio autem hebraïca nobis videtur vertenda *usque dum sciat*, scil. de tendentia non versus finem in ordine intentionis, sed de tendentia versus in ordine temporis, ergo: donec seu usquedum perveniat ad ætatem qua sciunt pueri) *reprobare malum et eligere bonum* (uti ratione in discernendis utilibus et noxiis). *Quia* (potius *quinimo*) *antequam sciat puer* (cum art. *l'*enfant) *reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, cujus a duobus regibus tu tibi times* (intra temporis spatium minus quam requiritur ut Emmanuël puer recens natus, ad ætatem discretionis perveniat, deseretur a suis incolis et spoliabitur terra etc.).

Audi nunc Maspero, *Histoire anc. des peuples de l'Orient classique*, T. III, *les Empires,* p. 184; omisso contextu, scil. quæ immediate præcedunt a v. 10-13 et 14ª, sic recitat Isaïam, sub uncinis indicantibus citationem textualem: « Vois-tu, ta femme est enceinte, et quand elle mettra au monde un enfant, elle l'appellera Dieu-pour-nous,-Emmanuël. Car avant que l'enfant sache rejeter le mal et choisir le bien, le pays dont les deux rois te font peur sera devasté » il est vrai, mais « Jahvéh amènera sur toi, et sur ton peuple » etc. quæ leguntur v. 17. Omittit ergo contextum, immediate præcedentia et immediate sequentia. Quare? In verbis autem translatis, quot verba, tot errores: *la Vierge* = *ta femme.* Quod cæterum historice falsum est, quasi ageretur de filio Achaz. *Un fils* = *un enfant. Elle l'appellera*, bene quidem si de Virgine, sed si de filio Achaz, nonne inauditum ut pater non imponat nomen? Emmanuel = Dieu-*pour*-nous.

Translatio Maspero testatur vel ipsum non legisse Isaïam, — quare tunc de his loquitur? Vel crassam inscitiam linguæ, — quare plenis buccis ejus scientiam efferunt? Vel ipsum voluntarie decipere lectores suos, — et si hoc, non est nisi impius impostor. Laudent igitur hujusmodo virorum scientiam in rebus mere profanis, ubicumque id justum fuerit inventum, et præterea, in rebus ad divinam præcipue scripturam spectantibus, suspectos habeant.

et futurum sempiternum. Quorum ad pleniorem intellectum remittimus ad interpretes.

In tertio loco, c. XI per totum, cum annexo cantico in c. XII, completur et explicatur utraque prophetia præcedens: prænuntiatur *Messiæ ortus humilis*, sicut virga et germen *ex stirpe quidem David*, filio Jesse, sed valde humiliata ita ut non sit amplius nisi truncus et radix. Erit porro *Messias repletus donis omnibus Spiritus sancti*, et regnabit cum potentia et *justitia*, quæ est nota ubique recurrens regni Messiæ; ex justitia istius regni fiet ut sit idem regnum *summe pacificum*. Ad ipsum venient *omnes gentes* et sedes ubi quiescit (quod quidam cum Vulgata *sepulcrum* vertunt) erit *gloriosa*. Consulantur porro interpretes.

463. Sequitur tertia series vaticiniorum apud Isaïam, XIII-XXVII, quæ singula incipiunt verbis *Onus* Babylonis, *Onus* Moab, etc.: sunt enim oracula vindictæ Dei adversus gentes hostes populi Dei. Eversio istarum gentium, in lumine prophetico visa et nuntiata generatim in præcedentibus, præcipue XI, 11 sqq., nunc singillatim et plene evolvitur; et in principio quidem venit Babel, utpote hostis præcipuus, quem prævidebat vates destructurum Jerusalem ejusque templum, et populum Dei per septuaginta annos captivum detenturum; utpote typus quoque princeps potestatum hostilium regni Christi universim, sive inferorum, sive in his terris.

Ex quo etiam intelliges *in his omnibus vaticiniis constanter respectum haberi ad populum electum et ad salutem messianicam*, sive expresse (ut v. g. XIV, 1 sqq.; XIX, 23 sqq.; XXIV, 16[a]; XXV, 3 et sqq.; XXVI, 1 sqq.) sive typice, cum gentes, contra quas vaticinatur propheta, repræsentent potestatem hostilem regno Christi, v. g. speciatim Moab, XXV, 10.

Neque solum *de ecclesia Christi in terris*, *sed et de consummatione sæculi et æterno regno Christi in cœlis* plura insinuantur, v. g. judicium universale et rerum

consummatio describitur c. XXIV; æternum convivium (vel et eucharisticum, pignus illius) et gaudium cœli, XXV, 6 sqq.

Hæ tamen descriptiones regni Christi, sive in terris, sive consummati in cœlis, more prophetico, fiunt occasione status politici rerum, vivente propheta, vel eventuum plus minusve proxime futurorum, quos vates annuntiat, adeoque coloribus suæ ætatis, et ita ut præsentia et futura tempora vix inter se discerni possint et appareant quasi commixta, aut non valde distantia ab invicem, quia nempe præsens aut proxime futurum occasio est prædicendi remotiora, quia etiam horum sæpe typicum est istud.

De his satis, pro scopo nostro, interpretatione relicta sacrarum litterarum explanatoribus catholicis.

464. Novam seriem vaticiniorum invenimus apud Isaïam, c. XXVIII-XXXV, quæ spectant ad tempus regis Ezechiæ, et præcipue proferuntur adversus eos qui, non confisi in Deo, auxilium Ægypti invocare studebant, cum Sennacherib, rex Assyriorum, in eo esset ut, juxta prædicta regi Achaz, terram Juda invaderet. Inter alia hic prædicit Isaïas post annum Jerusalem ab Assyriis esse obsidendam, at miraculose liberandam. *Quædam vaticinia messianica* his Isaïas vel subito, pro more suo, interjicit, ut v. g. XXVIII, 16, vel occasione alicujus eventus aut prædictionis annectit, ut XXVIII, 5-6; XXIX, 22-24; XXX, 20; XXXIII, 20.

Præprimis vero notanda sunt c. XXXIV et c. XXXV, quæ quasi conclusio sunt totius prioris partis libri Isaïæ prophetæ, et quorum prius exhibet judicium Dei de gentibus universim hostibus populi sui, inter quas nominatim Edom, ut hoste nato domus Jacob; quæ quidem typice de *ultimo judicio* dicta jure accipiuntur. Posterius vero describit *adventum Messiæ, ejus miracula, felicitatem ejus regni, redemptionem* e captivitate (babylonica et typice diabolica), *perpetuitatem regni Messiæ in terris ejusdemque felicitatem æternam in cœlis.*

Tandem in c. XXXVI-XXXVII est epilogus historica, demonstrans sub Ezechia prædicta ad litteram completa fuisse.

465. Jam properamus ad secundam partem libri Isaïæ prophetæ, quæ tota messianica est et præclara continet de Christo, ejusque passione et regno vaticinia. Præponitur introductio historica (XXXVIII-XXXIX), ubi sanatio regis Ezechiæ narratur, necnon missio legatorum Merodach Baladan, regis Babylonis, cum muneribus ad eumdem Ezechiam, qui illis omnes suos thesauros ostendit. Quæ quidem occasio fuit Isaïæ prænuntiandi captivitatem babylonicam.

Neque obstat hæc narrata ordine chronologico prius evenisse quam invasionem Sennacherib, quæ in præcedentibus (XXXVI-XXXVII) narrata fuerat, cum de consilio hæc inversio ab Isaïa facta merito habeatur, quia ultimo narrata, licet prius effecta, præludium sunt ad captivitatem babylonicam prænuntiandam, de qua maxime in posteriori parte libri Isaïæ sermo erit. Itaque in hac altera parte (XL-LXVI) propheta, ut advertit *Ecclesiasticus,* XLVIII, 25, *consolatus est lugentes in Sion.* Et incipit quidem, XL, 1: *Consolamini consolamini;* statimque indicat (XL, 2) summam totius prophetiæ consolatoriæ:

Completa est malitia populi Dei (hebr. *militia*, i. e. durus labor captivitatis); quæ, ut rite observant quidam interpretes, apte sumi potest tamquam *sectio prima:* liberatio a captivitate babylonica per Cyrum (objectum princeps c. XL-XLVIII).

Dimissa est iniquitas illius, nempe per « servum Domini » Messiam, qui humiliatione ac passione sua et populum Israël et universum mundum redimet felicissime (XLIX-LVII). Quæ apte dici potest *sectio secunda* posterioris partis libri Isaïæ.

Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Id est duplo plura recepit in bonum, pro malo

quod subierat ratione peccatorum suorum (1). Ubi spirituales divitiæ et gloria regni messianici describuntur (LVIII-LXVI) *sectio tertia.*

466. Igitur sectionis primæ (XL-XLVIII) objectum princeps est liberatio a captivitate babylonica, non tamen unicum, siquidem redemptio etiam per Christum sæpius attingitur. Jam in ipsa introductione *messianica* occurrunt : ita *ministerium præcursoris Joannis Baptistæ* prædicitur (XL, 3-5), ut notant Evangelistæ unanimiter ; item messianici sunt vv. 6-11.

C. XLI exhibet liberationem a captivitate babylonica per Cyrum, quem « justum » Domini vocat, i. e. fidelem executorem divini mandati. Quæ quidem *typice de redemptione per Christum* merito intelliguntur.

C. XLII, 1-9 describit *Messiam, justum, in quo sibi complacet Deus, pacificum et mansuetum* (*Matth.*, XII, 18 et III, 17, XVII, 5). Hic quædam difficilia occurrunt, de quibus consulendi interpretes.

C. XLII, 13-XLIV, 23, utraque simul *liberatio per Cyrum et per Christum* proponuntur, ita ut altera præ altera vicissim emineat, et a typo ad antitypum transitus fiat ; quæ, etsi distinctæ appareant, nonnumquam invicem incurrere videntur, videlicet propter connexionem ordinis, sive idealis, sive realis, ut sæpius jam advertimus.

Tandem (XLIV, 24-XLVIII) evolvit propheta quæ XLI et hic XLIV, 28 (2) attigerat de Cyro, qui

---

(1) Ita interpretandum esse textum hebraïcum putamus, quæ quidem interpretatio confirmatur ex iis quæ leguntur infra LX, 15, 17, et LXI, 7, quem ultimum locum rursus sic ad litteram ex hebræo vertimus : « Loco confusionis vestræ, duplum ; et ruboris, laudabunt partem suam ; propterea quod in terra sua duplum possidebunt, lætitia sempiterna erit eis ».

(2) Hic attende *Cyrum* nomine proprio vocari, ducentis ante suam apparitionem annis. Quam prophetiam ut eluderent, rationalistæ primo quidem recurrerunt ad effugium, nomen hoc Cyri commune esse regum Persarum ; quod cum ex monumentis cuneïformibus falsum fuisset demonstratum, aliud non superfuit quam prophetiam Isaïæ abjudicare et deutero-Isaïæ ignoto adscribere, qui in fine captivitatis vixerit. Hoc

nomine suo Cyrus vocatur et « Christus » Domini, utpote a Deo destinatus qui restituat templum Dei et rempublicam populi electi. Cæterum et *typus Christi est Cyrus*. Exponens opus liberatoris Cyri, rursum ad futura *Messiæ tempora respicit, ad cujus adventum aspirat* XLV, 8; et *messianica* quoque sunt indubie quæ habentur v. 14 sqq.

467. Sectio secunda (XLIX-LVII) præprimis de Messia Redemptore agit, nempe de humiliatione et passione ejus tamquam causa redemptionis mundi, et de ejusdem passionis fructibus.

Jam XLIX summatim *exhibetur Messias patiens* (4, 7) et *præcipuus fructus laboris ejus* (5, 6, 8 sqq.); quæ in sequentibus evolvuntur (L-LII, 12).

Et cap. quidem L, ipse loquitur Messias: *A meis non receptus* (v. 2, cf. *Joan.* I, 11), *etsi omnipotens* (2, 3) *et præprimis mansuetus et beneficus* (4), *ex obedientia libere me tradam ignominiosæ passioni* (5, sqq.), *et de inimicis, incredulis Judæis, vindictam sumam.*

Cap. vero LI-LII, 12, pariter *evolvitur longius fructus passionis ac laboris Messiæ seu ipsa redemptio.*

Post hæc, a c. LII, 13, *indicata exaltatione Messiæ* (v. 13, 15), ad quam ducet ejusdem passio (v. 14), jam incipit ex professo (LIII) seu ad culmen adducitur descriptio humilis ortus, paupertatis, et passionis Christi; quæ non immerito, ut quidam dixit, habentur tamquam *Passio Domini nostri secundum Isaïam*. Quæ quidem ex integro hic inserta habeantur, de quibus catholicorum interpretum commentaria sunt legenda. Attende interim *quæ patitur* (1-3), *quare et propter*

---

vero, toti traditioni judaïcæ et christianæ adversum, argumentis etiam internis valide confutatur; plura enim in hac ipsa prophetia absurda forent dicenda, si ad finem captivitatis relegarentur, v. g. XLI; XLVIII, 5, 14, 16; pariter non intelliguntur exprobrationes LVI, 9 sqq.; LVII, 7, nisi auditoribus ante captivitatem factæ. Cæterum, hac de quæstione vide interpretes catholicos, qui quam inania sint argumenta interna Rationalistarum demonstrant.

quos patitur (4-6), *quomodo patitur*, nempe libere (1), patienter, *ad mortem usque* (7-9), *quinam effectus passionis*, sua scilicet exaltatio et salvatio multitudinis (11-12); qui cæterum passionis fructus, nempe et ipsius Messiæ glorificatio, et salus redemptorum innumeraque bona, præprimis interna et spiritualia regni ipsius semper, ut jam indicavimus, commemorantur ubicumque passio Messiæ attingitur, et hic in sequentibus toto cap. LIV evolvuntur; in quo *Ecclesiæ Christi universalitas* (2, 3), *sanctitas* (4-14), *indefectibilitas* (9, 10, 16, 17), *infallibilitas* (17) describuntur.

Qui sequuntur sermones, LV et LVI-LVII, paræneticí præsertim sunt, ubi interea nota Messiam vocari *testem populis, ducem ac præceptorem gentibus* (LV, 4); hos sermones, totamque hanc sectionem eadem sententia qua primam concludit: « Non est pax impiis, dicit Dominus Deus ».

468. Sectio tertia, quæ ultima est posterioris partis prophetiæ Isaïæ adeoque et finem totius libri Isaïæ prophetæ constituit (LVIII-LXVI), immixta hinc inde oratione paræenetica eloquentissima, tota in eo est ut celebret *splendorem et divitias spirituales* novæ Sion seu Jerusalem a Messia redemptæ, i. e. *Ecclesiæ Christi* in terris, cum allusione in fine ad consummationem sæculorum, triumphum scilicet finalem Christi de hostibus suis, qui æterno igne punientur (LXVI, 24).

In his potissimum attende LXIX, 20-21, ubi *insignis prophetia legitur indefectibilitatis et infallibilis magisterii Ecclesiæ*, et porro sequentia LX-LXIII, 6, quæ quasi nucleum hujus sectionis constituunt, et, prælucente Doctorum commentario, perlegi debent. Ubi diligenter adverte regnum messianicum describi *universale et perpetuum*, ejusque *indolem spiritualem*, designatam tum

(1) « Oblatus est quia ipse voluit », ubi spontanea ac libera Christi passio affirmatur, non tamen conceptus *sacrificii* proprie continetur. Ad hoc potius spectant, quæ infra leguntur v. 10: « si posuerit pro peccato animam suam ».

imagine frequenti *luminis* (LX, 1-3, 19-20, sicut jam supra LVIII, 8, 10, 11) tum apertis verbis ut *regnum justitiæ* (sicut sæpe alibi) *et pacis,* atque, deleto peccato, *sanctitatis*, ut passim occurret legenti. Valde notabilia quoque sunt quæ habentur LXVI, 19 et sqq., *de Messia vel Ecclesia sua tamquam signo in gentibus* (cf. supra XI, 10, 11 et *Luc.*, II, 34), de *Ecclesiæ fecunditate in ordine ad propagationem suam* per apostolos eorumque successores, *de novo sacerdotio,* non Aaronico, e conversis gentibus suscitando, et tandem *Ecclesiæ indefectibilitate.*

Hæc ulterius prosequi, pro angustia hujus tractationis nostræ, non licet, neque pro scopo nostro necesse est. Cæterum quicumque, hisce notis nostris præ oculis habitis, textum Isaïæ legere inceperit, præsertim in hac ultima sectione, inceptam lectionem, præ celsitudine doctrinæ, admirabili claritate prophetiæ et sublimitate sermonis, abrumpere vix poterit.

469. Michæas propheta, non filius Jemla, sed Morasthites, coævus Isaïæ, postquam hic vaticinari incœperat, prophetavit præprimis contra Juda. Habemus in bibliis tres sermones Michææ conscriptos, quorum singuli incipiunt verbo *Audite*. In primo (I-II) annuntiat eversionem Samariæ regnique Israël, necnon vastationem Jerusalem ac Juda, propter scelera et præprimis idololatriam; in fine vero, ex abrupto prædicit liberationem reliquiarum populi Israël, sicut sæpius alii prophetæ, quamquam nexus reapse adest, ut non semel diximus, castigatio nempe et captivitas a Deo ordinatur ad conversionem et instaurationem populi sui.

In secundo sermone (III-V) idem thema evolvitur, sed concluditur insignibus vaticiniis messianicis iisque valde manifestis. Nempe inseritur ad litteram vaticinium Isaïæ, II, 2-4 (1), *de vocatione gentium ad regnum Mes-*

(1) An Michæas hæc ex Isaïa desumpserit, an potius e converso Isaïas ex Michæa, vel quis tandem prior eadem scripserit, incertum est; neque enim valet argumentum, a quibusdam prolatum, scilicet textum primitus Michææ esse, quoniam melius quadrat et cohæret apud ipsum cum

siæ, hujusque regni summa pace. Quod autem præprimis notandum, vaticinium est *de nativitate in Bethleëm Christi dominatoris, cujus egressus est ab æterno* (V, 2, 3), de quo vide omnino interpretes in h. l. et in evang. *Matth.*, II, 6. Describitur deinde rursus *regnum ejus*, (4-7), ubi ipse vocatur *pax* (v. 5), necnon *triumphus ejus spiritualis* (8-15) præprimis per destructionem omnis impietatis idololatricæ.

Tertius sermo (VI-VII) est judicium Domini de populo suo, quocum disceptat; cui dein propheta ingratitudinem exprobrat et viam salutis demonstrat, et tandem vaticinium suum concludit iisdem promissionibus quibus Abdias, Joël, Amos, Osee: etenim Christus finis est legis atque prophetarum.

470. Prophetæ reliqui ante captivitatem babylonicam pauca vaticinia aperte et directe messianica habent, nec aliquid novi, præter annotata apud supra recensitos, circa personam aut regnum Messiæ afferunt. Unde parum horum vaticiniis immorandum erit.

Nahum, contra id quod supra diximus ordine chronologico probabiliore prophetas enumerando, videtur omnino præcessisse Jeremiam, et prophetasse sub Manasse, rege Juda. Prædicit eversionem Ninive, hancque eversionem futuram liberationi populo Dei. Quæ typice accipi possunt de spirituali Assur, nempe Satana, et liberatione per Christum.

Habacuc propheta ante Jeremiam quidem vaticinium suum edidisse videtur, hujus vero coævus fuit. Annuntiat Juda castigandum fore per Chaldæos, et horum

---

præcedentibus, apud vero Isaïam non ita sed ex abrupto occurrit; etenim, idem argumentum in oppositum demonstrandum verti potest, nempe apud prophetas, ut sæpius vidimus, præprimis quidem Isaïam ipsumque Michæam, moris esse ut ex abrupto et subito messianicum aliquod vaticinium interserant, adeoque nihil mirum id hic fecisse Isaïam. Quodsi Michæas id non fecerit in hoc textu, rationem esse quod, loquens de monte templi vastato, recordatus est vaticinii Isaïæ de monte domus Domini exaltato, istudque insererit.

dein ruinam prædicit. Quæ quidem prophetia indolis est tam universalis atque idealis, ut debeat typice accipi, videlicet Babylon accipiendo tamquam universalitatem hostium Dei; et liberationem populi Dei tamquam redemptionem generis humani per Christum.

Addamus statim SOPHONIAM, qui, sicut Jeremias, prophetavit sub Josia, rege Juda; annuntiat ruinam variarum civitatum ac gentium, increpat Judæos eisque minatur divinam vindictam, et tandem iisdem promittit salutem a Domino; quæ quidem promissiones absque dubio Messiam ejusque regnum respiciunt, et reperiuntur in fine plurium prophetiarum, quemadmodum de Michæa agentes memoravimus.

Vaticinium Sophoniæ, sicut reliquorum, nos egregie docet actionem divinæ Providentiæ in mundi gubernatione.

471. JEREMIAS propheta, quamquam inter majores merito numeratus ob molem libri, quique per quinquaginta fere annos missione divina egregie functus est, incipiendo ab anno tertiodecimo Josiæ, i. e. 628 a. C., non multa tamen directe messianica habet. Persona potius sua, vita, laboribus et passione a suis tolerata seu summis ærumnis Messiam Christum præfiguravit.

Liber Jeremiæ, ut in nostris bibliis legitur, duas partes habet, quarum prima (I-XLV) oracula profert respicientia Judæos, suntque pleraque increpatoria, quædam consolatoria, quorum præcipuum est prædictio finis captivitatis babyloniæ post septuaginta annos (XXV, 11, 12; XXIX, 10, XXVII, 7); altera pars (XLVI-LI) continet oracula adversus Gentes, inter quas Babylonis quoque ruinæ prædictionem atque descriptionem. Ultimum C. LII est appendix historica, alio forte auctore.

In priori parte directe *messianica* sunt III, 14 sqq.; XII, 14 sqq.; XVI, 14, 15; de quibus lege interpretes. Item, XXIII, 5, 6, valde notanda: *Suscitabo David germen justum: et regnabit rex et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur*

Juda, et Israël habitabit confidenter; et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Dein, v. 7, 8 repetitur quod supra XVI, 14, 15.

Rursum ad Messiam spectant XXX, 8 sqq., ubi *Messias vocatur David;* item XXXI, ubi plura messianica occurrunt: 1 sqq. *Ecclesia universalis* designatur per universas tribus Israel; 15 inducitur Rachel plorans filios suos, quæ typice simul intelligenda sunt, teste Matthæo, II, 18, de *cæde innocentium;* v. 22 alludit ad Michæam V, 1, 2; 31 sqq. commemoratur, quod apud alios prophetas jam invenimus, *fœdus novum*, nempe messianicum. De quibus omnibus diligenter lege interpretes. Idem *pactum sempiternum* rursus prædicitur XXXII, 40.

C. XXXIII quoque messianicum est, ubi præprimis attende (v. 15 et 16) repetita ex XXIII, 5, 6: *Germinare faciam David germen justitiæ: et faciet judicium et justitiam in terra*, etc. Quibus adde v. 17, 18, ubi typice annuntiatur *regnum et sacerdotium Christi perpetuum.*

Secunda pars libri Jeremiæ (XLVI-LII) rara tantum continet messianica, v. g. XLVIII, 47; XLIX, 39.

472. Transimus ad Baruch, qui in bibliis nostris jungitur cum Jeremia, cujus ammanuensis seu scriptor fuit. Probabiliter Baruch, mortuo Jeremia, qui post eversam Jerusalem et ultimam deportationem apud suos in Judæa remanserat, sed, occiso Godolia, procuratore Nabuchodonosor, profugos Judæos in Ægyptum coactus comitatus erat, ex Ægypto in Babel transmigravit circa a. 583 a. C. Ejus prophetia ad tempus captivitatis pertinet, adeoque ipse prophetis captivitatis accenseri potest. Quædam in ea occurrunt messianica, ut II, 34, 35, promissio apud omnes prophetas consueta de *testamento altéro sempiterno.*

Notabile est c. III, ubi laus sapientiæ celebratur, quæ apud Deum est, quodque concludit verbis maxime attendendis v. 38: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Quæ secundum textum græ-

cum (hebraïcus periit) etiam verti possunt: in terris visa est (Sapientia), nempe æterna Sapientia (seu Dei Verbum), et inter homines, homo, conversata est. Certe Patres unanimiter hos vv. 36-38 ut messianicos habent et tamquam argumentum divinitatis Christi validissimum.

Tandem IV, 37 Jerusalem ad se undique venientes filios conspiciens typice refert *Ecclesiam Christi;* quæ seq. c. V evolvuntur.

Caput VI et ultimum est epistola Jeremiæ ad captivos babylonicos, quæ ad prophetiam Baruch non pertinet.

473. Pervenimus jam ad prophetas captivitatis, EZECHIËLEM et DANIËLEM, qui complent numerum quatuor prophetarum majorum.

Daniël translatus est junior Babylonem anno tertio regni Joakim, in prima proin deportatione, et per totam captivitatem septuaginta annorum ibidem degit, in aula regum Chaldæorum, imo et post liberationem sub Cyro, in curia regum Persarum remansit.

Ezechiël in secunda deportatione cum rege Joachin, alias Jechonia, Babylonem translatus est, et anno quinto suæ captivitatis ad munus propheticum a Deo assumptus, illud exercuit inter Judæos concaptivos saltem usque ad vicesimum septimum suæ captivitatis annum (*Ezech.*, XXIX), id est, sextum et decimum post tertiam et ultimam deportationem sub Sedecia, ultimo rege Juda, eversa urbe Jerusalem a rege Nabuchodonosor.

Igitur, quemadmodum Jeremias missione sua prophetica functus est, ad conservandum populum Dei seu residuum saltem populum, qui Deo fidelis et ab idololatria immunis maneret, e quo oriretur Salvator; idque munus suum implevit inter Judæos, primo in Jerusalem cum ante tum post eversionem urbis, deinde in Ægypto inter profugos, necnon inter ipsos captivos epistola ad ipsos Babylonem missa (1): sic Ezechiël inter captivos

(1) Hanc epistolam supra notavimus inveniri in bibliis nostris tamquam caput VI et ultimum prophetiæ Baruch.

Babylone commorans, tamquam speculator a Deo constitutus, eadem divina missione functus est, residuum populi, tempore maxime periculoso, contra idololatriam communiens et per pœnitentiam ad conversionem et liberationem præparans. Ita quoque Daniël munus propheticum, sic mirabiliter disponente Deo, exercuit inter Gentes, quibuscum commercium habebant in captivitate Judæi, hos exemplo potissimum suo illustri in ipsa aula adversus periculum idololatriæ confortans, quibuscum etiam postea commercium habituri erant, sic apostolatum messianicum quodammodo præparans inter Gentes.

474. In libro Ezechiëlis prophetæ triplex pars distingui potest, quarum prima (I-XXIV), post introductionem (I-III) ubi describitur ejus assumptio ad munus propheticum, continet oracula adversus populum Judaïcum; secunda (XXV-XXXII) exhibet oracula adversus varias gentes; tertia continet nuntia salutis populo Juda.

In his omnibus, ubi tum visiones indolis apocalypticæ tum actiones symbolicæ frequenter occurrunt, plura sunt obscura et difficilioris interpretationis, de quibus omnino legi debent commentaria Doctorum catholicorum. Cæterum haud multa sunt directe messianica, et pauca addunt nova iis quæ apud cæteros prophetas obvia habuimus.

Itaque pauca citamus. In visione initiali attende quæ de quatuor animalibus (i. e. animatis seu viventibus) exponuntur, quæ typice repræsentant quatuor evangelistas, juxta constantem Patrum doctrinam a primis Ecclesiæ sæculis. Messianica sunt XVI, 60, et XVII, 22-24. Frequentiores autem sunt prophetiæ messianicæ in ultima parte, ubi notabilia præ cæteris sunt XXXIV, 23 sqq.: « Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, » etc. qualia sæpius vidimus apud præcedentes prophetas, ut supra *Jeremiam*, XXXI; *Isaïam*, IX; *Mich.*, V. Item notari merentur XXXVI, 24 et sqq., quæ plenam impletionem

nonnisi tempore messianico habuerunt, ubi adverte v. 25 a nonnullis Patribus de sacramento baptismi non immerito intelligi. Dein, XXXVII, 21 sqq., fere repetuntur quæ supra, XXXIV, 23 sqq.

Quæ habentur XXXVIII-XXXIX typice de Ecclesia Christi ejusque per sæcula certamine cum hostibus, usque ad ultimum Antichristi tempus, intelligenda sunt. Tandem XL-XLVIII est continua allegoria typica Ecclesiæ Christi.

475. Liber Daniëlis partim historicus est (præcipue I-VI, quamquam et ibi prophetica continentur, II, IV, V), partim propheticus (VII-XII), cum appendice rursum historica (XIII et XIV). Sub utroque respectu difficultates haud paucæ nec leves occurrunt, imo et insolubiles quædam hucusque videntur, quod præcipue ignorantiæ nostræ tum chronologiæ fixæ omnino ac certæ, tum aliarum rerum tribui debet.

Quod autem præsens nostrum propositum attinet indicandi vaticinia messianica, insignia habet Daniël propheta. Et primo quidem attendenda est interpretatio somnii Nabuchodonosor regis, II, 27-45, collata prophetia seu interpretatione somnii ipsius Daniëlis, VII, de quatuor regnis invicem excepturis, nempe Chaldæo-Babylonico, Medo-Persico, Græco atque Romano, cui succedet *regnum universale ac perpetuum, spirituale Messiæ;* quod in priore quidem loco figuratur lapide, sine hominum manibus de monte abscisso, qui, comminuens statuam quatuor regna figurantem, factus est mons magnus et implevit universam terram; in altero loco, ubi quatuor regna bestiis figurantur, antiquus dierum, ipse nempe Deus, et filius hominis, scilicet Messias, regna ista evertunt, ut regnet Messias in universo mundo in perpetuum; quo etiam loco transit propheta ad secundum adventum Christi et tempora Antichristi.

476. Secundo, præclara occúrrit (IX) prophetia septuaginta hebdomadum, *determinans tempus adventus et*

mortis Christi, necnon excidii Jerusalem per Titum seu *finis antiqui fœderis.* (Cf. *Matth.*, XXIV, 15; *Luc.*, XXI, 20). Hanc prophetiam esse messianicam sine dubio constat, quomodo autem accurate applicetur tempori adventus et mortis Christi, res, ob rationes jam datas, præprimis ignorantiam nostram rerum, valde ardua est, de qua interpretes catholici consulendi sunt. Unum in oculos statim incurrit, numeros hebdomadum annorum, si in ordine ad Messiæ adventum ac passionem atque regnum spectentur, in variis etiam systematibus computandi, congrue aptari posse; dum, in conceptu non-messianico hujus prophetiæ, quid de istis numeris faciendum sit non apparet; quod quidem variæ interpretationes rationalisticæ manifestant. Quod autem Rationalistæ hunc textum necnon mentem suam adeo contorquent, ex fundamentali eorum præjudicio erroneo oritur, nempe prophetiam esse impossibilem. Quoniam vero criticæ sublimiori omnia licent, dummodo præconcepto errori prosint, authenticum librum Daniëlis ipsi negant, aut vel ipsam Daniëlis existentiam; istas prophetias, ajunt, sicut messianicas ita et quæ eventus temporum Machabæorum tam dilucide prænuntiant, esse prophetias post eventum, scriptorem tempore Machabæorum longe post exilium vixisse, ad auctoritatem sibi conciliandam formam prophetiæ assumpsisse, eamque apte inseruisse confictæ cujusdam Daniëlis historiæ; aliaque demum confingunt, posthabitis historiæ atque logicæ regulis, eaque omnia tandem eo innituntur, ut sæpius advertimus, quod hæc prophetia ex illis sit quæ nimis claræ apparent, dum, ubi de magis obscuris agitur, necesse non arbitrantur ad negandam authentiam, similiave argumenta confugere, sed eas prout jacent accipiunt, et de vago quodam ideali, ut ajunt, prophetæ easdem interpretantur.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii

—

I

Explica I Tim. III, 14-16.

II

Expone quomodo intelligendum sit hoc theologorum assertum: peccato originali homo fuit *vulneratus in naturalibus.*

III

Ostende quomodo gula et luxuria sint vitia capitalia.

IV

Ad mentem S. Thomæ expone notionem virginitatis, ut est virtus specialis.

V

Determina quandonam perdatur irreparabiliter virginitas moralis.

VI

Les conseillers de fabrique peuvent-ils être révoqués, par qui et pour quelles causes?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. *Quasnam doctrinas impugnat S. Paulus, Col. II, 16-23? Explica.*

R. I. In quantum ex paucis quæ in ep. ad Col. reperiuntur indiciis systema doctrinale colligere licet (1), respondetur:

S. Paulus in ep. ad Col., et in specie II, 16-23 impugnat doctrinas ascetico-dogmaticas partim ex judaismo, partim ex ethnicismo oriundas, quas aliqui Judæo-christiani, Colossensium communitatem ingressi (2), doctrinæ christianæ infelici ac perverso conatu consociare volebant. Illi pseudo-doctores de circumcisione sua superbientes ac judaica festa observantes, cultum immodicum et superstitiosum angelis (3) esse

---

(1) Quamvis pauca tantum impugnati systematis adsint vestigia, non tamen inutiles plane plerosque modernorum interpretum labores ducimus, qui indefesso cum studio, illi systemati eruendo et evolvendo insudant. Hos labores nimis parvipendere videtur CORNELY, *Introductio in U. T. libros sacros*, V. III, Parisiis 1886, p. 513 s. Libenter fatemur varias ac diversissimas de pseudo-doctoribus Colossensibus propositas fuisse sententias, uti videre est apud CORNELY, *l. c.*; — JACQUIER, *Histoire des livres du N. T.*, T. I, Paris 1903; p. 316 s.; — HAUPT, *Die Gefangenschaftsbriefe*, Göttingen, 1902 p. 12. Attamen plerosque Auctores ideo errasse arbitramur, quia dicto systemati nomen cujusdam erroris historice cogniti imponere voluerint, cum quo doctrina a S. Paulo impugnata non perfecte quadrat neque identificari potest.

(2) Cf. RAMSAY apud HASTINGS, *A Dictionary of the Bible*, V. I, Edinburgh 1903, p. 454; — TH. ZAHN, *Einleitung in das N. T.*, B. I, Leipzig 1901, p. 333; ABOTT, *A critical and exegetical commentary on the epistles to the Ephesians and to the Colossians*, Edinburgh, p. XLVIII.

(3) Doctrinæ impugnatæ elementum præcipuum fuerit *religio angelorum* (II, 18) θρησκεία τῶν ἀγγέλων. Genetivum τῶν ἀγγέλων contra

exhibendum contendebant. Docebant nempe hominem vilioris atque humilioris esse conditionis, quam ut directe ad Deum accedere possit, adeoque christianis opus esse spiritibus seu angelis mediatoribus ut veram perfectionem religiosam assequerentur (1). Medium (2) autem qua communione cum angelis se fruituros sperabant, ascesis erat corporalis immoderata, qua ex affectata et fucata humilitate carni adversantes corpus cruciabant, ut visionibus (3) fruerentur, et scientiam quamdam sublimiorem seu « philosophiam » acquirerent (4).

II. **Explicatio.** 1/ *S. Paulus impugnat doctrinas a pseudo-magistris Judæo-christianis propositas. Judæos* origine fuisse Colossensium seductores non est dubitandum. Ad cujus evidentiam sequentia allegare sufficiat indicia. Modus imprimis quo Apostolus circumcisionem cordis spiritualem et internam opponit circumcisioni externæ, carnali et manu factæ (II, 11-13), tales ostendit adversarios qui apud neophytas gentiles

---

communem sententiam ZAHN (*o. c.*, p. 332) tanquam genetivum subjecti habet et intelligit *religionem angelicam*, qualem sc. Angeli reddunt qui neque comedunt neque bibunt, et quem homines ex falsa humilitate imitari conantur. Atverò argumenta ab erudito auctore allata non cogunt a communi sententia recedere quæ τῶν ἀγγέλων genetivum objecti merito assumit. Quia angelos ipsos colebant pseudo-magistri, ideo Paulus tantopere conatur eminentiam Christi angelorum dominum stabilire.

(1) Cf. VAN STEENKISTE, *S. Pauli Epistolæ*, Brugis 1899 in Comment. ad. II, 18; — HAUPT, *o. c.*, p. 106.

(2) Ascetica humilitas seu ταπεινοφροσύνη in duobus locis commemoratur (II, 18 et 23) et singula vice immediate connectitur cum *religione angelorum*.

(3) II. 18 legimus cum cod. Aleph*, A, B, D*: *quæ vidit ambulans* i. e. visiones suas inanes jactitans. Cf. HAUPT, *o. c.*, p. 14 et 106 s.; — ABBOTT, *o. c.*, p. 268 ss.

(4) Recte scribit JACQUIER, *o. c.*, p. 317: « Il nous semble que nous avons ici une hérésie syncrétique, issue de la rencontre des speculations orientales, des doctrines juives et des enseignements du christianisme. De là s'est formé un mélange disparate, où l'on distingue des éléments étrangement associés ».

(I, 21, 27; II, 13) de judaica circumcisione tanquam de privilegio plus minus gloriati fuerint. Secus enim non ità inculcaret Paulus Colossenses in baptismo jam fuisse circumcisos circumcisione multo efficaciore quam illa judaica. Non tamen docebant pseudo-magistri circumcisionem carnalem esse necessariam ad justificationem vel ad eam positive conducere (1): etenim adversus hujusmodi judaisantes Paulus majore cum impetu ac magis polemice legalia ac circumcisionem aperte rejiceret, atque data opera demonstraret justificationem et salutem ex fide quæ per charitatem operatur, non autem ex legalibus esse quærendam (2).

Præterea, nonne *judaici* pseudodoctores innuuntur ex eo quod Paulus loquens de ethnicorum regeneratione (II, 13), mentionem facit de abrogatione Legis mosaicæ (II, 14)? Demum mentio Sabbati (II, 16), necnon modus quo doctrina impugnata vocatur « traditio, doctrina hominum » in legalem judaismum quadrat (cf. *Mc.* VII, 7-13), licet, uti infra patebit, genuina Legis præcepta non docerent seductores.

Quin autem *Christiani* fuerint pseudodoctores, vel saltem esse se contenderint, pariter non dubitandum videtur. Etenim error Christum ipsum ejusque doctrinam nullatenus attingens cœtui christiano haud magno fuisset periculo. Adversariis præterea vitio vertit Paulus quod Christo tanquam Ecclesiæ capiti haud adhæreant (II, 19), ex quo solo tanquam ex fonte omnis vita spiritualis manare debet: quod argumentum doctoribus penitus extra Christi ecclesiam versantibus incassum et inepte opponeretur (3).

---

(1) Uti plures opinantur auctores v. g. CEULEMANS, *Commentarius in epistolas S. Pauli*, T. II (Mechliniæ 1902) p. 92. — Cf. ABBOTT, *o. c.*, p. XLVIII.

(2) Tale est præcipuum argumentum ep. *ad Gal.* quæ stylo multo pugnaciori conscripta est quam ep. *ad Col.*

(3) Cf. ZAHN, *Einleitung in das Neue Testament*, I (Leipzig 1900) pp. 329, 333. — HÄUPT, *Die Gefangenschaftsbriefe*, Göttingen 1902, p. 15; — CORNELY, *o. c.*, p. 514. — Cf. *suprà* p. 514 ss. analysim partis dogmaticæ ep. ad *Col.*

2/ *Doctrinæ illæ ascetico-dogmaticæ falsæ partim ex judaismo, partim ex ethnicismo oriundæ erant.*

Doctrinæ impugnatæ licet Judaismo affines fuerint, cum ipso tamen non omnino identificabantur. Jam ostendimus præscripta legalia, in specie circumcisionem, a pseudo-doctoribus non fuisse proposita tanquam media ad justificationem vel perfectionem assequendam necessaria. Aliæ præscriptiones asceticæ quas prædicabant non fuerint stricte mosaicæ: eas enim tanquam « præcepta et doctrinas hominum » (II, 20) a decretis (δόγμασιν) Legis (II, 14) rite discernit Paulus. Cum Lege connexionem quamdam habebant; ità præscriptiones « ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis » (II, 21) statuta mosaica tenore et re ipsa imitantur.

Connexio pariter elucet (II, 17) ubi ritus a pseudo-doctoribus observati vocantur: « *umbra futurorum* ».

Verùm ultra Legis rigorem adversarii processisse videntur. Ita II, 16 absolute dicitur: « Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu ». Jamvero, nullus potus in Lege tanquam immundus prohibetur: vini potus solummodo prohibitus legitur Nazaræis durante voto (*Num.* VI, 2-4) et sacerdotibus sacrorum ministerio fungentibus (*Lev.* X, 9; Ez. XLVI, 21). Præterea sensit Apostolus præcepta talia esse quæ corpori haud satis parcant (ἐν ἀφειδίᾳ σώματος), et per quæ corpori debitus honor i. e. justa carnis refectio (II, 23) subtrahitur: immoderatam autem hanc severitatem in Legem mosaicam certocertius non refunderet. Pronum igitur est concludere ritus quosdam ethnicos in systemate pseudo-doctorum Colossensium fuisse assumptos. Pariter voces « sublimitas sermonum » (πιθανολογία II, 4), « philosophia et inanis scientia » (II, 8) quibus integrum systema condecoratur, in Judaismum etiam pharisaicum non videntur quadrare.

Doctrinas igitur *ethnicas* systemati suo judæo-christiano pseudo-magistri adjunxerint: quæ doctrinarum

commixtio seu *syncretismus,* uti ajunt, tunc temporis in Phrygia jam invaluerat (1). Ab ethnica quadam theoria præscriptiones asceticas de abstinentia a carne et vino (2), necnon doctrinam de cultu spirituum seu angelorum tanquam mediatorum mutuati fuerint. Haud facile tamen secta determinari potest cujus placitis seductores Colossenses adhærerent. Imprimis, non fuerint Esseni uti erronee plures critici autumarunt (3). Etenim Esseni ab usu carnis et vini non abstinebant. Præterea nullum in ep. *ad Col.* reperitur vestigium illorum rituum et morum qui Essenis communi sententia attribuuntur, uti ablutiones, repudiatio vel saltem contemptus matrimonii, illimitata bonorum communitas, usus exclusivus ciborum a sacerdotibus paratorum, constitutio monachica communitatis. Neque cultus angelorum apud Essenos repertus est. Quædam puncta doctrinæ cum nascente Gnosticismo pseudo-doctores communia habuerint, in specie existentiam entium spiritualium quæ certa quadam efficacia in mundum materialem pollere, et mediationem aliquam Deum supremum inter et infirmam humanam naturam exercere arbitrabantur. Libenter tamen fatemur in epistola haud sufficientia extare indicia ut dicta doctrina noto cuidam systemati gnostico cognata certò ostendi possit.

Ex sparsis igitur in epistola indiciis colligi potest quales fuerint pseudo-magistri a Paulo impugnati. Contra ipsorum doctrinam, qualem ipsam delineavimus, rite procedit argumentum epistolæ dogmaticum suprà p. 195 ss. propositum.

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. Haupt, *o. c.*, p. 16.

(2) Cf. Zahn, *o. c.*, p. 340.

(3) In specie Lightfoot, *Epistles to the Col. and to Philemon,* 1886, p. 73 ss. Cf. tamen Haupt, *o. c.*, p. 18.

II

Q. *Refuta rationem quam S. Bernardus contra Immaculatam Conceptionem B. M. V. proponebat his verbis:* « Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat (Maria), sed nec ipso quidem conceptu propter peccatum quod inerat, restat ut post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit nativitatem non tamen et conceptionem ». S. Bernardi epistola 174 ad Canonicos Lugdunenses.

R. I. Quædam *prænotanda* sunt de ipsa mente S. Bernardi prout illa in epistola citata elucet. — 1. *Occasio* illius scribendæ epistolæ hæc fuit: quum celebratio festi Conceptionis Mariæ continuo invalesceret, voluerunt etiam Canonici ecclesiæ cathedralis Lugdunensis, anno circiter 1140, hoc introducere festum. Hoc quum audivisset S. Bernardus, ad Canonicos Lugdunenses epistolam misit in qua hanc novam celebritatem vehementer impugnat. « Unde miramur satis, ait, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio » (n. 1).

2. Deinde de singulis illis tribus argumentis agit S. Bernardus. Præcipuum autem est illud quod secundo loco ponitur et indicatur his verbis: *non probat ratio.* Ideo maxime celebritatis novæ adversarius est S. Bernardus quia Conceptio Mariæ non est honoranda; nec est honoranda quia non fuit sancta (nn. 6-9).

Ex quo elucet S. Bernardum non tantum ipsam celebrationem festi impugnare sed etiam, imo principaliter, *doctrinam* in qua nitebatur festi celebratio. Attamen prudenter et humiliter S. Bernardus epistolæ finem imponit his verbis: « Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsertim ecclesiæ auctoritati atque examini totum

hoc, sicut et cetera quæ hujusmodi sunt, universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare ».

3. Ulterius nunc inquiramus quænam fuerit sententia S. Bernardi de conceptione Mariæ. Ipse considerat *directe* conceptionem *activam* et de hac explicite loquitur. Conceptio *activa* est ipsa actio parentum qua corpus hominis in utero matris primo constituitur. Hanc conceptionem considerans dicit S. Bernardus: « An dicitur sanctificatione præventa, quatenus jam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus... Sed non valuit ante sancta esse, quam esse: siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni (*activæ*, ut patet) immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit et concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificationis, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit? aut cêrte peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? » Hæc est igitur sententia S. Bernardi: *quia* Maria concepta est naturaliter ex matrimonio, *ideo* non potuit adesse ibi sanctificatio. Et si hoc solum dixisset nondum contradixisset ipsi dogmati de Immaculata Conceptione, quale fuit a Pio IX definitum. Sed ulterius progreditur S. Bernardi sententia: dicit enim: « Si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit quoniam non erat; sed nec ipso quidem conceptu, propter peccatum quod inerat: restat ut post conceptum in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato (sc. originali) sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem ». Admittit igitur S. Bernardus Mariam fuisse aliquando infectam peccato originali et postea, sed ante nativitatem, fuisse a peccato illo purgatam, seu sanctificatam. Quocumque modo cogitaverit S. Bernardus de natura et de transmissione peccati originalis, illa sua conclusio contradicit dogmati statuenti Mariam in primo instanti suæ conceptionis

fuisse ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem (1).

Nec admittenda videtur interpretatio quam proponit JUNGMANN: « Ut hæc (sc. verba citata S. Bernardi) apte interpretemur, animadvertendum est medio ævo viguisse sententiam Aristotelis qua statuitur animationem fœtus humani per animam rationalem haud fieri in primo conceptu, tempore generationis, sed post aliquot hebdomadas, quando corpus infantis in utero matris jam accepit organizationem, qua animæ rationali recipiendæ aptum est. Merito supponimus etiam S. Bernardum hanc doctrinam eo tempore communem tenuisse. Porro doctor mellifluus in textu allato manifeste loquitur de illo conceptu, quo inter *amplexus maritales* primo caro infantis formatur, nondum vero, ex opinione illius ætatis, anima rationalis infunditur. Proinde ex his jure colligimus, eum agere de sanctificatione ipsius generationis et carnis inanimatæ B. Virginis, atque inficiari, his convenire sanctitatem, ob quam honore novi festi celebranda sint..... Ad hanc igitur carnis inanimatæ generationem atque conceptionem referendum est quod S. Doctor propter libidinem generationis *peccatum* ibi fuisse dicit, quo nomine profecto non intelligit peccatum formale, quatenus ad generationem activam parentum peccatum affuisse dicitur; nihil aliud id sibi vult, nisi eam obnoxiam fuisse concupiscentiæ,

(1) Notemus, in definitione Pii IX, verbis *in primo instanti suæ conceptionis* indicari, ut videtur, conceptionem *passivam*. Inde hæc propositio: *in primo instanti suæ conceptionis* Maria fuit præservata immunis ab omni labe peccati originalis, prout intelligenda est in definitione Pii IX, non est *explicite contradictoria* sententiæ S. Bernardi asserentis non *in ipso conceptu* sanctificatam fuisse Mariam: quia vocabulo *conceptu* et *conceptionis* non idem intelligebatur in utraque propositione. Sed per decursum temporis quæstio de immaculata conceptione Mariæ ita elucidata fuerat ut Pius IX, definiens Mariam in primo instanti suæ conceptionis fuisse præservatam immunem ab omni originalis culpæ labe, certissime definiret Mariam *nunquam* fuisse peccato originali infectam: huic revelatæ veritati contradicit S. Bernardus, quippe qui tenet Mariam quandoque fuisse infectam originali peccato.

quam S. Paulus peccatum appellat. Quatenus vero ipsi carni generatæ peccatum tribueretur, id sane non significaret peccatum originale, sed unice eo sensu dici posset, quod propter relationem ejus ad generationem concupiscentiæ subjectam adest *debitum* peccati originalis » (1).

Concedimus supponi posse S. Bernardum adhæsisse sententiæ asserenti infusionem animæ rationalis fieri tantum post aliquot hebdomadas a primo conceptu fœtus in utero matris; concedimus S. Bernardum considerare *immediate* conceptionem activam (2) et asserere ibi non adfuisse sanctificationem quia hæc conceptio activa obnoxia erat peccato, h. e. concupiscentiæ. Sed negamus peccatum quod S. Bernardus *rei conceptæ* tribuit esse tantum *debitum* peccati originalis: dicit enim S. Doctor: « restat ut post conceptum in utero jam existens (Maria), sanctificationem accepisse credatur, quæ *excluso peccato* sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem ».

Etiamsi attribuamus S. Bernardo notionem hujus distinctionis inter ipsum *peccatum* originale et hujus peccati *debitum*, fatendum est loqui hic S. Doctorem de *vera sanctificatione*, de ea sanctificatione qua sancta erat Maria in nativitate, et quæ excludit *peccatum:* hoc igitur peccatum est verum originale peccatum quod infecit Mariam et a quo liberata est, post conceptum, in utero jam existens: paucis verbis: secundum S. Bernardum, Maria concepta est ex matrimonio sicut alii homines concipiuntur, et *ideo*, sicut cæteri homines, concepta est in peccato: sed ab hoc peccata liberata est adhuc in ventre matris existens, ante nativitatem (3).

---

(1) *De Deo Creatore*, n. 404.

(2) Dicimus *immediate:* quia S. Doctor non abstrahit omnino a termino conceptionis activæ, sc. a *re concepta,* nempe a Maria concepta: loquitur enim de sanctificatione *Mariæ:* sed immediate in mente habet *actionem* generationis et mediante illa considerat hujus actionis terminum.

(3) Quod confirmatur hac consideratione: S. Bernardus tenebat, ut

Inde concludimus: S. Bernardus debuisset distinguere inter conceptionem *activam* et conceptionem *passivam:* quam distinctionem non fecit ideoque argumenta sua revera includunt negationem immaculatæ conceptionis, passive acceptæ, qualis fuit ab Ecclesia definita (1).

II. Ad refutationem clarius explicandam proponamus *in forma* argumentum S. Bernardi: Maria, ut esset immaculata in sua conceptione, debuisset sanctificari vel ante conceptum, vel in ipso conceptu; atqui sanctificari non potuit ante conceptum (quia nondum erat); neque in ipso conceptu (quia ille obnoxius fuit peccato, h. e. concupiscentiæ); ergo...

R. Distinguo secundum membrum disjunctionis, et consequenter addo tertium membrum: vel in ipso conceptu, h. e. vel in ipsa *activa* conceptione, vel in *passiva* conceptione, *conc.;* secus, nego disjunctionem. — Contradistinguo secundum membrum minoris: neque in conceptu, h. e. non in ipsa *activa* conceptione, *conc.* vel *trans.;* non in *passiva* conceptione, *nego.*

Explico: Conceptio *activa* est ipsa actio parentum qua primo fœtus humanus constituitur in utero matris: hæc actio, libidini obnoxia, non est, per se, formale peccatum, sed nulla specialis sanctificatio hujus actionis est fingenda in præsenti materia. Conceptio *passiva* est

---

videtur, carnem conceptam ex libidine esse infectam aliquo modo et ex sua infectione inficere animam peccato originali, ita ut anima ex ipsa sua ad carnem unione inficeretur originali peccato. Hoc docuerunt plures Scholastici, v. gr. S. Bonaventura, in III, D. III. P. I, a. 1, q. 2. Et ex hac sententia, ut videtur, præsertim inductus fuit S. Bernardus ut semper consideraret immediate conceptionem activam.

(1) S. Bernardi epistola ad Canonicos Lugdunenses initium fuit magnæ controversiæ et occasio qua paulatim distinctior acquireretur notio de veritate circa Conceptionem B. Virginis. — De mente S. Bernardi hac in re cfr. Malou, *L'Immaculée Conception*, Bruxelles, 1857, T. II, p. 429; Pesch, *Tractatus dogmatici*, T. III. Friburgi Brisgoviæ, 1895, p. 163; Vacandard, *Vie de S. Bernard*, Paris, 1897, T. II, p. 83; Janssens, *De Deo-Homine*, P. II, Friburgi Brisgoviæ, 1902, p. 93; Le Bachelet. *L'Immaculée Conception*, Paris, 1903, p. 26; præsertim Kösters, *Maria, die unbefleckt Empfangene*, Regensburg, 1905, p. 88.

terminus prædictæ operationis, est nempe ipsa fœtus formatio in utero matris; duplex distingui potest conceptio passiva: una, *inadæquata*, quæ vocatur etiam *seminalis*, est carnis nondum animatæ *anima rationali;* altera, *adæquata*, est infusio ipsius animæ rationalis qua constituitur persona humana. Disputatur intér philosophos utrum conceptio inadæquata sit *tempore* prior ipsi conceptioni adæquatæ (1): sed indifferens est hujus quæstionis solutio ad dogma de immaculata conceptione B. Virginis: Dogma enim statuit Mariam *nunquam fuisse infectam originali peccato,* et consequenter in ipso instanti infusionis animæ rationalis fuisse sanctificatam; si admittitur conceptionem passivam inadæquatam tempore esse priorem infusioni animæ rationalis, tunc hæc conceptio est absque vero peccato originali quia nonnisi animæ rationali inesse potest verum peccatum (2).

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. Mercier, *Psychologie*, Louvain, 1899, p. 540; De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 404.

(2) « Laissant à l'écart la question relative au moment où l'âme est unie au corps, Alexandre VII (an. 1661) déclara que *l'âme de la bienheureuse Vierge Marie, dès le premier instant de sa création et de son infusion dans son corps, fut, par un privilège et une grâce spéciale de Dieu, en vue des mérites de Jésus-Christ son Fils, Rédempteur du genre humain, conservée pure, sans tache du péché originel.*

« Ainsi quelle que fût alors l'opinion que l'on se formât de l'époque où l'âme est unie au corps, le Souverain Pontife décida que tout au moins *l'âme* de Marie n'avait jamais été souillée de la tache originelle et que *sa personne* avait été sainte dès le premier instant de son existence.

« Le progrès de la controverse ayant rendu ces précautions inutiles, S. S. Pie IX enseigne purement et simplement que la *Conception* de la bienheureuse Vierge Marie *a été immaculée*, soit que l'on considère les conditions de son corps ou celles de son âme; soit que l'on considère les conditions de leur mutuelle union à un moment quelconque de leur existence. Quelque soit le système que l'on adopte sur les lois de l'origine humaine, il est vrai de dire, d'après la définition du Souverain Pontife, que *Marie a été conçue sans péché*, et que sa première origine est tout à fait sainte ». Malou, op. c. T. I, pp. 15-16.

III

Q. *Determina conditiones requisitas ut oratio sit infallibiliter impetratoria.*

Prænotanda. — 1/ Vis impetratoria est orationi propria; videlicet præter effectum meriti et satisfactionis, qui, positis ponendis, orationi sicuti aliis virtutum operibus competit, habet oratio, ex eo quod est *petitio* ad Deum, peculiarem et propriam aptitudinem ad impetrandum; nam « petitio natura sua ad hoc ordinatur ut animum alterius inducat ad dandum id quod petitur, non quia emitur, nec quia solvitur, nec quia aliquis illud meretur, sed solum quia petitur et rogatur, quatenus consentaneum est bonitati vel liberalitati ejus qui rogatur moveri ad dandum solùm quia rogatur (1) ». Sed

2/ Oratio quà impetratoria *de se* talem non habet efficaciam quæ certum et infallibilem reddat effectum: etenim petitio quamvis ex se apta sit ad impetrandum non tamen de facto semper impetrat, quia non est causa necessitatem inducens, sed talis cujus effectus pendet a libera et benigna voluntate illius ad quem dirigitur. Quare aliunde habere debet oratio illam vim impetrandi suo modo certam et infallibilem: habet autem ex *promissione divina*, sæpius in Scriptura expressa (2).

3/ Porro promissio illa divina non est absoluta sed *conditionata:* quod vel a priori intelligitur, siquidem promissio omninò absoluta esset imprudens, putà casu quo peterenter nociva; ceterum pluribus textibus allegatis exprimitur aliqua conditio, uti: « quodcumque petieritis *secundum voluntatem ejus...* » (1 Joa. V, 14); « postulet autem *in fide nihil hæsitans* » (Jac. I, 6); idem

---

(1) Suarez, *De religione*, T. IV, lib. I, cap. XXIII, n. 1. — Cfr. Bouquillon, *De virtute religionis*, n. 201 sq. — Dignant, *Tractatus de virtute religionis*, n. 53

(2) Matth. VII, 7; Luc. XI, 9; Joa. XVI, 23, 1 Joa. V, 14; Jac. I, 6; e alibi. — Cfr. Dignant, l. c., n. 55.

denique a posteriori constat: si enim esset promissio absoluta ità ut solùm postularet petitionem, omnis oratio exaudiretur, nam « fidelis Deus est, seipsum negare non potest (1) »: nunc autem non semper obtinetur quod petitur a Deo: ergò signum est præter petitionem alias requiri conditiones, quas verificari oportet ut oratio sit efficax seu impetret *ex vi promissionis*. (2)

Hic igitur quæritur quænam sint illæ conditiones sub quibus facta est præfata Dei promissio.

Respondetur: — Juxta S. Thomam sunt « quatuor conditiones, quibus concurrentibus, semper aliquis impetrat quod petit; ut scilicet *pro se* petat *necessaria* ad salutem *pie* et *perseverantur* » 2-2, q. 83, a. 15, ad 2; — quæ tamen aliqua explicatione indigent.

I. Requirit S. Thomas uti primam conditionem, quod oratio fiat *pro ipso orante*. Quænam autem sit ratio hujus conditionis apparet ex ejusdem q. 83, art. 7, ad 2, ubi: « Dicendum quod pro se orare ponitur conditio orationis, non quidem necessaria ad effectum merendi, sed sicut necessaria ad indeficientiam (infallibilitatem) impetrandi. Contingit enim quandoque quod oratio pro alio facta non impetrat etiamsi fiat pie et perseveranter et de pertinentibus ad salutem, *propter impedimentum quod est ex parte ejus pro quo oratur* ». Unde ex mente Angelici oratio pro alio non est infallibiliter impetratoria quia fieri potest ut ille pro quo oratur *non sit bene dispositus*, quod non supponitur ex parte illius qui pro se orat.

Eadem conditio ponitur a S. Augustino, qui interpretans verbum Domini apud Joa. XVI, 23 « si quid pe-

---

(1) 2 Tim. II. — Cfr. *Collat. Brug.* VIII, p. 184.

(2) Dicimus: *ex vi promissionis*, quià, ut scite observat Suarez, l. c., n. 3, « non repugnat ut etiam deficiente aliqua conditione hujusmodi, oratio impetret ex benignitate Dei, sicut posset impetrare, quamvis Deus nihil promisisset, solum ob congruentiam quam habet cum divina bonitate et liberalitate ».

tieritis Patrem meum in nomine meo dabit vobis », scribit: « Ita sane intelligendum est quod ait, *dabit vobis,* ut ea beneficia significata sciantur his verbis quæ ad eos qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti *(justi)* pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis vel quibuslibet aliis: quia non utcumque dictum est *dabit*, sed, *dabit vobis* ».

Sed non omnibus necessaria videtur ista conditio: sic Suarezio (l. c., cap. XXVII, n. 2, « satis pia et probabilis videtur sententia quæ asserit... promissionem esse universalem, sive unus pro se, sive pro aliis oret »; et allegat secum sentientes Toletum et Valentia. Et re quidem verà argumenta, quibus vindicatur illa restrictio promissioni divinæ apposita, non videntur stringentia. Nam quod spectat textum Joa., bene observat Dignant, l. c., n. 59: « Hæc quidem interpretatio (S. Augustini) concedi posset supposito textu, *si quid* vobis *petieritis, dabit;* at: *si quid petieritis dabit vobis* simpliciter intelligitur: dabit *vobis petentibus.* Quoties autem alteri salutaria poscimus et obtinemus, alter quidem in se accipit donum, at nos donum *impetramus*, et Deus optime dicitur non tantum alteri sed nobismetipsis *dare* ». — Ad rationem verò a S. Thoma allatam retorqueri potest cum Suarez (l. c., n. 3) quod etiam « non semper qui pro se petit idoneus est ad recipiendum quod petit; unde etiam oratio pro seipso habet subintellectam illam conditionem, nisi ipse restiterit, seu posuerit impedimentum... Verum quidem est facilius posse orantem se reddere idoneum, cum divina gratia, ad impetrandum quod petit quam reddere alium idoneum, et ex hac parte esse magis certam orationem pro se (1); sed nihilominus hoc non spectat ad novam

(1) Idem observat LAYMANN, *Theol. mor.*, lib. IV, tr. I, cap. I, n. 10: « Ideo difficiliorem impetrationem habere censetur oratio pro altero fusa, quam pro seipso, quia ut Deus conferat gratiam seu donum, quod petitur, debet homo esse dispositus ad recipiendum: hæc autem dispositio est in libera potestate orantis, si pro se petat, non item si pro alia persona ».

conditionem, sed ad illam generalem, *si ille, pro quo oratur, non ponat impedimentum* ». — Igitur probat quidem ista ratio non semper orationem piam ac perseverantem pro salute quorumlibet aliorum exaudiri; sed minime excludit infallibilitatem similis orationis pro alio *bene disposito*. Unde rectius ita ponimus hanc primam conditionem: *ut petat quis pro bene disposito,* seu beneficiis divinis impedimentum non ponente (1). Quod ceteroquin a mente S. Thomæ non esse alienum ex allegatis ejus verbis apparet. Porrò conditio ista sic intellecta facillime eruitur ex generali salutis œconomia et ex pluribus Scripturæ locis (putà Is. I, 15 et I Jo. V, 16).

II. Secunda conditio a S. Thoma posita importat ut petantur *necessaria ad salutem*. Sunt autem qui hanc conditionem stricte interpretantur de vere *necessariis* saluti (2); alii verò et rectius, uti videtur, eam explicant de omnibus *salutaribus* seu de omnibus vere proficuis ad salutem. Quæ sententia commendatur auctoritate summorum theologorum, Suarez, Sylvii, Laymann, Tanneri (3) aliorumque; nec videtur esse aliena a mente S. Thomæ, prouti legenti textum integrum cit. art. 15 ad 2 apparebit: ibi enim inter alia dicit Angelicus: « Si id quod petitur sit *utile* ad beatitudinem hominis quasi *pertinens ad ejus salutem... indubitanter* accipit quod petit ». Accedit quod promissionem divinam restringere ad simpliciter necessaria videtur parùm conveniens liberalitati Dei, nec sine cogenti ratione tam arcta restrictio apponenda est verbis Scripturæ generalissimis: « *Si quid* petieritis... *quidquid* petieritis... *quodcumque* petierimus... » (4).

---

(1) Cfr. Dignant, l. c., n. 59. — Ballerini-Palmieri, *Opus theol. morale*, tr. VI, sectio 1, n. 25.

(2) Ita Bouquillon, *o. c.*, n. 206.

(3) Suarez, l. c., cap. 23, n. 7. — Laymann, l. c. — Tanner, disp. 5, q 1, n. 110. — Sylvius in h. l.

(4) Cfr. Dignant, l. c., n. 58.

Apposite tamen observat Suarez, l. c: « Cum autem dicimus id quod petitur debere esse utile ad salutem, non intelligimus solum de utilitate quam potest res ex se habere, sed quam de facto habitura est; multa enim possunt esse secundum se utilia quæ novit Deus futura esse noxia postulanti, et hoc satis est ut misericorditer non dentur et proinde ut oratio ex ea parte non sit infallibilis, nec sub promissione comprehendatur, ut constat ex oratione Pauli 2 ad Corinth. 12... Dicitur autem id quod petitur, futurum esse noxium, non solum si futurum sit occasio alicujus peccati, sed etiam si impediturum sit profectum salutis, quia tunc non solum utile non est ad salutem, ut constat, sed etiam est aliquo modo nocivum » (1).

III. 3ª conditio a S. Thoma requisita est ut *petatur pie:* quæ conditio a multis omittitur aut subintelligitur; pertinet enim ad ipsam essentiam orationis, quatenus est actus cultus divini: non omnis enim petitio est oratio sensu proprio, sed hæc definitur *pia a Deo petitio* (2). Idcircò requirere ad infallibilem impetrationem orationis ut quis pie petat, idem est ac exigere ut *vere oret.* Porro pietas illa importat plures petitionis dotes, quæ similiter hic subaudiuntur utpote ipsa notione orationis supernaturalis comprehensæ: putà quod fiat cum reverentia et humilitate, cum fide et fiducia. Istæ autem qualitates orationis intrinsecæ plures admittunt gradus; quo autem perfectiores sunt eo efficacior erit oratio ad citius et plenius impetrandum (3); ideoque frequenter in Scriptura commendantur, earumque perfectioni pre-

---

(1) Cfr. S. Augustinus, tr. 73 in Jo. (cit. apud Dignant *ibid.* in nota) et S. Thomas, l. c. « Quid infirmo sit utile magis novit medicus quam ægrotus. Et propter hoc etiam Paulus non fuit exauditus petens amoveri stimulum carnis, quia non expediebat ».

(2) Cfr. Bouquillon, l. c., n. 133 sq. — Dignant, l. c , n. 20 sqq.

(3) Videsis hæc (speciatim quoad fidem et fiduciam) præclare explicata a Suarez, l. c., cap. 24, n. 7-9; cujus verba refert Bouquillon, l. c., n. 207.

cum exauditio tribuitur, dum, contrà earum defectui quandoque gratiæ petitæ denegatio adscribatur; v. g. apud Jac. I, 6 sq.: « qui hæsitat... non æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino ».

IV. 4ª conditio est *perseverantia*. Etenim Deus promisit quidem sese orantes exauditurum, non tamen promisit exauditurum statim et ad primam petitionem. Contrà pluries in Evangelio aperte docet nos Christus non desistere ab oratione si post unam aut etiam plures petitiones non obtineamus gratiam postulatam, sed instare et quadam sancta importunitate uti erga Deum donec tandem exaudiamur. Cfr. Luc. XI, 9 et præsertim parabolas de amico importuno (Luc. XI, 5-8) et de judice iniquo (Luc. XVIII, 1-8). — Nec ista conditio minuit valorem divinæ promissionis, siquidem ob sapientissimas rationes et ad majus nostrum bonum Deus concedere quod petimus differt: hoc enim sæpe expedit nobis, docente Augustino (1) ut dona Dei magis æstimemus, humilius quæramus, atque perfectius nos ipsos ad illa assequenda, adhibenda, custodienda disponamus. Addi potest quod tali dilatione adducimur ad orandum frequentius; multi enim si statim exaudirentur ab oratione desisterent, et ità fraudarentur a fructu saluberrimo quem oratio de se affert, quatenus est exercitium plurium virtutum uti fidei, spei, religionis, humilitatis. Quare meritò S. Aug. (2) monet ideo Deum tardius nonnumquam dare quæ petimus ut tanto ferventius ac perseverantius orantes plus etiam impetremus quam petimus.

Summarie igitur ad quæstionem nostram responderi potest: *requiri ut quis pie et perseveranter petat salutaria pro bene disposito.*

---

(1) In Joa. tr. 73. Cfr. Suarez, l. c., cap. 26, n. 1.
(2) Sermo V, *De verb. Dom.*, cap. 5.

IV

Q. *Qualis requiritur attentio ut clericus in sacris ordinibus constitutus officii divini recitatione obligationi suæ satisfaciat? Explica et proba responsum.*

R. **Sensus quæstionis.** — Non quæritur de attentione quacum clericus ad officium obligatus horas recitare debeat ut oratio ipsius sit perfecta atque exoptandum fructum spiritualem integre producat, vel ut sub recitatione officii nullum hac ex parte committatur peccatum, sed unice quæritur quid ex parte attentionis postuletur ad hoc ut impleatur præceptum divini officii nec teneatur recitans ob defectum attentionis iterare recitationem.

Respondetur. — Ad satisfaciendum præcepto divini officii requiritur et sufficit attentio superficialis seu ea mentis applicatio quæ necessaria est ut recitans debite pronuntiet verba seu formulam precationis ab Ecclesia præscriptam.

Explicatio et probatio. — Equidem, præter *intentionem* orandi seu Deum colendi saltem virtualem et implicitam, requiri aliquam mentis *attentionem* communiter asseritur et meritò, quia secus mera verborum pronuntiatio non esset actus humanus et moralis, ac multo minus oratio (1). — « Porrò distinguunt DD. cum S. Thoma (2), triplicem attentionis speciem: una est quâ quis mere attendit ad verba debite pronuntiunda ea non mutilando, non transponendo etc.; et hæc attentio infima vocatur *superficialis;* altera melior mentem applicat ad sensum verborum intelligendum; et dicitur *litteralis;* tertia optima occupat animum in evolvendis cogitationibus et nutriendis affectibus piis; et appellatur *spiritualis*. Jamverò primam seu super-

(1) Cfr. Bouquillon, l. c., n. 116. — Dignant, l. c., n. 67.

(2) 2-2, q. 83, a. 13. — Cfr. Suarez, *o. c.*, lib. III, cap. IV, n. 2. — Bouquillon, l. c., n. 215.

ficialem sufficere ad implendum præceptum divini officii, probatur, quia Ecclesia imponendo onus officii nihil aliud præscribit quam orationem vocalem determinata formula conceptam. Atqui ad essentiam orationis vocalis sufficit attentio superficialis, quin requiratur attentio litteralis aut spiritualis: etenim ex intentione Deum orandi advertenter recitare formulam orationis certe est cum Deo loqui ipsique laudem, gratiarum actionem, petitionem aliosve religionis actus dicta formula expressos exhibere, etiamsi actu de illis non cogitetur. — Confirmatur ex eo quod juxta omnes qui durante officio involuntarie distrahitur obligationi suæ nihilominus satisfacit: iste autem neque litteralem attentionem, ut patet, neque semper spiritualem præbet, cum sæpe mens distrahatur ad profana et indifferentia cogitanda. Et speciatim attentionem *litteralem* seu ad sensum verborum non requiri liquet ex usu, ab Ecclesia probato, multarum personarum in religiosis ordinibus horas canonicas, ad quas tenentur, in lingua latina, quam non intelligunt, recitantium. — Aliquam verò *spiritualem* attentionem ad Deum esse necessariam contendunt nonnulli propterea quod oratio est ascensus ad Deum; ast merito reponunt illam orationis notionem sufficienter verificari in casu per intentionem orandi virtualiter saltem perseverantem durante recitatione officii etiam cum sola attentione superficiali continuata (1).

Ex dictis sequitur 1° non satisfacere obligationi suæ qui dum recitat horas per notabilem earum partem actiones externas exercet tales quæ ex sua natura aut ex sola orantis dispositione tantam requirunt mentis

(1) Cfr. DIGNANT, l. c., n. 67 ubi ostenditur re ipsa ad expositam sententiam reduci posse plerosque eorum qui tenent cum intentione orandi non requiri nisi attentionem *externam*, quam intelligunt de *exclusione* (non mera absentia) actionum externarum incompossibilium cum interiori attentione. Qua de re cfr. SALMANTICENSES, *Cursus theol. mor.*, Tract. XVI, c. III, p. V, n. 28 sq.

applicationem ut attentionem ad verba rite proferenda omninò impediant, quales sunt scribere, attente audire alios loquentes, *celeriter* sese vestire etc.; secus vero dicendum si actiones externæ quibus vacat sint cum attentione sufficiente ad verba rite proferenda compossibiles, quales habentur ambulare, flores colligere, faciem vel manus lavare, instruere focum et aliæ similes non multum ex se distrahentes (1). — Equidem negari nequit per tales actiones aliquatenus minui attentionem etiam superficialem: hanc tamen non penitus destruunt sed sufficientem relinquunt ad orationis substantiam, uti vel ex eo colligitur quod ex præscripto Ecclesiæ debeat sacerdos, ante Missæ celebrationem, certas recitare preces, dum manus lavat et paramenta sacra induit. — Unde concludere licet *ad implendum præceptum divini officii* non requiri attentionem superficialem perfectam et intensam, sed sufficere etiam imperfectam et remissam, dummodo maneat realis (2).

Sequitur 2° non tantum distractiones mentis involuntarias, dummodo attentionem ad verba non prorsus tollant, non impedire quominus præcepto horarum satisfiat (quod admittunt omnes), sed imo nec distractiones *voluntarias* defectum substantialem causare, uti censent multi; quia et istæ bene consistere possunt cum attentione superficiali ad verba debite proferenda, ideoque, non magis quam distractiones involuntariæ impediunt quominus habeatur vera locutio et petitio ad Deum; haud secus ac ad regem loqui censetur ille, qui coram eo e scripto petitionem legit, dum interim plane diversa mente volvit (3). « Quod in divino officio

(1) Cfr. Suarez, l. c., lib. IV, c. 26, n. 23; Salmantic., l. c., n. 25; S. Alph., lib. IV, n. 176; Dignant, l. c., n. 70; Bouquillon, l. c., n. 218.

(2) Dicimus *ad implendum præceptum:* nam profecto si quis *otiose* seu sine motivo necessitatis aut utilitatis durante officio actionibus istiusmodi vacat, peccabit saltem venialiter. Cfr. Bouquillon, l. c., n. 219; Dignant, l. c., n. 70.

(3) Cfr. de Lugo, *De Euchar.*, disp. 22, n. 31; Salmantic., l. c., n. 30; S. Alph., l. c., n. 177; Bouquillon, l. c., n. 220; Dignant, l. c., n. 71.

eo magis valet, quia Ecclesiæ ministri non suo solum nomine, sed maxime nomine Ecclesiæ preces ad Deum dirigunt: hinc fit ut irreverentia ministri deputantem non reddat Deo ingratum » Lehmkuhl, *Theol. mor.*, T. II, n. 634 (1).

Nota: quæ hic disseruimus unice eò spectant ut determinetur attentio stricte requisita ad substantialem præcepti ecclesiastici impletionem: at profectò sacerdos conscius excellentiæ muneris quo fungitur, dum nomine Ecclesiæ, Christi sponsæ, laudes Deo persolvit, eumque pro universo fideli populo exorat, ac simul propriæ perfectionis sollicitus, non tantum superficialem, sed et litteralem, imò et spiritualem attentionem, quantum per humanam fragilitatem licet, constanter servabit: nimirum conabitur mentem applicare non tantum ad verba sed etiam ad sensum verborum; unde sponte sequetur frequens animi ascensus ad Deum; sicque observabit monitum S. Augustini: « Si orat psalmus, orate; et si gemit, gemite; et si gratulatur, gaudete; et si sperat, sperate; et si timet, timete. Omnia enim quæ hic scripta sunt, speculum nostrum sunt » Enarr. III in Ps. XXX, 1 (2).

---

(1) Rursus animadvertatur per distractionem voluntariam, si non sit necessaria vel utilis, committi peccatum. Sed ista circumstantia vitiosa non destruit substantiam orationis, modo cum attentione ad verba, virtualiter saltem perseveret orandi *intentio:* falsò autem, ut ex dictis liquet, contendunt nonnulli cum Billuart, *De horis canon.*, art. VIII, intentionem orandi stare non posse cum distractionibus voluntariis. — Absurde etiam supponeretur illum qui per recitationem officii distractioni voluntarie indulget eo ipso velle ab oratione cessare seu intentionem orandi revocare, sic enim volendo vitare peccatum de se veniale, vellet committere mortale, omittendo np. officium aut notabilem ejus partem.

(2) De præstantia et fructu divini officii delectabiliter et utilissime legetur oratio quam habuit Ill^s ac Rev^s Waffelaert, in Congr. Pros. 13 Maii 1902; quam referunt *Collat. Brug.*, T. VII, p. 337 sqq.

V

Q. *An et quare obligationi suæ satisfacit qui officium in calendario diœcesis suæ vel ordinis sui cum alio permutat?*

Quæstio est de illo qui pro officio de feria aut de dominica aut de sancto etc. in calendario diœcesis vel Ordinis sui certæ diei assignato, aliud illa die recitat, ex breviario tamen quo ipse legitime utitur desumptum (1), utrum np. tali recitatione præcepto horas canonicas legendi satisfaciat.

Respondetur distinguendo utrum illa permutatio fiat *inadvertenter* vel *scienter;* itaque:

I. *Si inadvertenter,* dicendum cum sententia fere unanimi præcepto satisfieri et valere in casu regulam practicam: *officium pro officio:* etenim etiamsi admittatur illam officii divini rationem et formam, qua unicuique diei suum proprium assignatur officium, esse substantialem ideoque sub gravi obligare, legitime tamen præsumitur Ecclesiam nolle ita inculpabiliter errantem adstringere ad duplex officium uno die recitandum. — Hic autem quæri posset:

A/ Utrum qui ita erronee et bona fide recitasset officium *notabiliter brevius*, putà officium festivum pro dominicali, non deberet, errore ipso die detecto, partem officii omissi recitare per modum compensationis. Ait S. Alph., lib. IV, n. 161, *quær.* III, rationabiliter adverti a Tournely, cum Laymann, Bonacina etc. quòd in casu recitati officii notabiliter brevioris debet fieri compensatio, v. g. in exemplo dato, recitando novem psalmos ex primo nocturno officii dominicalis, pro quo est recitatum officium de sancto. Et revera videtur omninò compensatio facienda, siquidem quoad notabilem

(1) Qui breviario uteretur sibi non permisso (putà qui breviario Romano adstrictus officium recitaret ex breviario ritus diversi v. g. Benedictinorum) minime satisfaceret. Bulla Pii V *Quod a Nobis* 10 Julii 1568.

partem non fuit solutum onus diei; attamen, ait Lehmkuhl, tom. II, n. 626, « ut propter majorem brevitatem ille, qui inculpabiliter erravit, supplere debeat, materiam gravem latius extendere debemus, quam quæ parvæ horæ prævalet ». De *modo* autem compensationis a laudatis AA. suggesto, dubitatur an sit conveniens: nam ut rectè animadvertit Dignant, *l. c.*, n. 90, « licet novem hi psalmi sint pars notabilis et continua officii omissi, nondum facile intelligitur quomodo a reliquis omnibus avulsi, per modum divini officii recitari et diverso officio annecti possint ». Quare nobis consultius videtur supplere recitando nocturnum integrum, putà secundum, officii dominicalis: quia unus etiam nocturnus est pars officii per se stans seu perfecta, quæ bene ab aliis separari potest, imò olim in nonnullis ecclesiis aut monasteriis separatim in choro recitabatur.

B/ Utrum si, nondum absoluto officio, errorem advertas, possis vel debeas idem officium absolvere, vel reliqua ex officio præscripto recitare. Juxta plures AA. libertas est unam vel alteram partem amplectendi, quià in utraque fere æqualis est difformitas, in prosecutione erroris aut in conjunctione partium duplicis officii diversi. S. Alph., l. c., *quær.* V, melius censet reliqua recitare de proprio « ne errorem prosequaris »; idem opinatur Dignant, l. c., « quia satis ab invicem distinguuntur horæ ut non debeamus, conformitatis causa, errorem sibi constantem emendationi præferre » (1).

II. Si **scienter** quis permutat officium diei cum alio, subdistinguendum utrum ità agat ex causa rationabili et proportionata, an verò sine causa sufficienti.

1/ Si *sine causa debita,* certò ille obligationi suæ non satisfacit *integre* et saltem peccatum veniale committit:

---

(1) Dicto inadvertanter officio cujusdam diei subsequentis, non esse hac occurrente die aut alia die libera recitandum officium a te prætermissum, sed hoc potius omittendum esse, ne scil. bis erres et bis a communi Ecclesiæ ritu discordes, scite propugnat Dignant, l. c., n° 90, sub c., contrà alios qui oppositum licere non improbabile putant.

nam præceptum divini officii importat non tantum ut dicatur officium sed ut dicatur tale determinatum de illo sancto, de illa dominica etc. Sed quæstio fit utrum ille defectus sit substantialis an verò accidentalis tantum. Primum affirmant plures et egregii Doctores, qui proinde censent *graviter peccare qui vel semel scienter officium cum officio permutat* (1). Nituntur maxime verbis S. Pii V, in bulla *Quod a Nobis*, cit., ubi decernit eos qui horas canonicas dicere vel psallere debent « ad dicendum et psallendum posthàc in perpetuum horas ipsas diurnas et nocturnas ex hujus romani breviarii *præscripto et ratione* omnino teneri, neminemque ex iis quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, *nisi hac sola formula satisfacere posse* ». — Sed responderi potest hanc Pontificis præscriptionem non spectare ad rem præsentem seu ad formam et rationem officii specialem, qua imponitur officium determinatum de tali sancto etc., sed unice respicere formam generalem breviario romano contentam : ut enim legenti patet hoc est objectum integrum bullæ Pii V, abrogare breviaria diversa a breviario romano, hujusque usum imponere. Accedit quod probati auctores multo communius, ut infrà dicetur, *tacente Ecclesia,* sententiam benigniorem propugnaverint.

Difficultas tamen moveri potest ex recenti decreto S. C. R. 27 Jan. 1899 (n. 4011) ad 3m, videlicet postulato : « an satisfacit obligationi suæ clericus in ordinibus sacris constitutus, qui sponte vel invitatus se adjungit clero, officium ab officio ipsius clerici diversum canenti vel recitanti ? » respondit S. C. : *generaliter Negative.* — Sed non est facile admittendum Sacram Congregationem sic obiter et responso particulari voluisse repudiare doctrinam theologorum fere universalem, quam

(1) Ita Bouquillon, l. c , n. 248 et ab ipso citati (n. 247) Toletus, Bonacina, Castropalao, Collet, Giribaldi, Salmanticenses, Garzias, Falise.

exponemus statim. Quare mitiori sensu verba « non satisfacit obligationi suæ » in præfato decreto intelligi debere opinamur, videlicet: non satisfacit *integræ* suæ obligationi, siquidem sine sufficienti causa non recitat officium suum proprium; unde peccat; satisfacit tamen obligationi suæ *quoad substantiam*, cum recitet officium ritu tantum accidentali a suo diversum, ideoque non peccat graviter (1).

Igitur prior illa sententia videtur minus fundata et a plerisque rejicitur uti nimis rigorosa. Attamen inter patronos sententiæ benignioris, quidam æquo longius progressi sunt: ità prorsus rejici debet opinio illorum, qui cum Caramuel (2) absolute omnem permutationem officii a peccato gravi excusant: constat ex prop. 34ª inter damnatas ab Alexandro VII: « In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto ». — Nec solide probabilis videtur sententia a gravi culpa eximens illum qui officium præscriptum permutaret cum alio *multò breviori:* iste enim ex onere divini officii notabilem partem defraudaret; atqui notabilem partem officii omittere per se grave est. Quare S. Alph., l. c., *quær.* III, testatur se prius illam sententiam uti probabilem habuisse, « sed nunc, ait, verius censeo eam sustineri non posse, quia cum recitatur officium notabiliter brevius, tum illud non impletur neque in ejus forma, neque in substantia æquivalenti ». (3) — Similiter juxtà plures a benigniori resolutione excipiendus esset casus mutationis *frequentis* per annum; alii vero hanc restrictionem uti illogicam explodunt: quià, aiunt,

---

(1) Eodem fere modo explicant auctores decretum S. C. R. 3 Martii 1761 (n. 2461) quo declaravit *propriæ obligationi non satisfacere* sacerdotem, qui, diebus quibus dici possunt missæ votivæ privatæ vel defunctorum, ad missam hujusmodi obligatus dicit missam de die occurrente. Cfr. Ill. Van der Stappen, *de Rubr. Missalis*, q. 255; Bouquillon, *De Sacrif. Missæ* (autrogr.) p. 103; Dignant, *l. c.*, n. 87.

(2) *Theol. regul.*, n. 1387.

(3) Cfr. Suarez, l. c., lib. IV, c. 23, n. 14.

officium est onus diei et ideo diversorum dierum defectus nunquam coalescunt. Sed meritò observat Dignant, l. c., n. 88, in casu frequentissimæ permutationis (putà si quis per plures menses semper eadem officia recitaret) aliam superaddi posse inordinationem gravem, quà videlicet penitus perverteretur ordo breviarii quo mirabili artificio ex festorum ac temporum connexione anni ecclesiastici circulus est confectus (1). Ast talem consuetam ac valde continuam mutationem rarissime vel nunquam contingere meritò supponitur; quod idem observamus quoad permutationem officii currentis cum alio quoad *ritum* maxime discrepanti, ut si quis in die Nativitatis D^ni^ recitaret officium Parasceves. Quibus observatis concludimus:

Practice probabilis sententia est, *mutationem officii in aliud non multo brevius etiam identidem factam nullum substantialem aut gravem inducere defectum* (2).

2/ *Si justa seu mediocris subsit causa,* jam omni culpa immunis erit permutatio in officium ejusdem fere quantitatis. Sequitur ex dictis. Inter causas legitimas frequentius occurrens erit, si ad manum non habeas officium proprium de sancto cujus celebratur festum, nec sine molestia invenire queas, tunc poteris recitare de communi; item si non habeas in promptu nec facile obtinere potes partem breviarii ex qua recitandum est officium de currente dominica, satisfacies recitando de alia dominica. Non vero sufficit (secus ac censuit S. Alph. cum aliis, l. c., *sola* ratio recitandi cum socio, diversum habente officium, ut colligitur ex decreto S. C. R. cit. suprà; aliud esset si ille socius tuo auxilio aliqualiter indigeret. — Neque absque indulto licet sacerdotibus, exercitiorum spiritualium causa in seminario congregatis, relictis officiis propriis, sese con-

(1) Cfr. LAYMANN, *Theol. mor.*, lib. IV, tr. 1, c. 5, n. 4; S. ALPH., l. c., § *Quarta*.

(2) DIGNANT, l. c. — Cfr. *Collationes Tornacenses* (an. 1905) p. 241 sq.

formare calendario seminarii (1). Porrò hujusmodi indultum concessum fuit a S. S. Pio IX, sub die 7 Julii 1864, sacerdotibus aliisque viris ecclesiasticis, sub directione Patrum Societatis Jesu *ubivis locorum* exercitia sacra obeuntibus, *modo horas canonicas insimul persolvant.* (2) Qui verò *in domo Societatis Jesu* sub directione Patrum S. J. exercitia peragunt insimul recitare possunt officium juxta calendarium ejusdem Societatis (S. C. R. 21 Maii 1897, n. 3955). — Nec Cappellano Monialium licet earumdem Monialium officium recitare, etsi quotidie in earumdem ecclesia Missam celebret, uti decrevit S. R. C. die 21 Martii 1795 (n. 2550); quare et in hoc jam corrigendus S. Alph., l. c. — Plures admittunt etiam rationem *specialis devotionis* (v. g. erga Sanctum cujus officium illo anno omittitur); sed talem causam objective excusare non videtur, quia tale devotionis exercitium, utpote præscripto rubricarum contrarium, non est rationabile (3).

Unde apparet non quamcumque causam sufficere ut quis officium diei in aliud etiam æquivalens mutare possit. Etenim etsi ratio conformitatis, quoad officii qualitatem, omnium clericorum universæ Ecclesiæ, vel saltem unius diœceseos aut ordinis religiosi, non videatur vere gravis, non est tamen omninò levis reputanda; ideoque, ut diximus, requiritur causa mediocris, i. e. media inter gravem et levem, ad illam licite non observandam.

H. Van den Berghe.

---

(1) Cfr. decr. S. C. R. in *Lucion.* 12 Aug. 1854, ad XLI. — Apud *Nouv. rev. theol.*, T. VIII, p. 129; coll. T. II, p. 520.

(2) Indulti tenorem videre est apud *Nouv. rev. th.*, T. III, p. 314 sq.

(3) Dignant, l. c., n. 89.

VI

Q. *An et quantum et versus quodnam objectum est facienda capitis inclinatio, dum in orationibus missæ, in epistola aut evangelio pronuntiatur nomen Jesu, Mariæ, Sanctorum aut Summi Pontificis?*

R. Præmonuimus jam (1) capitis inclinationem fieri in signum *salutationis* reverentia plenæ. Quo majorem autem quis meretur reverentiam, eo altior convenit et solet ipsi fieri inclinatio. Quam ob rationem Rubricæ præscribunt ut ad nomen Jesu profundior fiat inclinatio quam ad nomen Mariæ (2), rubricistæ vero, quasi uno ore, idem principium ulterius logice applicantes, merito triplicem distinguunt capitis inclinationem : a/ *profundam* seu *majorem*, quæ secum trahit modicam humerorum incurvationem, quæque *latriæ* cultui respondet ; b/ *mediocrem* seu *mediam*, quæ solius capitis sat magnam depressionem importat, et ad cultum *hyperduliæ* exhibetur ; c/ *parvam* seu *minimam* quæ rationem habet cultus *duliæ*.

Inclinatio autem in salutationem peracta decet ut fiat versus ipsam personam quæ salutatur, vel, illa absente, versus illud objectum quod proprius aut expressius repræsentat personam cui reverentia exhibetur.

Quibus rationibus ducta, Sacra Liturgia sequentia servanda positive determinat et injungit :

1. Ad nomen **Jesu** — non ad solum nomen *Christi* (3) — *semper* (4) est facienda capitis inclinatio, eaque *profunda*, cultus latriæ gratia.

Si Sanctissimum sit expositum, inclinatio facienda est versus ipsam Personam Christi sub speciebus eucha-

---

(1) *Collat. Brug.*, supra p. 160.

(2) *Cæremeniale Episcoporum*, lib. II, cap. VIII, n. 46.

(3) Una datur, sat mira, exceptio, quum ad verba : *Per eumdem* CHRISTUM *Dominum*... post *Memento* defunctorum, in canone Missæ caput sit inclinandum.

(4) Nisi aliunde quis jam esset inclinatus.

risticis adorationi nostræ expositam (1). Secus vero, in orationibus et epistola — sicut et in aliis missæ precibus — facienda est versus altaris crucifixum quo persona Christi expressius repræsentatur quam nudo nomine in libro inscripto. In evangelio autem, quod continet ipsa Jesu verba, inclinatur caput versus ipsum evangelii librum, qui in tota traditione liturgica ab antiquissimis temporibus semper habitus fuit ut expressa ipsius Verbi Dei repræsentatio « cum sacra imagine Domini nostri Jesu Christi æquo in honore habenda » (2). In missa tamen solemni, celebrans et ministri, quia longius quam diaconus distant ab evangeliorum libro, caput inclinant versus crucem quæ altaris medium occupat.

2. Ob supereminentum suam excellentiam, qua meretur Sancta Dei Genitrix cultum hyperduliæ, *ubicumque* (3) nominatur nomen proprium **Mariæ**, caput est inclinandum inclinatione *mediocri* seu media.

3. Ceteris **Sanctis** debetur tantum cultus duliæ, ideoque inclinatio capitis *minima* est facienda.

Præterea, licet continuo venerationis sensus interne fovere debeamus ergà Sanctos, non vult sacra liturgia ut hanc reverentiam semper expresse manifestemus, sed

---

(1) Decr. S. R. C. 30 Nov. 1895, *Congr. Presbyterorum SS. Sacr.*, n. 3875 ad 4.

(2) Ita in octavo Concilio æcumenico, cap. 3; cf. Aug., *Tract. 30 in Joannem* (Migne, Patrol. Latina., T. XXXV, col. 1633). Ideo liber ille, qui olim evangelia tantum seu *textum*, ut aiebant, continebat, ab antiquo maximo honore semper est habitus. Intus et foris pretiosis ornamentis decorabatur, in processionibus deferebatur cum incensatione, in conciliis super altari aut throno speciali quasi maxime honorifico loco ponebatur; maxima solemnitate deferebatur in initio missæ ad altare ubique remanebat (cujus vestigium manet in hodierna missa solemni). In nostra adhuc liturgia solus ille liber osculo honoratur, signo crucis notatur et incensatur (excepta tamen solemni cæremonia cantus *Exultet* qui etiam in loco evangelii cantari debet). De his conf. articulos *L'Evangile dans la liturgie* in periodico *Le Messager des fidèles, Rev. Bénédictine*, I, 1884.

(3) *Missale Rom., De ritu celebr.*, V, 2.

tantum quando eorum festum aliquo modo in ecclesia celebratur. Et ideo, juxta recentiora decreta, caput est inclinandum *in festis Sanctorum* tantum, quoties exprimitur nomen eorum de quibus celebratur *missa,* vel fit *specialis commemoratio* (1), vel saltem celebratur *octava* etiamsi nec ejus officium recitetur nec ejus commemoratio per accidens fieri possit (2). Hæc valent non tantum pro orationibus, epistola et evangelio, sed etiam pro aliis missæ precibus, puta pro canone.

Juxta præcitata decreta, quæ magis determinant sensum rubricæ Missalis (3), caput non est inclinandum ad nomen Sancti a/ cujus celebratur missa *vigiliæ* festi : vigilia enim est tantum præparatio ad festum ; b/ nec in missa in qua nominatur tantum titulo *stationis* ad ejus ecclesiam (4) ; c/ nec in ulla missa de *Requiem;* d/ nec in missa *votiva* alicujus Sancti, quæ celebratur extra ejusdem octavam (5).

Infra octavam etiam omittitur inclinatio in iis missis quæ nihil prorsus commune habent cum octava quæ quasi suspenditur, ita ut octavæ commemoratio et quodcumque vestigium *per se* impediatur. Facienda autem est inclinatio quando commemoratio tantum *per accidens* impeditur v. g. per festum duplex I aut II classis (6), remanentibus tamen in missa aliis quæ octavæ sunt propria, puta *Credo* aut præfationem (7).

---

(1) Decr. S. R. C. 18 Febr. 1892, *Calaguritana et Calceaten.*, n. 3767, ad 25.

(2) Recens decret. S. R. C., 19 Jun. 1903, *Ord. Fratr. Minorum,* ad 1.

(3) *De ritu celebrandi,* V, n. 2.

(4) V. g. ad nomina Sanctorum Cosmæ et Damiani in collecta missæ feriæ V post Dominicam III quadragesimæ. Commemorantur enim dumtaxat quia hac feria fiebat statio ad ecclesiam horum Sanctorum, ut in ipso Missali inscribitur.

(5) Si hujusmodi missa petatur celebranda infra octavam ejusdem Sancti, inclinatio est facienda, sed missa celebrari debet more festivo.

(6) V. g. ad nomen S. Stephani in canone, in missa festi Circumcisionis.

(7) Cf. *Ephem. Liturgicæ,* XVII, 1903, p. 456 sqq.

Nota. a/ Ad nomen Mariæ et Sanctorum inclinatio semper **dirigenda** est « versus librum seu nomen in libro expressum, *nisi in loco principali altaris habeatur statua vel imago B. Mariæ Virginis aut Sancti, ad quam,* quia expressius repræsentant, *caput inclinatur* » (1). Si plura nomina sibi immediate succedant, unica sed protracta fiat inclinatio.

b/ Inclinatio est facienda tantum ad **nomina propria** sub quibus Sancti in Ecclesia coluntur, non vero ad nomina alia v. g. *Simon Bar Jona*, *Saulus*, aut ad nomina quæ accomodatie tantum applicantur Sanctis, ut est v. g. nomen Mariæ in evangelio et communione missæ Assumptionis (2).

Nec est facienda ubi nomen non pertinet ad ipsum sacrum textum sed inscribitur tantum ad illum indicandum, puta « in initiis epistolæ et evangelii (3) ».

4. Tandem ob supremam qua **Summus Pontifex** gaudet potestatem et qua maximam in terris meretur reverentiam, inclinandum est caput, versus librum, inclinatione *minima,* quando nomen proprium Pontificis in orationibus missæ (aut canone) pronuntiatur.

C. Callewaert.

---

(1) Decr. S. C. R. 13 Febr. 1892, *Calaguritana et Calceaten.*, n. 3767, ad 25. — Verba sublineata, vi decreti 11 Dec. 1897, inserta sunt in textu Rubricarum Missalis, *De ritu celebr.*, V, 2.

(2) Decr. S. R. C., 7 Dec. 1844, *Mechlinen.*, n. 2872^{6}.

(3) Decr. S. R. C., n. 3767^{25}.

E Secretaria Brevium

Breve Beatificationis Ven. Servi Dei Joannis Mariæ Baptistæ Vianney, Parochi vici ARS.

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Divinæ semper fuit Providentiæ consilium, ut in Ecclesia sancti viri nulla ætate deessent, quibus et præclara ad imitandum extarent exempla, et catholicæ fidei veritas non minus quam virtus summopere confirmaretur. Inter hos apprime recensendi sunt religiosorum ordinum sodales, sæculares presbyteri et ii quidem, qui pastorali munere sanctissime functi, vitam pro sibi concredito grege strenue profuderunt. Singularem ab his postremis gloriam sibi comparavit Venerabilis Dei Servus Joannes Maria Baptista Vianney, Parochi « d'Ars » vulgo nomine pernotus, qui licet in humili et quasi abdita sede maneret, adeo tamen sanctitatis fama inclaruit, ut omnium non animis modo, sed prope oculis adhuc quasi vivus obversetur.

Ortus in pago vulgo « Dardilly » nuncupato Diœceseos Lugdunensis VIII idus Maias anno MDCCLXXXVI, quum eodem die sacro Baptismate ablueretur, auspicata Joannis ac Mariæ nomina accepit. Parentes fuerunt Matthæus et Maria Beluse, domesticis copiis instructis agricolæ, qui eximia religione pariter atque effusa in pauperes præstantes caritate, Joannem ad assiduas preces, horrorem peccati et suavissimum in Deiparam Virginem amorem usque a puero instituerunt. Pecoris custos naturam attento animo intuetur, Deum Creatorem omnium adorat, et ante parvum Mariæ simulacrum, a matre sibi donatum, preces effundens, alios pastores, ut idem faciant, verbo atque exemplo excitat atque movet. Pro viribus nititur ut Sacrosancto Missæ Sacrificio adsit quotidie, et cum propter temporum injuriam Sacrum in suo pago fieri nequeat, longum pedibus iter ad proximum vicum, quem « Ecully » vocant, crebro conficit, ne tanto careat solatio. Ibi pariter tertium ac decimum annum suæ

ætatis agens ardentissimum animi desiderium explevit; omnibus enim angelicam ipsius pietatem et innocentiam mirantibus, Sancta de Altari primum libavit. Incredibile est dictu quam multos Joannes e cœlestibus epulis fructus perciperet; in laborando mente Deum orat, precarium sertum simul ac potest, omnium in conspectu recitat, seque a quolibet piaculo sartum tectumque servans, omnigenæ virtutis exemplum aliis præbet. Publica autem in Galliis reddita religioni dignitate, Joannes septendecim annos natus almo Chrismate a Cardinali Fesch Antistite Lugdunensi inunctus est, primo suo nomini illud Baptistæ addidit, ac Sacerdotium inire constituit.

Magnas ac pene invictas in studiis difficultates expertus, piam eas exsuperaturus ad S. Francisci Regis sepulcrum peregrinationem suscepit, victum quæritans, et quocumque iter faceret, probris maledictisque vexatus. Verum ex eo die, ac si Deus præmio ob tantam animi demissionem eum afficere voluerit, visus est disciplinas facilius addiscere, et cum gravia sibi eo tempore objecta impedimenta mira constantia devicisset, magnum ipsi tamen Lugdunense Seminarium ingredi licuit. Ibi, divina fretus ope, quam assidue flagitabat, summa se scientiis voluntate excolendum tradidit, atque in eis, periculo facto, satis idoneus habitus fuit, qui Sacerdotio initiaretur. Dignum suis laboribus pretium! Nam cum se ætate progressum variisque disciplinis minus excultum animadverteret, totis viribus contendebat, precibus potissimum et opera, ne sibi negaretur divinæ majestati hostiam immolare. Ardentis hujusmodi voti compote facto, tum manifesto apparuit Joannis anima sacerdotalis: in peccatores enim et in egenos caritas, plurimum studii et curæ in pœnitentium confessionibus excipiendis diu noctuque collocatum, prudentiæ denique ac sapientiæ omnibus tradita consilia universam in eum admirationem statim concitarunt. Sed campus ubi Venerabili Dei Servo duo et quadraginta annos æternæ vitæ colligendi fructus erant, ille pagus extitit qui in Diœcesi Bellicensi positus vulgo « Ars » audit, et quo Joannes triennio post sacros susceptos ordines, quasi angelus e cœlo missus fuit.

Duo primum sibi Dei famulus animo molitur, religionis cultum instaurare, ac fidelibus peramanter adesse, et hæc

quidem non minus pro suggestu, quam tribunali admissis expiandis obtinere. Enimvero Sacramentum augustum novis honoribus colit, ac teneram et filialem in Mariam Virginem pietatem simul cum Dei et Ecclesiæ legibus observandis altius in animis defigit, ex quo protinus factum est, ut Sacro nunc plures adstarent profestis diebus quam antea festis. Parochialis ædis decorem auget, ac dum se vel necessariis orbat, omnes suas opes, interdum sibi divinitus traditas, ad illam extruendam exornandamque decernit. Neque id satis habuit fecisse, nam tria pericula, quibus æterna incolarum salus in discrimen adducebatur, propulsare sibi proponit; violatum id est Domini diem, insolentem chorearum usum, et in cauponis frequentiam. Quæ ad rem ex æquo et bono judicandam et animos conciendos facere potuerint, ut sanctum hunc finem assequeretur, omnia Dei servus effectui dedit, et nec laboribus nec lacrymis parcens, tandem a fidelibus suo magno gaudio exoravit ut a pravis hujusmodi consuetudinibus discederent. Tunc vicus munitissimum oppidum videbatur contra errores in tanta temporum calamitate undique irrepentes, non minus quam contra effrænatam morum licentiam. Quin etiam fidelium erga cœlites religio quibus sanctus vir sui templi altaria dedicaverat, magis magisque in dies crevit et sive ob pias ab ipso institutas Sodalitates, sive ob Sacramenta frequenter excepta, viculus ille felix virtutum asylum ab omnibus ducebatur.

Tanti viri sanctimonia diutius occultari non quita est, sed longe lateque pervulgata id brevi effecit ut homo Dei ad alias regiones invitaretur de rebus divinis ad populum dicturus. Multifariam igitur Joannes concionari aggressus, hic dolorem abstergit, illic affert consilia, omnes excipit benigne, unde vehemens illud exortum est sui desiderium quod postea ad eum consulendum innumeros peregrinantes in Ars pagum allexit. Neque animabus imprimis prospiciens corpora obliviscitur; cum enim inter ceteros egenos puellas vidissêt alias orbitate laborantes, alias pene relictas, cunctam suam rem familiarem in erigendo hospitio insumpsit eique Providentiæ nomen indixit. Et vere hanc domum tuta est Providentia, nam sæpenumero in extrema rerum inopia mirum in modum iterum instructa fuit.

Sed si Joannes alienos colit agros, suum incultum non

descrit, christianæ enim perfectionis culmen intuens semper novos in ea potioresque gradus attingit; super nudos asses exiguo stramento tectos, paucas horas, ac non sine curis obdormire, acrem miserumque cibum sumere, et eo sæpissime prorsus abstinere, demum unam sibi, obsoletam quidem ac laceram, induere vestem. Huc accedit quod genium suum vel in minimis defraudaret seque flagellis exquisitisque maceraret tormentis. Atque ita fortis animi virtutes in dies elucebant, et simul cum incenso amore in Deum, in Deiparam Virginem atque in defunctos admissa expiantes, tam insignis in proximum caritas suique contemptus conjungebatur, ut mente in Domino penitus defixa et corpore consumpto neutiquam sibi sed prorsus aliis in vita commorari videretur. Sed ubi Joanni patuit fecunda suæ gloriæ seges, in peccatorum fuit conscientiis judicandis moderandisque; vix enim ejus fama post sacras in viciniis confectas expeditiones quam maxime vulgari cœpit, fideles tam ingenti numero ad eum accurrerunt, sui animi plagas in Confessionis sacramento ei detecturi, ut neque curiale templum neque vicus ipse illos capere posset; idque non modo e finitimis regionibus vel paullisper, verum etiam ex omnibus Galliæ provinciis et usque a Belgiis, ex Anglia ac Germania et quinque ac viginti annos, nullo intermisso temporis intervallo. Erant omnis conditionis et ætatis homines, qui Joannis sanctitate permoti, illuc ducebantur studio virum visendi supernis dotibus ditatum, intimas ipsorum latebras scrutantis, ac prænoscentis futura. Non longum iter vel mora, non multitudo, non pervigilium vel alia hujusmodi incommoda fideles deterrebant, quominus consolationis verba a Dei famulo quæritarent, hoc uno beati, quod eum viderent, audirent ac de suis miseriis alloquerentur. Cum vero sacra diurna ac nocturna confessione singulis, tum crebris concionibus præsto omnibus erat. Dei verba ab electo viro populo facta tanta suavitate, tanta de animorum salute sollicitudine, tantoque erga cœlestes et homines amore redundabant, ut ipse primus, auditores deinde lacrymas effunderent.

Sanctum hoc fidelium desiderium, quibus se Joannes frustra subducere tentavit, ac tam uberes pœnitentiæ fructus, facere non poterant quin humani generis osor de illius exitio

cogitaret. Et quo facilius herois víres infringeret, brevia ejus somnia omni strepitus fragoriisque genere abrumpere nitebatur. Curialis domus usque ab imis fundamentis quassari ac pene dilabi interdum visa est, et dum Joannis sodales, qui eadem hæc omnia audiunt et vident, totis artubus contremiscunt, ipse unus tranquillo animo consistens, dolosas dæmonis artes minime pavet. Verum malus genius, qui ex hoc prælio discesserat inferior, graviore odio Joannem persecutus, novas ei insidias parat. Nonnullos itaque illius collegas subornat, qui suam ei ignorantiam objiciant, ardens ejus studium in salutem fidelium intempestivum denuncient, eique crimini vertant. Sed Joannes utpote sanctus ideoque humillimus tanta animi demissione pariter ac suavitate has accusationes excepit, tantoque candore se omni pœna dignum asseveravit, ut ejus inimici in admiratores commutarentur, et inclyta ejus virtus novo lumine præfulgeret.

Denique strenuus hic miles pugnando cecidit; postquam enim suo more septendecim circiter horas in exedra admissis audiendis consedit, potius laboribus quam ætate absumptus, gravi morbo correptus est. Quare cum sibi vitæ finem adesse præciperet, se Deo totum obtulit, ac singularia patientiæ aliarumque virtutum exempla dedit. Morte autem appropinquante, et sacro Convivio, quod sibi ipse jusserat afferri, summo devotionis sensu in viaticum celebrato, Parœciæ operibus incœptis, ac Missionariis suis adjutoribus tremente manu benedixit, et die S. Dominico Confessori sacro anno MDCCCLIX placidissime in Domino requievit. Fidelium multitudo quæ diu noctuque sui Curionis vitam omnibus a Deo precibus contenderat, in luctu ac mœrore jacuit, hoc uno solatio acquiescens, quod si Apostolum in terris amiserit, pollentem in cœlo haberet Patronum. Illius venerabile Corpus, quod omnes adire et deosculari discupiebant, biduo expositum est, ac postremo non solum omni civium ordine, sed etiam frequentissimo clero undique accurso, funus honestantibus, ad curiale templum sollemni pompa elatum fuit.

Ex hoc igitur tempore cum sanctitatis fama in dies augeretur, ob cœlestia quoque prodigia, quibus Deus eam confirmasse tradebatur, illius Beatificationis et Canonizationis causa apud Sacrorum Rituum Congregationem suscepta fuit, ac singulis probationibus ex Ordinariis et Apostolicis

processuum tabulis rite expensis, rec: mem: Leo Papa XIII Decessor Noster sollemni decreto VII Kalendas Augusti anno MDCCCXCVI edito, sanxit Venerabilem Dei Servum Joannem heroicis inclaruisse virtutibus. Deinde quæstio de miraculis agitari cœpta est, quæ ipso intercedente a Deo patrata ferebantur, ac rebus omnibus severissimo judicio ponderatis, in triplici disceptatione de eis actum fuit, quarum in ultima VII Kalendas Februarii volventis anni coram Nobis habita Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus tuendis præpositi, Præsules Officiales et Patres Consultores suffragium singuli tulerunt. Nos vero in re tanti momenti mentem Nostram aperire distulimus, et adstantes monuimus suppliciter Dei consilii lumen exquirendum fore. Quo facto, sollemni alio decreto nono Kalendas Martias in vulgus edito hujus pariter vertentis anni, declaravimus de duobus miraculis constare per intercessionem ejusdem Venerabilis Joannis a Deo patratis. Postea illud unum dubium supererat proponendum, an Venerabilis Dei Servus inter Beatos cœlites recensendus foret. Quod propositum fuit a dilecto filio Nostro Francisco Desiderato S. R. E. Cardinali Mathieu causæ relatore in comitiis generalibus coram Nobis habitis octavo idus Martias hujus anni, et in quibus omnes qui aderant tum Cardinales, tum Sacrorum Congregationis Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam cœleste auxilium Nobis compararemus. Tandem Dominica secunda post Pascha, qua Christus exhibetur in Evangelio exemplar et forma Boni Pastoris qui « animam suam dat pro ovibus suis », adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Præfecto, ac præfato Francisco Desiderato Mathieu, relatore, necnon Rev. P. Alexandro Verde, Sanctæ Fidei Promotore, auctoritate Nostra pronunciavimus, tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Servi Joannis Mariæ Baptistæ Vianney Beatificationem.

Quæ cum ita sint, enixa catholici nominis et præsertim Bellicensium et Francorum omnium vota implentes, Apostolica Nostra auctoritate harum litterarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Dei Servus Joannes Maria Baptista Vianney, « Ars » vici Parochus, Beati nomine in posterum

nuncupetur, et ejus Corpus et lipsana seu reliquiæ, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendæ, publicæ venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Præterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de illo recitetur officium et Missa singŭlis annis de Communi Confessoris non Pontificis, cum orationibus propriis per Nos approbatis juxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero officii recitationem Missæque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in Civitate et Diœcesi Bellicensi ab omnibus christifidelibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus tum sæcularibus tum regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus, servetur decretum S. Rituum Congregationis N. 3862 *Urbis et Orbis* 9 Decembris MDCCCXCV (1). Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Joannis Mariæ Baptistæ Vianney in templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis die XVI Decembris MCMII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod quidem fieri præcipimus die per Ordinarium designanda intra annum, postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii præfatæ Congregationis subscripta sint, et sigillo Præfecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus judicialibus habeatur, quæ Nostræ voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romæ, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII Septembris MCMIV, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Alois. Card. Macchi.

---

(1) Vide tenorem hujus decreti apud *Collat. Brug.*, T. I, p. 90 sq. et cfr. *ibid.* p. 259 sq.

E S. Congr. Concilii

Dubia circa Decretum de observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione.

I

Beatissime Pater,

Episcopus Aliphanus humiliter petit solutionem sequentium dubiorum, quæ sese referunt ad Decretum *Ut debita sollicitudine*, editum a S. Congregatione Concilii die 11 Maii 1904 (1).

I. An Missæ quæ ex onere perpetuo inhærente ecclesiæ, monasterio, confraternitatibus, aut locis piis quibuscumque, sed in nulla Ecclesia sunt constitutæ ita ut a quolibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum decreti?

II. An sacerdotes, quibus a rectoribus seu administratoribus Ecclesiarum committitur satisfactio unius aut plurium legatorum Missarum, in Ecclesia fundatorum, possint pro suo arbitrio committere earum Missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna, etiam extra Ecclesiam propriam?

III. An sacerdotes fruentes capellaniis fundatis, sive ecclesiasticis sive laicalibus, possint aliis sacerdotibus Missas suarum capellaniarum celebrandas committere statuta eleemosyna pro suo arbitrio?

IV. An Episcopus possit sub censuris latæ sententiæ compellere sacerdotes, beneficiatos et administratores locorum piorum in fine cujuslibet anni ad sibi tradendas Missas quibus infra annum non satisfecerint, et sub iisdem pœnis illis prohibere ne mittant extra diœcesim?

Sacra Congregatio Concilii prædictis dubiis die 19 Decembris 1904 ita respondendum censuit:

Ad I. *Habendas esse ad instar manualium.*

Ad II. *Non posse.*

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, T. X, p. 595 ss.

Ad III. *Negative et servandas esse dispositiones articuli XI decreti.*

Ad IV. *Contra transgressores articuli IV citati decreti Episcopum procedere posse in particulari, servatis de jure servandis, etiam cum censuris.*

VINCENTIUS Card. Episc. Prænestin., *Præf.*
C. De Lai, *Secretarius.*

Adnotationes.

Prætermisso responso ad 1m, notetur **in responso ad 2m** doceri duo :

a/ non licere ut missæ in aliqua ecclesia fundatæ *pro arbitrio extra ecclesiam propriam* exonerandæ curentur : « ex hoc enim ipso, uti ratiocinatur Many (1), quod pius fundator eligat talem ecclesiam aut tale institutum, ejus præsumpta voluntas est ut ibi celebrentur missæ ». Nihil tamen impedit quominus Episcopus hujusmodi translationem permittat, sive vi indulti, sive, secluso indulto, in casu necessitatis urgentis, vel etiam, in casu determinato, ex causa proportionata et ad tempus (2).

b/ Missas *in ecclesia fundatas*, si sacerdotibus committuntur alibi celebrandas, esse transmittendas, ad tramites Decreti *Ut debita*, sub articulis 9°, 13° et 15°, *cum integra eleemosyna* quæ, in fundatione vel in successivo reductionis indulto, reperitur in perpetuum taxata. Solus excipitur casus, quem memoravimus apud *Collat.*, tom. X, p. 51-52, ex ipso Decreti tenore desumptum, ubi nempe aliqua pars stipendii locum tenet congruæ pastoralis, vel assignata est, in limine fundationis, fabricæ aut rectoribus ecclesiæ. Non tamen prohibetur, uti notavimus l. c., p. 55, quominus retineantur expensæ pro administratione vel transmissione missarum.

In **responso ad 3m** urgetur principium, sub articulis Decreti 9°, 11° ac 15° inculcatum, sacerdotes minirum

(1) *Prælectiones de Missa*, Parisiis, 1903, n. 65.
(2) Ibidem, n. 65 et 83.

quibus missæ celebratio incumbit *ratione capellaniæ,* sive ecclesiasticæ sive laicalis (1), qua fruuntur, non posse pro missis, quas aliis sacerdotibus exonerandas committunt, stipendium erogare *pro lubitu statuendum.*

Determinatur eleemosyna danda sub art. 15°, *conformis scilicet taxæ synodalis loci in quo capellania erecta est,* et non loci in quo degit celebrans: explicite namque declarat S. Congregatio, quod spectat missas *beneficiis* adnexas, « eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt ». Capellania quidem laicalis, secus ac ecclesiastica, non censetur beneficium ecclesiasticum stricte dictum, sed pro utraque specie capellaniæ æque valet ratio legis in hunc sensum stipendium determinantis. Fructus nimirum fundationis, in utroque casu, constituunt redditus capellani fundationem exonerantis ejusque sustentationi afficiuntur, nec passim determinata stipendia assignantur pro singulis missis.

Et ita intelligitur distinctio cum missis simpliciter *in aliqua ecclesia fundatis,* de quibus modò suprà: pro hisce namque, excepto casu quo explicite contrarium providetur juxta superius dicta, stipendium determinatur missæ correspondens et unice intuitu missæ statutum, adeoque æquum est ut celebranti transmittatur integrum, prouti in fundatione taxatur.

Cæterum, in eodem responso ad 3m, observandæ monentur dispositiones art. 11i Decreti, quo scilicet declaratur « ex eleemosynis, quas fideles celebrioribus

---

(1) « Capellania est institutio quædam ecclesiastica qua clericus tenetur missam celebrare juxta intentionem pii fundatoris et jus habet percipiendi fructus bonorum designatorum ab eodem pio fundatore ». Santi, *Prælectiones Juris Canonici,* ad l. III Decret., tit. V, n. 30. Porro inter cappellanias, uti notatur apud *Acta S. Sedis,* II, p. 327, aliæ sunt *ecclesiasticæ,* aliæ *laicales,* prout necne erectæ sunt per formale erectionis decretum auctoritate ordinaria emissum juxta legem fundationis atque collatæ sunt per litteras episcopales, seu bullas collationis aut institutionis.

sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur ».

Ad 4m.

Vi articuli 4i stricte præcipitur ut omnes, utcumque ad missarum onera obligati, et signanter sacerdotes, in fine anni, missas, quæ reliquæ sunt et quibus nondum satisfecerint, proprio tradant Ordinario, id est, salvo jure Superioris Regularis, Episcopo respectivo, juxta notata apud *Collat.*, IX, p. 661.

Porro in præsenti solutione dubii quarti respondetur Episcopum præfatæ dispositionis observantiam posse urgere, eumque contra transgressores posse procedere, *etiam cum censuris ecclesiasticis*. Quocirca nota

a/ dicta obligatio missas proprio Episcopo transmittendi ac prohibitio correspondens illas extra diœcesim mittendi, quam utramque sub pœna censuræ vindicare potest Episcopus, non spectat, uti monuimus apud *Collat.*, IX, p. 661-662, *missas pro quibus, in fine anni, tempus legale nondum præteriit.* Hæ nimirum cadunt sub art. 5° laudati Decreti, ac adeo possunt, attenta voluntate fundatorum vel oblatorum, tradi confratribus certe ac personaliter notis, quin etiam libertas coarctetur ad solos sacerdotes diœceseos. Cf. *Collat.*, IX, p. 662-663.

b/ Episcopus non potest sanctionem apponere statuto generali, sed restringitur ejus potestas coercitiva *ad casus particulares*, in quibus determinatos delinquentes pœnis ferendæ sententiæ prosequatur: servatis cæteroquin formalitatibus de jure observandis, ac signanter servata proportione inter delictum et pœnam.

II

En, circa observantiam ejusdem Decreti *Ut debita*, dubia coram S. C. Concilii oblata ab Episcopo Bredanensi, quæ dubia, una cum *Voto* ac solutione, pariter referuntur apud *Anal.*, tom. XIII, p. 70-73:

« 1° In diœcesi Vicarii (adjutores parochorum) in domo » parochi tamquam ejus familiares degunt communi utentes

» victu. Parochis pro Vicarii victu et servitio salarium mo-
» dicum ex Ecclesiæ redditibus solvitur, quod ferendis his
» expensis impar est. Unde consuetudine introductum est ut,
» pro victu et servitio Vicarii parochis in cumulo cedant
» fructus missarum pinguiorum et Vicariis tribuatur stipen-
» dium ordinarium missæ lectæ, unius floreni. In hoc casu
» stipendii ordinarii augmentum solvitur parocho pro victu
» et servitio, ita tamen ut ex stipendiis pinguioribus non
» plus retineatur quam honesta compensatio postulat.

» 2° Ad providendum honestæ suæ sustentationi, parochi
» in pluribus diœcesis locis missas non in determinata ec-
» clesia fundatas, anniversaria necnon alias missas manuales,
» quæ per annum a fidelibus offeruntur quæque parochi
» eorumve Vicarii celebrare nequeunt, e suggestu publicant
» et alibi celebrari curant retenta sibi parte stipendii pro
» administratione et publicatione. Ita v. g. pro missis, quæ
» ad S. Congregationem quovis mense mittuntur ad f. 0,60,
» a fidelibus sæpe offertur stipendium unius floreni. Quoad
» missas fundatas et anniversaria, quæ per annum offerun-
» tur, hæc praxis fere communis est ac populo haud raro
» nota. Quoad alias missas manuales hic usus solummodo
» viget in parochiis ubi cum consensu Ordinarii e suggestu
» publicatum est partem stipendii, nisi fideles obstent, re-
» tentum iri pro sustentatione parochi missasque aliis sa-
» cerdotibus dicendas traditum iri.

» 3° Una alterave adest parochia, ubi Vicarii omnes fere
» missas ad intentionem parochi celebrare debent, qui eis
» præstet victum et servitium, dum ipsi ex ærario ecclesiæ
» determinatam obtinent pensionem.

» Dubitatur num triplex hæc consuetudo a decreto S. C.
» Concilii diei 11 Maii 1904 *De observandis etc.* sit repro-
» bata (1) ».

Porro respondendum censuerunt Emin. Patres: « Attentis omnibus, ad 1^{m} et 3^{m} consuetudinem sustineri. Ad 2^{m} non sustineri et ad mentem ».

Quocirca hæc pauca notasse juvat:

Ad 1^{m} et 3^{m} dubium, solutio optime conciliari posse

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 202.

videtur cum principiis positis in commentario, *Collat.*, X, p. 47. Equidem in duplici memorata consuetudine stipendia missarum non traduntur celebranti in specie sua propria, sed sub forma victus et honestæ sustentationis vicario præstitæ a parocho, qui ad hunc effectum stipendia ex toto vel ex parte sibi retinet. Atvero eleemosynæ missarum in alias res immutatio, quæ stricte proscribitur sub art. 9° Decreti, non est qualiscumque immutatio sed immutatio *negotiatoria* dumtaxat, quemadmodum, l. c., id eruendum duximus ex tenore art. 10ⁱ articulum 9ᵐ determinantis et ex tota decreti œconomia. Immutatio autem, de qua sub dubio 1° et 3°, sane nullo nomine est negotiatoria in supposito, quale juxta exposita obtinet, quod nullum lucrum ex dicta immutatione obveniat parocho: retentio partialis vel totalis stipendii simpliciter cedit in solutionem pensionis a vicario solvendæ parocho cum quo cohabitat.

Non est negandum tamen periculum esse in hujusmodi praxi ne mensura excedatur ac abusus subrepant, nec adeo permittendum foret ut parochi propria auctoritate talem consuetudinem introducant, sed sola auctoritate Episcopi et sub ejusdem vigilantia.

Ad 2ᵐ dubium.

Non est mirum reprobatam fuisse consuetudinem sub 2° descriptam, cum directe contradicat legi severissime inculcatæ de non imminuendo stipendio missæ, alteri sacerdoti commissæ.

Utique exceptiones in jure admittuntur nec a *Decreto* rejiciuntur, uti videsis apud *Collat.*, X, p. 51-53, sed in casu non videntur verificari ac proinde stricta viget lex donec de speciali S. Sedis venia remittatur. Nec in favorem propositæ reductionis invocari possunt expensæ faciendæ in curandis ac transmittendis missis, quas expensas retineri posse jam diximus; proportio namque partis retentæ (40 pro 100) expensas longe excedit.

III

Hisce novissime accesserunt varia responsa ejusdem S. C. Concilii, data die 27 Febr. 1905, quæ successive exhibent laudata *Analecta Eccles.*, XIII, p. 123-125:

Superior Generalis Congregationis a Spiritu Sancto humiliter postulat:

I. An ad art. 7 Decreti *De Observandis,* diei 11 Maii 1904, sub nomine Ordinariorum veniant quoque Prælati Regulares pro suis respectivis subditis.

II. An Episcopi diœcesani et Prælati Regulares, qui aliis Episcopis seu Prælatis Regularibus Missas cum sua eleemosyna celebrandas tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevati censeantur; an potius obligatione teneantur usque dum peractæ celebrationis fidem sint assequuti.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* (1).

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam (2).

Card. VINCENTIUS, Ep. Prænest., *Præfectus.*

L. ✠ S.

CAJETANUS DE LAI, *Secretarius.*

IV

Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum, relate ad Decretum S. C. Concilii, diei 11 Maii 1904, quoad Missas manuales, humiliter petit solutionem sequentium dubiorum:

---

(1) Cf *Collat.*, tom. IX, p. 661, ubi diximus sub nomine *Ordinarii*, de quibus ad art. 4^{m}, adeoque etiam, uti ex ipsa connexione liquet, ad art. 7^{m}, designari non tantum Episcopum sed etiam Superiorem seu Prælatum Regularem, attentis restrictionibus ibidem inductis.

(2) In dicto articulo 7° obligatio exigendi celebrationis fidem non obscure restringitur *ad solum casum* quo Ordinarii *privatis sacerdotibus* missas commiserint celebrandas; additur namque: « firma semper regula art. 6^{i} de obligatione, donec a *sacerdotibus* actæ celebrationis fidem exegerint ». Quotiescumque igitur missas tradiderint S. Sedi aut aliis Ordinariis, Episcopis scilicet seu Prælatis Regularibus, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevantur.

I. An juxta art. 2 termini persolutionis statui possint:

usque ad	10	Missas	1	mensis
»	20	»	2	mensium
»	40	»	3	»
»	60	»	4	»
»	80	»	5	»
»	100	»	6	»

et ita porro pro quibuslibet 20 Missis unum mensem addendo.

II. An hi termini intelligantur seorsim quoad quemlibet stipendium offerentem, vel etiam intelligi possint cumulative quoad omnes aliqua occasione v. g. in aliqua solemnitate offerentes; ita ut si tunc stipendia offeruntur a 100 oblatoribus, a quolibet pro una Missa, omnes hæ Missæ in termino sex mensium persolvi debeant.

III. An in casu art. 7 pro sacerdotibus qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Apostolicæ Sedis a die quo Ordinarius ipsis stipendia tribuit.

IV. An ista stipendia, etsi primario a pluribus offerentibus data, tamen in casu art. 7 tamquam ab uno scilicet Ordinario oblata censenda sint.

V. An liceat Ordinario omnibus his Missis communem generalem intentionem (ad intentionem dantium) præscribere, etsi a primariis offerentibus speciales intentiones præscriptæ fuissent.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres, propositis dubiis, ita respondendum censuit:

Ad I. Rem relinqui discreto judicio et conscientiæ sacerdotum juxta Decretum et regulas a probatis doctoribus traditas (1).

---

(1) Videtur S. Congr. innuere determinationem suam, circa tempus legale, non esse mathematice sumendam sed moraliter et approximative; non improbat autem computum in dubio indicatum, qui cæteroquin computus, licet alia forsan ratione confectus, vix non convenit cum computu, quem, *Collat.*, tom. IV, p. 604, proposuimus: sola differt determinatio prima, cum, juxta nostrum modum computandi, præsto foret tempus liberum 45 dierum (10 + 30 + 5) et non unius tantum mensis.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem ; *negative* ad secundam, dummodo aliter non constet de voluntate oblatorum (1).

Ad III. *Affirmative*, idest obligationem incipere a die quo sacerdotes Missas celebrandas ab Ordinario recipiunt (2).

Ad IV. Episcopus curet ut quatenus fieri possit Missæ, a pluribus receptæ, a pluribus sacerdotibus tempore debito satisfiant (3).

Ad V. Sufficere ut sacerdotes celebrent juxta mentem Ordinarii ; qui tamen intentionem pro singulis offerentibus efformare debet juxta regulas a probatis theologiæ moralis auctoribus traditas. Melius tamen esse si patefiant sacerdotibus intentiones præscriptæ (4).

Card. VINCENTIUS, Ep. Prænest., *Præfectus*.

L. ✠ S.

CAJETANUS DE LAI, *Secretarius*.

---

(1) Ita manet quod scripsimus, *Collat.*, tom. IX, p. 605 : « Patet temporis legalis computationem esse faciendam juxta numerum missarum *unius ejusdemque donationis*, ita ut missæ sejunctim concessæ sejunctim sint computandæ pro temporis determinatione ».

(2) Sacerdotes igitur, missas accipientes e manu Ordinarii, tanto temporis spatio uti possunt pro exoneratione ac si essent primùm traditæ eleemosynæ die qua eas ab Ordinario acceperint, nec ulla ratio illis est habenda diei qua primarii donatores stipendia obtulerunt. Quod valet indiscriminatim tam pro missis pro quibus, momento quo ad Ordinarium fuerunt directæ, tempus legale jam præteriit, quam pro reliquis ; limitatur autem dictum privilegium solis dumtaxat missis ab *Ordinario* acceptis, ad exclusionem illarum quæ a *privato sacerdote* fuerunt receptæ : pro hisce nempe tempus computandum est a die primæ traditionis, ad normam dictorum apud *Collat.*, IX, p. 605.

(3) Solutio data ad 2m dubium urgetur observanda, in quantum fieri potest, etiam pro casu quo Ordinarius missas, de quo modò, sacerdotibus erogat. Et ideo Episcopus, in distributione missarum, debet, pro posse, missas sejunctim acceptas sejunctim tradere celebrandas, adeo ut tempus legale pro celebratione computetur non juxta cumulum missarum sed juxta distinctas donationes.

(4) Quamvis præstaret, non requiritur tamen ut sacerdotes, missas sic acceptas celebrantes, distincte cognoscant varias intentiones a primariis oblatoribus præscriptas. Sufficit, quod omninò pustulatur, ut intentio sit objective determinata eique implicite sese conforment litantes, quatenus nimirum celebrent ad mentem Episcopi, qui intentionem efformaverit singulis missis convenientem.

Pro efformanda autem illa intentione sufficit Episcopo ut missarum onera successive accepta ex ordine consignanda curet cum respectiva intentione, utque juxta descriptum ordinem committantur exoneranda, servata distinctione inter varias missarum series ad diversas intentiones traditas.

V

Episcopus S. Deodati ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus humillime exponit:

I. Mos invaluit in sua diœcesi, ut Vicarii apud parochos in domo curiali degentes, pensionem non argento exsolvant, sed Missæ suæ quotidianæ, sive lectæ sive cantatæ eleemosynam parocho dimittant. Quæritur utrum mos ille licite possit retineri.

II. Vigore plurium Indultorum, idem Episcopus Orator concedere potest sacerdotibus suæ diœcesis facultatem recipiendi eleemosynam vel pro secunda Missa, vel pro Missis dierum festorum in Gallia suppressorum, dummodo supradicta eleemosyna pro suæ diœcesis operibus piis applicetur. Porro vestigiis trium suorum antecessorum inhærens, idem Orator Episcopus concessit sacerdotibus, ut quæcumquæ sit eleemosynæ quantitas, ad Cancellariam episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodalis, idest Lib. 1,50. Quæritur an hæc Episcopi concessio sit legitima.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative*, dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur, super quo Ordinarii erit vigilare (1).

Ad II. *Negative* (2).

Card. VINCENTIUS, Ep. Prænest., *Præfectus*.

L. ✠ S.

CAJETANUS DE LAI, *Secretarius*.

---

(1) Confirmatur responsum datum ad dubium 1[m] et 3[m] Episcopi Bredanensis, de quo suprà.

(2) Non sustinetur ergo praxis juxta quam sacerdotes, pro missa binationis, et parochi, pro missa dierum festorum abrogatorum, vi indulti stipendium acceptantes, in favorem pii operis, sibi retinent partem eleemosynæ quæ excedit taxam synodalem intimam, pro missis privatis statutam.

Integrum nempe stipendium missæ celebrationi correspondens remittendum est bono operi: unice namque in hujus gratiam concessum est privilegium stipendium accipiendi, nec vult Ecclesia ut sacerdotes inde ditiores evadant; nihil obstat tamen quominus retineatur pars quæ locum tenet congruæ pastoralis, puta in missis exequialibus et nuptialibus, quibus, saltem in nostris regionibus, adnexa sunt jura stolæ. Cf. *Collat.*, tom. X, p. 52.

A. DE SMET.

DISSERTATIO

De Frequenti Communione

(Sequitur. — Cfr. supra, pag. 218).

Objectiones non desunt, a benignioris sententiæ patronis contra primam hujus tertiæ propositionis partem opponi solitæ. Potissimum provocant:

1°/ *ad exemplum primitivæ Ecclesiæ,* quasi primi christiani, in tribus primis sæculis, indiscriminatim communicarent quotidie. Supposito enim facto quod opponitur, ægre sustinetur paritas cum christianis nostri temporis: non est dubium nempe ferventiores fuisse discipulos inchoantis Ecclesiæ, eosque, ratione junioris fidei ac instantis persecutionis, majori indiguisse robore ac firmamento, ob quam indigentiam peculiarem, juxta superius dicta, facilius concederetur frequens Eucharistiæ susceptio (1). Unde « dicendum, cum S. Bonaventura (2), quod si quis videat se in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare ».

Quod autem spectat factum utrum initio Ecclesiæ Christiani solerent quotidie communicare, non ita liquet; saltem, quod hic obiter notasse sufficiat, non omnia argumenta, in favorem hujus praxeos adducta, sunt æque convincentia. Ita in specie textus Act. Apost., II, 46 (3), ad quem plerumque provocatur,

(1) S. Thomas, in l. IV Sent., Dist. XII, qu. III, art. 1°, sol. III, « Secundum diversos status fidei diversus mos de hoc inolevit. Nam in primitiva Ecclesia, quando vigebat devotio major ex propinquitate passionis Christi, et erat major impugnatio ab infidelibus,... quotidie communicandum fidelibus indicebatur ».

(2) Dalgairns, op. cit., p. 247.

(3) « Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem (κλωντες τε κατ' οικον αρτον, et non τον αρτον, sicuti in v. 42), sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis ».

probabilius non applicatur, secus ac v. 42, Eucharistiæ, uti docent, contra alios (1), Beelen (2) et Battifol (3).

Ipsam vero connexionem, quam docent adfuisse in prioribus sæculis Ecclesiæ, inter communionem et missæ assistentiam, ita ut assistentes simul cum celebrante communicarent, illam, inquam, connexionem libenter admittimus (4), sed negamus inde consequi usum quotidianæ communionis : præsto sunt enim indicia quæ suadeant divina mysteria, in primordiis Ecclesiæ, non fuisse celebrata, pluribus saltem in regionibus, nisi sola die dominica (5), vel statutis dumtaxat ac determinatis diebus (6).

Equidem mos erat Eucharistiam in domos privatas referendi, ibidemque reservandi et manducandi (7); atvero nullibi dicitur quod Eucharistia sic reservata quotidie sumeretur, ac nihil probat hunc morem fuisse generalem quoad locum et tempus et personas; imo non desunt Auctores tenentes illam praxim fuisse primitus restrictam ad tempus sævientis persecutionis, ac,

---

(1) Funk, *Histoire de l'Eglise,* tom. I, p. 100; Dr Högl, *Uber den oftmaligen empfang der heiligen kommunion in allen zeiten,* apud *Theol. Prakt. Quartalschrift,* Lintz, 1898, p. 847; Probst, *Verwaltung der Eucharistie als Sacrament,* Tübingen, 1857, p. 103; Heuser, apud *Kirchenlexikon,* Vo kommunion, sub VII.

(2) *Het Nieuwe Testament,* ad h. l.

(3) *Bulletin de Littérature ecclésiastique,* 1904, p. 293-296.

(4) S. Justinus, Apol. I, cap. 65: « Postquam vero is qui præest preces absolvit et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt, unicuique præsentium participanda distribuunt et ad absentes perferunt ». Item S. Cyprianus, *De Lapsis,* c. 25, edit. Hartel.

(5) *Act. Apost.,* XX, 7-11; *Doctrina XII Apostolorum,* ed. Funk, XIV, 1; Justinus, l. c., c. 67 : « solis, ut dicitur, die ».

(6) Plinius, Ep. X, 97 : « stato die »; Tertulianus, *De Oratione,* c. 19 : « stationum diebus ». Cf. etiam G. Morin, *Jours Aliturgiques,* apud *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie,* ad h. v.

(7) S. Cyprianus, *De Lapsis,* cap. 26; Tertulianus, *De Oratione,* c. 19; et in l. II, *Ad Uxorem,* c. 5 : « Non sciet maritus (ethnicus) quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur ». Cf. etiam Duchesne, *Origines du culte chrétien,* 3e edit , 1902, p. 249; Martygny, *Dictionnaire des Antiquités chrétiennes,* Vo Communion; Heuser, *Kirchenlexikon,* l. c., sub III.

aliis temporibus, potissimum extitisse in gratiam absentium a mysteriorum celebratione.

Opponitur 2°/ *exemplum sacerdotum*, qui, uti ratiocinantur adversarii, non omnes immunes sunt ab affectu actuali ad peccatum veniale, vel non sunt actualiter devoti in missæ celebratione, et tamen ab omnibus permittuntur quotidie non tantum communicare sed etiam sacrosanctum missæ sacrificium offerre.

Respondetur quod, si ex una parte celebrans ad perfectiorem dispositionem tenetur quam reliqui fideles, tum ratione dignitatis ac vocationis, tum ratione augustissimi quo fungitur muneris, ex alia tamen parte irreverentia, quam inesse vidimus communioni cum obice secundum quid peractæ, facilius abstergitur propter gravissimam rationem: ne scilicet, juxta verba S. Bonaventuræ, apud Dalgairns, op. cit., p. 265, a missa abstinendo, « privet Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio ». (1) Accedit vigens consuetudo ut sacerdos quotidie litet, qua stante consuetudine, admirationem facile moveret omissa missa. Cæterum, si sacerdoti major ratio est quotidie celebrandi quam laico quotidie communicandi, urgentior quoque sacerdoti ratio est ita vivendi ut quotidie dignus inveniatur.

3°/ Neque valet *tertia objectio*, qua potissimum nituntur adversarii, quatenus peccati lethalis non conscii, licet venialibus adhærentes et mente distracti, in communione tamen recipiant gratiæ augmentum, incrementum nempe illius pretiosissimi doni: quod non satis a nobis attendi jactitant.

Hæc objectio ingreditur medullam quæstionis et ipsum attingit nodum controversiæ. Nullatenus nega-

(1) Cf. S. Thom., in l. IV Sent., Dist. XII, qu. III, art. 1, sol. IV, ad 1m; Coubé, op. cit., p. 161; Billuart, *Summa S. Thomæ, De Euchar.*, Dissert , art. 1, par. 5.

mus gratiam augeri non obstante affectu ad veniale (1), vel mentis divagatione, nec parvifacimus donum eximium adauctum; sed vidimus irreverentiam inesse non adeo levem in accessu ad communionem cum obice secundum quid, nec illam abstergi vel recedere nisi coram necessitate aliqua spirituali sublevanda.

Quæstio igitur est præcise in hoc utrum frequenti ac quotidiano illo augmento gratiæ sanctificantis ita indigeant fideles, in communiter contingentibus, ut ab illa irreverentia excusentur. Nobis autem videtur quod non, uti diximus, et illam necessitatem ab hujusmodi irreverentia excusantem non admittimus, nisi relate ad communionem non frequentem, uti in propositione sequenti evolvetur, vel in ordine ad frequentiorem quidem accessum, sed in quibusdam peculiaribus dumtaxat adjunctis de quibus suprà.

Cæteroquin sedulò advertendum venit augmentum gratiæ minui pro decrescente dispositione, ac proinde parum augeri gratiam in illis qui venialibus adhærent ac mente vagantur. Ulterius novimus, ex supradictis, præfatum obicem secundum quid impedire fervorem charitatis, quo vita spiritualis fervescat, ac saporem spiritualem, quo tædio occurratur ac fastidio, quod facile invadet, uti notavimus, cum hujusmodi obice communicantes frequenter et extra peculiaris inopiæ conscientiam.

Quæ adeo urgent nonnulli Auctores ut, etiam abstractione facta ab irreverentiæ reatu, utilius judicent pro anima, etiam gratia sanctificante instructa, a frequenti communione abstinere. Cf. Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, tom. I, p. 521; Coubé, op. cit., p. 117-118; Dalgairns, op. cit., p. 250 et 268.

*
* *

(1) Circa controversiam olim inter Scholasticos agitatam, cf. Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, tom. I; p. 509 et seq. et, in diversum sensum, S. Thomam, *in l. IV Sent.*, Dist. XII, qu. II, art. 1, sol. III, ex una parte, et in *Summa*, P. III, qu. 79, art. 8, ex alia parte.

Propositio Quarta.

Seclusis peculiaris indigentiæ adjunctis, communio hebdomadaria consulenda est, supposito statu gratiæ, reliquis passim fidelibus christianè viventibus, et seria adhibentibus conamina ad vitandum peccatum mortale.

Explicatur.

Profectò communio hebdomadaria non est stricte necessaria ad salutem nec ad perseverantiam in gratia; sed tanta est SS. Sacramenti virtus in conservanda gratia, ac tanta efficacia in munimine præstando ac tutela contra peccatum mortale ac ingravescentes tentationes, ut durum foret passim fideles a communione arcere per tempus octiduo diutius, ipsisque diutius subtrahere angelicum cibum quo vitam securius sustentent ac foveant (1).

Quo pacto, licet non detur vera necessitas cui succurratur, ratio tamen habetur sufficienter urgens ut illa communio singulis dominicis permittatur ac suadeatur bonis communiter christianis, non obstante præsentia obicis secundum quid; eo enim ipso abstergitur irreverentia quæ de se inesset accessui cum affectu ad venialia vel minori cum devotione. Quæ cæteroquin devotio facilius aderit quam apud frequenter vel quotidie accedentes, ex eo quod rarius communicantes generatim cautius se præparabunt ac magis percipient indigentiam cœlestis alimoniæ: eo ipso etiam minus timendum est fastidii periculum.

Hæc autem magis urgent respectu juvenum qui concupiscentiæ morsibus ac passionis aculeis sunt obnoxii, adeoque efficaciori munimine contra peccatum et tentationes indigent, seposita etiam peculiari conditione in qua degunt illi de quibus sub propositione tertia.

Salutarem hanc praxim communionis hebdomadariæ instanter ac eloquenter promovet R. P. Coubé in sæpe

(1) Hanc determinationem temporis accurate urgere nolumus, uti sponte patet, sed eam uti approximativam proponimus, aliqua latitudine relicta.

laudato opere, a S. Pontifice Leone XIII necnon a plurimis Episcopis summopere commendato, in quo opere totus quantus est Auctor in compellandis christianis ad communionem dominicalem : « Les chrétiens ordinaires, ait p. 165, feront bien d'y aller chaque semaine. La communion hebdomadaire est vraiment, comme le dit Mgr de Segur (1), la communion ordinaire des bons chrétiens » (2).

Quam doctrinam egregiam probat Illustr. Episcopus Brugensis, scribens ad Auctorem : « On ne saurait assez louer le but de votre travail, qui est de pousser la masse des chrétiens à s'approcher de la Sainte Table tous les huit jours.... je souhaite que la lecture des pages si attachantes, écrites à la gloire de l'Eucharistie, inspire à beaucoup de chrétiens généreux de devenir, non seulement les adhérents, mais encore les apôtres de la communion hebdomadaire » (3).

S. Alphonsus, *Praxis Confessarii,* n. 149, non removet a communione hebdomadaria fideles, licet « committunt ordinarie peccata venialia deliberata, et nulla in eis emendatio neque desiderium emendationis effulget ». In *Instit. Catech.,* p. 2, cap. 4, n. 9, « Qui vitam, ait, tepidam agunt, ut saltem possent in gratiam Dei se servare, bonum est ut sumant Corpus Christi *singulis dominicis,* aut saltem bis in mense » (4).

Quodsi S. Franciscus Salesius, *Introduction à la vie dévote,* 2e Partie, chap. XXe, ad hoc ut singulo octiduo

---

(1) Inter promotores communionis frequentis ac hebdomadariæ eminet Ill. DE SÉGUR, cujus opellæ huc potissimum spectantes sunt *La Très-Sainte Communion,* 147e mille, Parisiis, Tolra, 1903 ; et *Tous les huit jours,* 40e mille, ibidem, 1905, in quo altero opusculo narrat, p 44. et seq., priorem libellum solemniter fuisse commendatum a Pio IX, anno 1861.

(2) Hanc consuetudinem promovent etiam plures textus antiquiores citati apud PROBST, op. cit., p. 106.

(3) Cf. COUBÉ, op. cit., p. 33.

(4) Cf. etiam *Votum* Cardin. Carafa in causa ab Episcopo Brixiensi proposita anno 1587, in quo voto hortandos docet fideles ad communionem « singulis dominicis et festis solemnioribus diebus ». Cf. *Analecta Juris Pontificii,* ser. 7o, p. 785.

communicetur necessarium esse dicit « de n'avoir ni péché mortel *ni aucune affection au péché véniel* »; illud erronee deduxit ex textu male intellecto ac falso adscripto S. Augustino, uti ostendit P. Coubé, op. cit., p. 179-180.

*
* *

Propositio Quinta.

Confessarii est judicare in concreto de crebriori vel rariori consulenda communione juxta normas suprà traditas, ratione etiam habita fructus ex communione percepti et attentis etiam variis officiis quæ pro vario vitæ statu pœnitentibus incumbunt.

Explicatur.

1°/ Quod ad confessarium pertineat in hoc negotio dirigere pœnitentem facile liquet. Is enim solus novit interiorem pœnitentis dispositionem et solus conscius est spiritualis indigentiæ uniuscujusque ; quæ duo præcise elementa sunt juxta quæ moderandam esse vidimus frequentiam communionis.

Quæ etiam regula non semel est inculcata in documentis Romanis. Ita præ cæteris in decreto Innocentii XI, anni 1679 (1), in decreto S. C. C. 14 Apr. 1725 (apud *Collectan.* S. C. de P. F., n. 711), in responsis S. Pœnitentiariæ 19 Nov. 1885, et S. C. Episc. et Regul. 4 Aug. 1888 (2), necnon in decreto S. C. Episc. et Regul., diei 17 Dec. 1890, circa directionem monialium (3). Cf. etiam Arato, *De Heilige Communie,* Leodii, 1896, p. 216; Dalgairns, op. cit., p. 277 et 285.

---

(1) « Multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multa e contra gratiæ et Dei dona parvulis concessa; quæ cum *humanis* oculis scrutari non possint, nihil certi de cujusque dignitate atque integritate et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui ». Cf. n. 2.

(2) Battandier, op. cit., n. 219.

(3) n. V: « Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad S. Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas sua decernit hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in

2°/ In judicio suo efformando, præter normas supra traditas, ipsum multum juvabit experientia circa fructum a pœnitente ex communione perceptum, ex qua experientia a posteriori constabit utrum recte necne normam applicuerit ac communionis frequentiam moderatus fuerit. Unde, uti docet S. Thomas (1) « si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui et fervorem non multum augeri talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia et devotione postmodum accederet ».

Quam experimentalem methodum probant ac suadent decreta 1587 et 1679; eam etiam commendat S. Alphonsus, *Praxis Confessarii*, n. 155, ubi addit: « neque ad prosequendas communiones... oportet ut anima *sentiat* aut *aperte in se discernat* augmentum fervoris, quoniam non rarò hoc sacramentum operatur absque eo quod ipsi animadvertamus ». Signum quoque optimum fructus e communione percepti est, si quis observantior fiat officiorum charitatis in proximum tum lingua tum opere servandorum.

3°/ Convenienti supposita dispositione, oportet ut a confessario, in pœnitentis directione, præ oculis habeantur vitæ conditio ac officia status in quo versatur pœnitens, ne scilicet communionem suadeat ad quam accedere nequit sine detrimento rei familiaris, educationis prolium etc. « Solers tamen prudentia, uti monet Lahousse, op. cit., n. 158, haud rarò officia status et frequentem communionem inter se componere potest ».

---

re sese ingerendi, exceptò casu quo aliquis ex eorum subditis, post ultimam sacramentalem confessionem, communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Pœnitentiæ Sacramentum denuò accesserit ». Cf. etiam n. VI; quæ puncta codificata sunt in *Normis*, sub n° 152. Circa directionem monialium in hac re cf. VERMEERSCH, op. cit., tom. I, n. 465.

(1) *In Libros Sentent.*, in IV, Dist. XII, qu. III, art. 1, sol. II.

Potest etiam fieri quod utile sit pro quotidie communicante, cæteroquin bene disposito, interdum abstinere pro prudenti judicio confessarii, de quo cf. S. Alph., *Praxis Confessarii,* n. 152.

*
* *

Conclusio.

Si bene attenduntur principia supra explicata circa communionis frequentiam et dispositiones requisitas, apparet ordinariam sufficere vitam christianam ad communionem *dominicalem*, nec etiam extraordinarias ac difficiles dispositiones postulari ut accessus *frequens ac quotidianus* suadeatur.

Non est proinde negandum, in nostris multisque aliis regionibus, plebem christianam, generatim sumptam, satis longe adhuc abesse ab optanda frequentia SS. Sacramenti, quod quidam infausto jansenismi influxui adhuc perduranti haud parum tribuendum censent, et in partibus Galliæ ita esse non dubitamus; apud nos vero non putamus passim frequentiorem fuisse usum sacræ communionis ante quam post exortum jansenismum, neque discrimen esse hac in parte nostrates inter et alias plures nationes rite catholicas (1).

Quapropter sacerdotes non desistant zelosè promovere crebriorem SS. Eucharistiæ susceptionem, tum publicis adhortationibus, tum privatis suasionibus in tribunali Pœnitentiæ. Equidem urgendi sunt fideles ut debite sese præparent ac reverenter et devote divino pane reficiantur, sed vitandus est omnis excessus, ac vitanda ea insistentia in dispositionum necessitate, qua, prætextu insufficientis dispositionis vel reverentiæ servandæ, magis magisque a S. communione abalienentur.

---

(1) Fata decrescentis ac recrudescentis frequentiæ communionis, per varias Ecclesiæ vicissitudines, inde a sæculo 4° usque ad nostra tempora, breviter ac nitide exponit, simul indicatis causis quæ in alterutrum sensum influxum exercuerunt, Dr J. Hoffmann, *Die hl. kommunion im glauben und leben der christlichen vergangenheit,* München, 1904, p. 88-100.

Opportunius potius videtur, attenta communiter observata socordia et segnitie circa communionis frequentiam, fructus extollere eximios ac vota exponere Christi et Ecclesiæ pro frequenti accessu, ac facilitatem simul acquirendi dispositiones requisitas. Quo pacto dubitandum est de felici exitu disquisitionum, quales motæ sunt a P. Godts et D. Chatel, in opellis suprà memoratis (1).

Licet nimirum reprobanda sit, vel nobis saltem, uti supra docuimus, reprobanda videatur theoria, quam impugnant laudati Auctores, de sufficientia status gratiæ ad communionem frequentem et quotidianam, timendum est tamen ne, quemadmodum instanter monet R. P. Lintelo, op. cit., p. 8, 16-17, 21-22, hujusmodi scripta, inopportune urgentia dispositiones necessarias, et contra frequentis communionis abusum insurgentia, rariorem adhuc reddant Eucharistiæ susceptionem, ac proinde detrimento potius sint quam profectui : ipse vero P. Lintelo, ibidem, p. 10-18, nimium favet benigniori doctrinæ quam oppugnavimus.

Potissimum conatus suos dirigat sacerdos ut communionis *hebdomadariæ* quam latissime diffundat, prudenter tamen ac provide et salva directione auctoritatis respectivæ, absque præpropera etiam festinatione, incipiendo a reformanda praxi, ubi opus est, pro pueris et sodalibus congregationum, eos gradatim ducendo ad communionem menstruam, et a menstrua ad dominicalem communionem, hujus excellentiam proclamando ac utilitatem eximiam ; non vanis et vacuis exhortationibus et increpationibus, sed arguendo in patientia et doctrina : provocando ad mentem Ecclesiæ, ad inopiam nostram sublevandam, et eminentem virtutem angelicæ mensæ, inanes multorum timores refutando, ac specio-

(1) Hisce opellis novissime accesserunt *Réponse au R. P. Lintelo*, Bruxelles, Dewit, auctore R. P. Godts, et *Réponse de l'Abbé Chatel aux RR. PP. Couet et Lintelo*, Bruxelles.

sas abstinendi causas ; rationes theologicas exponendo deductas ex analogia cum cibo corporali et signanter ex connexione intima inter communionem et assistentiam missarum solemniis, inculcando fidelibus sensum mysteriorum altaris partesque quas habere debeat populus fidelis in divina victima offerenda et consummanda simul cum sacerdote.

Ad quem generosum apostolatum eloquenter et paterne sacerdotes invitat f. m. Leo XIII, in laudatis Litteris Encyclicis, ad calcem : « Sacerdotes enim, quibus Christus Redemptor Corporis et Sanguinis sui mysteria conficiendi ac dispensandi tradidit munus, nihil profecto melius pro summo accepto honore queant rependere, quam ut Ipsius Eucharisticam gloriam omni ope provehant, optatisque sacratissimi Cordis ejus obsequendo, animos hominum ad salutiferos tanti sacramenti sacrificiique fontes invitent ac pertrahant.

Ita fiat, quod vehementer cupimus, ut præcellentes Eucharistiæ fructus quotidie uberiores proveniant, fide, spe, caritate, omni denique christiana virtute, feliciter accrescente ; idque in sanationem atque emolumentum rei quoique publicæ ».

Præcipuam namque causam decrescentis fidei ac virtutis christianæ, desertioni mensæ Eucharisticæ inhæsitanter adscribit Pontifex : « Au temps présent, scribit ad R. P. Coubé, op. cit., p. 17, et dans l'état de choses actuel, tous les esprits droits et pieux voient avec douleur l'ardeur à confesser la foi et l'antique pureté de mœurs disparaître chez un grand nombre d'hommes. Si l'on recherche la cause du mal, on la trouve principalement dans ce fait que l'amour et l'usage du banquet eucharistique languissent chez la plupart et n'existent plus chez beaucoup. C'est ce que déplorait déjà l'Apôtre, quand il écrivait aux Corinthiens : Voilà pourquoi beaucoup parmi vous sont faibles et beaucoup s'endorment ».

A. De Smet.

Consultatio.

Quæritur. Ad celebrandas laudes vespertinas licetne officiatori per totum tempus functionis servare velum humerale?

Respondetur: *Negative.* Hoc enim omnino pugnat cum natura et fine veli humeralis, quod non est proprie indumentum seu vestimentum, sed tantummodo et unice inservit ut majori decentia deferatur pyxis aut ostensorium cum SS° Sacramento.

Sicut vult Ecclesia ut ob reverentiam erga Sanctissimum altare tegatur tobaleis et antipendio, pyxis velo, tabernaculum conopeo, ita requirit sacra liturgia ut, dum datur benedictio aut ad infirmos (1) vel in processione defertur Sanctissimum, manus sacerdotis et ipsa pyxis aut saltem ostensorii pes tegantur velo oblongo albi coloris, quod, ad majorem commoditatem, circumponitur scapulis sacerdotis ut hic « parte veli ante pectus pendente, utraque manu cooperta, ostensorium... reverenter suscipiat » (2).

Et ideo velum humerale assumere licet tantum immediate ante benedictionem SS. Sacramenti, et finita benedictione, statim (ante incensationem) deponi debet (3), etiamsi celebrans non sit pluviali indutus (4).

A pari, in delatione SS. Sacramenti ad infirmos, in cubiculo infirmi statim ac deposita fuerit pyxis in mensa, dimittendum est velum usque dum danda sit ultima benedictio cum SS. Sanctissimo super infirmum.

C. Callewaert.

---

(1) Quandonam liceat pro delatione ad infirmos non induere velum humerale et in bursa alba includere pyxidem, vide *Collat. Brug.* III, p. 392 ss. et 528.

(2) *Rit. Rom.*, tit. IX. cap. V, n. 3.

(3) A pari subdiaconus in missa solemni non servat velum humerale nisi iis momentis quibus de facto tenet calicem aut patenam.

(4) Pro expositione et benedictione cum pyxide seu ciborio (suo velo cooperto) velum quidem humerale sed non pluviale est de præcepto. Sed « in processionibus et *benedictione cum SS. Sacramento in ostensorio impertienda, omnino requiritur* ut celebrans pluviale et velum humerale induat ». S. C. R., 7 Dec. 1888, *Ord. Minorum Capuc.*, n. 3697[12].

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X LITTERÆ ENCYCLICÆ AD SACROS UNIVERSI CATHOLICI ORBIS ANTISTITES DE CHRISTIANA DOCTRINA TRADENDA.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum ordinariis cum Apostolica Sede pacem et communionem habentibus

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Acerbo nimis ac difficili tempore ad supremi pastoris munus, in universum Christi gregem gerendum, arcanum Dei consilium tenuitatem Nostram evexit. Inimicus namque homo sic gregem ipsum jam diu obambulat vaferrimaque insidiatur astutia, ut nunc vel maximé illud factum esse videatur, quod senioribus Ecclesiæ Ephesi prænuntiabat Apostolus: *Ego scio quoniam intrabunt... lupi rapaces in vos, non parcentes gregi* (1). — Cujus quidem religiosæ rei inclinationis, quicumque adhuc divinæ gloriæ studio feruntur, causas rationesque inquirunt; quas dum alii alias afferunt, diversas, pro sua quisque sententia, ad Dei regnum in hisce terris tutandum restituendumque sequuntur vias. Nobis, Venerabiles Fratres, quamvis cetera non respuamus, iis maxime assentiendum videtur, quorum judicio et præsens animorum remissio ac veluti imbecillitas, quæque inde gravissima oriuntur mala, ex divinarum ignoratione rerum præcipue sunt repetenda. Congruit id plane cum eo, quod Deus ipse per Oseam prophetam dixit: ... *Et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis, qui habitat in ea* (2).

Malorum præsentium causa præcipua videtur rerum divinarum ignoratio.

(1) Act. XX, 29.
(2) Os. IV, 1 ss.

Hac ætate in summa religionis ignorantia versantur christiani multi, non tantum plebei sed et ingenio cultuque pollentes.

Et re quidem vera, ætate hac nostra esse quamplurimos in christiano populo, qui in summa ignoratione eorum versentur, quæ ad salutem æternam nosse oportet, communes, eæque proh dolor! non injustæ, sunt querimoniæ. — Quum vero christianum dicimus populum, non plebem tantum aut sequioris cœtus homines significamus, qui sæpenumero aliquam ignorantiæ excusationem ex eo admittunt, quod immitium dominorum imperio cum pareant, vix sibi suisque temporibus servire queunt: sed illos etiam et maxime, qui etsi ingenio cultuque non carent, profana quidem eruditione affatim pollent, ad religionem tamen quod attinet, temere omnino atque imprudenter vivunt. Difficile dictu est quam crassis hi sæpe tenebris obvolvantur; quodque magis dolendum est, in iis tranquille jacent! De summo rerum omnium auctore ac moderatore Deo, de christianæ fidei sapientia nulla fere ipsis cogitatio. Hinc vero nec de Verbi Dei incarnatione, nec de perfecta ab ipso humani generis restauratione quidquam norunt; nihil de Gratia, quæ potissimum est adjumentum ad æternorum adeptionem, nihil de Sacrificio augusto aut de Sacramentis, quibus gratiam ipsam assequimur ac retinemus. Peccato autem quid nequitiæ insit quid turpitudinis nullo pacto æstimatur; unde nec ejus vitandi nec deponendi sollicitudo ulla: sicque ad supremum usque diem venitur, ut sacerdos, ne spes absit salutis, extrema agentium animam momenta, quæ fovendæ maxime caritati in Deum impendi oporteret, edocendo summatim religionem tribuat: si tamen, quod fere usuvenit, usque adeo culpabili ignorantiâ moriens non laboret ut et sacerdotis operam supervacaneam arbitretur et, minime placato Deo, tremendam æternitatis viam securo animo ingrediendam putet. Unde merito scripsit Benedictus XIV decessor Noster: *Illud affirmamus, magnam eorum partem, qui æternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei, quæ scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur* (1).

Inde magna morum corruptela necessario se-

Hæc quum ita sint, Venerabiles Fratres, quid quæso mirabimur, si tanta sit modo inque dies augescat, non inter barbaras inquimus nationes, sed in ipsis gentibus quæ chri-

(1) Instit. XXVI, 18.

stiano nomine feruntur, corruptela morum et consuetudinum depravatio? Paulus quidem apostolus ad Ephesios scribens hæc edicebat: *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium* (1). At vero sanctimoniæ huic ac pudori cupiditatum moderatori divinarum rerum sapientiæ fundamentum posuit: *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes... Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei* (2).

cutā et indies augescens,

Et plane id merito. Voluntas namque hominis inditum ab ipso auctore Deo honesti rectique amorem, quo in bonum non adumbratum sed sincerum veluti rapiebatur, vix retinet adhuc. Corruptelâ primævæ labis depravata, ac Dei factoris sui quasi oblita, eo affectum omnem convertit ut diligat vanitatem et quærat mendacium. Erranti igitur pravisque obcæcatæ cupiditatibus voluntati duce opus est qui monstret viam, ut male desertas repetat justitiæ semitas. Dux autem, non aliunde quæsitus, sed a natura comparatus, mens ipsa est: quæ si germana careat luce, divinarum nempe rerum notitia, illud habebitur, quod cœcus cœco ducatum præstabit et ambo in foveam cadent. Sanctus rex David, quum Deum de veritatis lumine laudaret, quod menti hominum indidisset: *Signatum est*, ajebat, *super nos lumen vultus tui, Domine* (3). Quid porro ex hac largitione luminis sequatur addidit, inquiens: *Dedisti lætitiam in corde meo;* lætitiam videlicet, qua dilatatum cor nostrum, viam mandatorum divinorum currat.

siquidem mens hominis jam non præmonstrat voluntati justitiæ semitas,

Quod revera ita esse facile consideranti patet. Deum namque ejusque infinitas quas perfectiones nominamus, longe exploratius, quam naturæ vires scrutentur, christiana nobis sapientia manifestat. Quid porro? Jubet hæc simul summum ipsum Deum officio *fidei* nos revereri, quæ mentis est; *spei* quæ voluntatis; *caritatis* quæ cordis: sicque totum hominem supremo illi Auctori ac Moderatori mancipat. Similiter una est Jesu Christi doctrina, quæ germanam præstabilemque hominis aperit dignitatem, quippe qui sit

quas christiana sapientia præclarè edocet.

(1) Ephes. V, 3 s.
(2) Ephes. V, 15 ss.
(3) Ps. IV, 7.

filius Patris cælestis qui in cælis est, ad imaginem ejus factus cumque eo æternum beateque victurus. At vero ex hac ipsa dignitate ejusdemque notitiâ infert Christus debere homines se amare invicem ut fratres, vitam heic degere, ut lucis filios decet, *non in commessationibus, et ebrietatibus; non in cubilibus, et impudicitiis; non in contentione, et æmulatione* (1); jubet pariter omnem sollicitudinem nostram projicere in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis; jubet tribuere egenis, benefacere iis qui nos oderunt, æternas animi utilitates fluxis hujus temporis bonis anteponere. Ne autem omnia singulatim attingamus, nonne ex Christi institutione homini superbius audenti demissio animi, quæ veræ gloriæ origo est, suadetur ac præcipitur? *Quicumque... humiliaverit se..., hic est major in regno cælorum* (2). Ex ea prudentiam spiritus docemur, qua prudentiam carnis caveamus; justitiam, qua jus tribuamus cuique suum; fortitudinem, qua parati simus omnia perpeti, erectoque animo pro Deo sempiternaque beatitate patiamur; temperantiam denique, qua vel pauperiem pro regno Dei adamemus, quin et in ipsa cruce gloriemur, confusione contempta. Stat igitur, ab christiana sapientia, non modo intellectum nostrum mutuari lumen, quo veritatem assequatur, sed voluntatem etiam ardorem concipere, quo evehamur in Deum cumque Eo virtutis exercitatione jungamur.

Longe equidem absumus ut ex his asseramus, pravitatem animi corruptionemque morum non posse cum religionis scientia conjungi. Utinam non id plus nimio probarent facta! Contendimus tamen, ubi crassæ ignorantiæ tenebris sit mens circumfusa, nullatenus posse aut rectam voluntatem esse aut mores bonos. Apertis namque oculis si quis incedat, poterit ille sane de recto tutoque itinere declinare: qui tamen cæcitate laborat, huic periculum certe quidem imminet. — Adde porro: corruptionem morum, si fidei lumen penitus non sit extinctum, spem facere emendationis; quod si utrumque jungitur et morum pravitas et fidei ob ignorationem defectio, vix erit medicinæ locus, patetque ad ruinam via.

Quum igitur ex ignorantia religionis tam multa tamque

(1) Rom. XIII, 13.
(2) Matth. XVIII, 4.

gravia deriventur damna; alia vero ex parte, quum tanta sit religiosæ institutionis necessitas atque utilitas, frustra enim christiani hominis officia impleturus speratur qui illa ignoret: jam ulterius inquirendum venit, cujus demum sit perniciosissimam hanc ignorantiam cavere mentibus, adeoque necessaria scientia animos imbuere. — Quæ res, Venerabiles Fratres, nullam habet dubitationem: gravissimum namque id munus ad omnes pertinet, quotquot sunt animarum pastores. Hi sane, ex Christi præcepto, creditas sibi oves agnoscere tenentur ac pascere; pascere autem hoc primum est, docere; *Dabo vobis,* sic nempe Deus per Jeremiam promittebat, *pastores juxta cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ* (1). Unde et Apostolus Paulus ajebat: *Non... misit me Christus baptizare, sed evangelizare* (2), indicans videlicet primas eorum partes, qui regendæ aliquo modo Ecclesiæ sunt positi, esse in instituendis ad sacra fidelibus.

Quarè animarum pastores primas suas partes ducere debent populum suum in doctrina sacra instituere.

Quod ex S. Scriptura colligitur.

Cujus quidem institutionis laudes persequi supervacaneum ducimus, quantique ea sit apud Deum ostendere. Certe miseratio, quam pauperibus ad levandas angustias tribuimus, magnam a Deo habet laudem. At longe majorem quis neget habere studium et laborem, quo, non fluxas corporibus utilitates, sed æternas animis docendo monendoque conciliamus? Nihil profecto optatius, nihil gratius queat Jesu Christo animarum servatori accidere, qui de se per Isaiam professus est: *Evangelizare pauperibus misit me* (3).

Hic tamen præstat, Venerabiles Fratres, hoc unum consectari atque urgere, nullo sacerdotem quemlibet graviori officio teneri, nullo arctiori nexu obligari. Etenim in sacerdote ad vitæ sanctimoniam debere scientiam adiici, quis neget? *Labia... sacerdotis custodient scientiam* (4). Atque illam reapse severissime Ecclesia requirit in iis qui sint sacerdotio initiandi. Quorsum id vero? Quia scilicet ab eis divinæ legis notitiam christiana plebs expectat, illosque ad eam impertiendam destinat Deus: *Et legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est* (5). Quamobrem Episcopus, in

(1) Jer. III, 15.
(2) I, Cor. I, 17.
(3) Luc. IV, 18.
(4) Malach. II, 7.
(5) Ib.

sacra initiatione, sacerdotii candidatos alloquens : *Sit*, inquit, *doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei ; sint providi cooperatores ordinis nostri ; ut in lege sua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant* (1).

Quod si nemo est sacerdos, ad quem hæc non pertineant, quid porro de illis censebimus, qui, nomine ac potestate curionum aucti, animarum rectoris munere, vi dignitatis et quodam quasi pacto inito, funguntur ? Hi quodammodo pastoribus et doctoribus sunt accensendi, quos dedit Christus ut fideles jam non sint parvuli fluctuantes, et circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ; veritatem autem facientes in caritate, crescant in illo per omnia, qui est caput Christus (2).

Idem Tridentina Synodus edicit, variisque præceptis urget

Quapropter sacrosancta Tridentina Synodus, de animarum pastoribus agens, officium eorum hoc primum et maximum esse edicit, christianam plebem docere (3). Hinc jubet illos, dominicis saltem diebus festisque sollemnioribus, de religione ad populum dicere, sacri vero Adventus tempore et Quadragesimæ quotidie, vel saltem ter in hebdomada. Neque id modo : addit namque teneri parochos, eisdem saltem dominicis festisque diebus, per se vel per alios, in fidei veritatibus erudire pueros, eosque ad obedientiam in Deum ac parentes instituere. Quum vero sacramenta fuerint administranda, præcipit, ut qui sunt suscepturi, de eorumdem vi, facili vulgarique sermone, doceantur.

quæ Bened. XIV distinctius definivit.

Quas sacrosanctæ Synodi præscriptiones Benedictus XIV decessor Noster, in sua Constitutione *Etsi minime*, sic brevi complexus est ac distinctius definivit : *Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita : alterum, ut festis diebus de rebus divinis sermones ad populum habeant ; alterum, ut pueros et rudiores quosque divinæ legis fideique rudimentis informent.* — Jure autem sapientissimus Pontifex duplex hoc officium distinguit, sermonis videlicet habendi, quem vulgo Evangelii explicationem vocitant, et christianæ doctrinæ tradendæ. Non enim fortasse desint qui, minuendi laboris

(1) Pontif. Rom.

(2) Ephes. IV, 14, 15.

(3) Sess. V, cap. 2 de ref.; Sess. XXII, cap. 8; Sess. XXIV, cap. 4 et 7 de ref.

cupidi, persuadeant sibi homiliam pro catechesi esse posse. Quod quam putetur perperam, consideranti patet. Qui enim sermo de sacro Evangelio habetur, ad eos instituitur, quos fidei elementis imbutos jam esse oportet. Panem diceres, qui adultis frangatur. Catechetica e contra institutio lac illud est, quod Petrus Apostolus concupisci sine dolo a fidelibus volebat, quasi a modo genitis infantibus. — Hoc scilicet catechistæ munus est, veritatem aliquam tractandam suscipere vel ad fidem vel ad christianos mores pertinentem, eamque omni ex parte illustrare: quoniam vero emendatio vitæ finis docendi esse debet, oportet catechistam comparationem instituere ea inter quæ Deus agenda præcipit quæque homines reapse agunt; post hæc, exemplis opportune usum, quæ vel e Scripturis sacris, vel ex Ecclesiastica historia, vel e sanctorum virorum vita sapienter hauserit, suadere auditores eisque, intento veluti digito, commonstrare quo pacto componant mores; finem denique hortando facere, ut qui adstant horreant vitia ac declinent, virtutem sectentur.

Munus catechistæ describitur;

Scimus equidem ejusmodi tradendæ christianæ doctrinæ munus haud paucis invidiosum esse, quod minoris vulgo æstimetur nec forte ad popularem laudem captandam aptum. Nos tamen hoc esse judicium eorum censemus, qui levitate magis quam veritate ducuntur. Oratores profecto Sacros, qui, sincero divinæ gloriæ studio, vel vindicandæ tuendæque fidei, vel Sanctorum laudationibus dent operam, probandos esse non recusamus. Verum illorum labor laborem alium prævium desiderat, scilicet catechistarum; qui si deest, fundamenta desunt, atque in vanum laborant qui ædificant domum. Nimium sæpe orationes ornatissimæ, quæ confertissimæ concionis plausu excipiuntur, hoc unum assequuntur ut pruriant auribus; animos nullatenus movent. E contra catechetica institutio, humilis quamvis et simplex, verbum illud est, de quo Deus ipse testatur per Isaiam: *Quomodo descendit imber, et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen seminti, et panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud* (1). — Similiter arbi-

ejusque præstantia et utilitas præ illo concionatoris ac scriptoris monstratur.

(1) Is. LV, 10, 11.

trandum putamus de sacerdotibus iis, qui, ad religionis veritates illustrandas, libros operosos conscribunt; digni plane qui ideo commendatione multa exornentur. Quotus tamen quisque est, qui ejusmodi volumina verset, fructumque inde hauriat auctorum labori atque optatis respondentem? Traditio autem christianæ doctrinæ, si rite fiat, utilitatem audientibus nunquam non affert.

Ex crassa multorum in re religiosa ignorantia

Etenim (quod ad inflammandum studium ministrorum Dei iterum advertisse juverit) ingens modo eorum est numerus atque in dies augetur, qui de religione omnino ignorant, vel eam tantum de Deo christianæque fidei notitiam habent, quæ illos permittat, in media luce catholicæ veritatis, idololatrarum more vivere. Quam multi eheu! sunt, non pueros dicimus, sed adulta, quin etiam devexa ætate, qui præcipua fidei mysteria nesciant prorsus; qui Christi nomine audito, respondeant: *Quis est,... ut credam in eum?* (1) — Hinc odia in alios struere ac nutrire, pactiones conflare iniquissimas, inhonestas negotiorum procurationes gerere, aliena gravi fœnore occupare, aliaque id genus flagitiosa haud sibi vitio ducunt. Hinc Christi legem ignorantes, quæ non modo turpia damnat facinora, sed vel ea cogitare scienter atque optare; etsi forte, qualibet demum de causa, obscœnis voluptatibus fere abstinent, inquinatissimas tamen cogitationes, nulla sibi religione injecta, suscipiunt; iniquitates super capillos capitis multiplicantes. — Hæc porro, iterasse juvat, non in agris solum vel inter miseram plebeculam occurrunt, verum etiam ac forte frequentius inter homines amplioris ordinis, atque adeo apud illos quos inflat scientia, qui vana freti eruditione religionem ridere posse autumant et *quæcumque quidem ignorant, blasphemant* (2).

colligitur catechesis tradendæ officium nostris diebus negligentius persolvi.

Jam, si frustra seges e terra speratur quæ semen non exceperit, qui demum bene moratas progenies expectes, si non tempore fuerint christiana doctrina institutæ? — Ex quo colligimus jure, quum fides id ætatis usque eo languerit ut in multis pene sit intermortua, sacræ catechesis tradendæ officium vel negligentius persolvi, vel prætermitti omnino. Perperam enim ad habendam excusationem quis dixerit,

(1) Joan. IX, 36.
(2) Jud. 10.

esse fidem gratuito munere donatam nobis atque in sacro baptismate cuique inditam. Equidem utique quotquot in Christo baptizati sumus fidei habitu augemur; sed divinissimum hoc semen non *ascendit.... et facit ramos magnos* (1) permissum sibi ac veluti virtute insita. Est et in homine, ab exortu, intelligendi vis: ea tamen materno indiget verbo, quo quasi excitata in actum, ut ajunt, exeat. Haud aliter christiano homini accidit, qui, renascens ex aqua et Spiritu Sancto, conceptam secum affert fidem; eget tamen Ecclesiæ institutione, ut ea ali augerique possit fructumque ferre. Ideirco Apostolus scribebat: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (2); institutionis autem necessitudinem ut ostenderet, addit: *Quomodo... audient sine prædicante?* (3)

Quod si, ex huc usque explicatis, religiosa populi eruditio quanti momenti sit ostenditur, curæ Nobis quam quod maxime esse oportet, ut Doctrinæ sacræ præceptio, qua, ut Benedicti XIV decessoris Nostri verbis utamur, ad Dei gloriam et ad animarum salutem nihil utilius est institutum (4) vigeat semper aut, sicubi negligitur, restituatur. — Volentes igitur, Venerabiles Fratres, huic gravissimo supremi apostolatus officio satisfacere, atque unum paremque morem in re tanta ubique esse; suprema Nostra auctoritate, quæ sequuntur, in diœcesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus.

Quapropter plura præcipit Pontifex,

I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horæ spatium, pueros et puellas de iis, quæ quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

II. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad Sacramenta Pœnitentiæ et Confirmationis rite suscipienda præparent, continenti per dies plures institutione.

III. Item, ac peculiari omnino studio; feriis omnibus Quadragesimæ atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis præceptionibus et hortationibus adolescen-

(1) Marc. IV, 32.
(2) Rom. X, 17.
(3) Ib. 14.
(4) Constit. *Etsi minime*, 13.

tulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

IV. In omnibus et singulis paræciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinæ christianæ. Eâ parochi, præsertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adjutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriæ Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

V. Majoribus in urbibus, inque iis præcipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholæ religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitæque christianæ institutis juventam, quæ publicas scholas celebrat, ubi religiosæ rei mentio nulla injicitur.

VI. Quoniam vero, hac præsertim tempestate, grandior ætas non secus ac puerilis religiosa eget institutione; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, præter consuetam homiliam de Evangelio, quæ festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, eâ horâ quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illâ tantum exceptâ qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quæ de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de præceptis Ecclesiæ.

quæ ut prompte et integre executioni mandentur invigilare debent Episcopi, — monendo etiam parochos ut catechesi diligentem præmittant præparationem,

Hæc Nos quidem, Venerabiles Fratres, auctoritate apostolica constituimus et jubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cujusque diœcesi, nullâ morâ atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quæ præcipimus oblivioni dentur, vel, quod idem est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi ne imparati catechesis præceptiones habeant, sed diligenti prius adhibita præparatione; ut ne loquantur humanæ sapientiæ verba, sed, *in simplicitate cordis et sinceritate Dei* (1), Christi exemplum sectentur, qui quamvis *abscondita*

(1) II, Cor. I, 12.

eructaret *a constitutione mundi* (1), loquebatur tamen omnia *in parabolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis* (2). Id ipsum et Apostolos, a Domino institutos, præstitisse novimus; de quibus Gregorius Magnus ajebat: *Curaverunt summopere rudibus populis plana, et capabilia non summa atque ardua, prædicare* (3). Ad religionem autem quod attinet, homines magnam partem rudibus, hac tempestate nostra, sunt accensendi.

cujus necessitas ostenditur.

Nolimus porro, ne ex ejusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi, in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse: quin immo majorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit. Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam qui præceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, nunquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo majore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodent, quibus æque ac sapientibus, ad æternam beatitatem adipiscendam sunt necessariæ.

Jam igitur, Venerabiles Fratres, Mosis verbis, in hac postrema litterarum Nostrarum parte, liceat vos alloqui: *Si quis est Domini, jungatur mihi* (4). Advertite, rogamus quæsumusque, quanta animarum clades ex una divinarum rerum ignoratione veniat. Multa forte utilia planeque laudatione digna, in vestra cujusque diœcesi, sunt a vobis instituta in commissi gregis commodum: velitis tamen, præ omnibus, quanta potestis contentione, quanto studio, quanta assiduitate hoc curare atque urgere, ut doctrinæ christianæ notitia cunctorum pervadat animos penitusque imbuat. *Unusquisque,*

---

(1) Matth. XIII, 35.
(2) Ib. 34.
(3) Moral. l. XVII, cap. 26.
(4) Exod. XXXII, 26.

Petri Apostoli utimur verbis, *sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* (1).

Diligentiam industriasque vestras, beatissima Virgine immaculata intercedente, fortunet vobis Apostolica benedictio, quam, testem caritatis Nostræ ac cælestium gratiarum auspicem, vobis et clero ac populo cuique credito amantissime impertimus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum die XV Aprilis MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

(1) I, Petr. IV, 10.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. X, pag. 257).

477. Tandem pervenimus ad prophetas, qui post reditum e captivitate babylonica inter Judæos vixerunt. Residuus iste populus Dei jam ab idololatria plane sanatus erat, et ad adventum usque Messiæ ad idola non defecturus. Unde prophetarum missio jam non erat ab idololatria avertere, et, si vitia quædam sacerdotibus et populo exprobrant in cultu divino, alio spectant istæ exprobrationes et hortamenta ad conversionem et pietatem. Sed munus propheticum in eo potissimum erat ut populo animos adderet et fiduciam in Deo, donec veniret Messias Salvator.

Primus hujus temporis, quorum scripta in bibliis inveniuntur inter minores prophetas, est propheta AGGÆUS.

Duo habet vaticinia directe messianica; alterum est II, 7-10, ubi Messias annuntiatur venturus *desideratus cunctis gentibus* (1), ratione cujus gloria templi reædificari incœpti major erit quam templi prioris Salomonici, non auro aut argento, sed utpote in quo se manifestabit Dominus dando pacem per Messiam, qui et ipse *pax* est (*Is.*, IX, 6; *Mich.*, V, 5).

Alterum vaticinium II, 23-24, regnum Messiæ annuntiat et promittit *Zorobabelem*, *filium Salathiël*, e familia David *assumendum a Deo* in die illa, temporis nempe messianici, *tamquam e cujus semine oriturus est Messias.*

---

(1) Interpretationem prophetiæ Aggæi, vid. apud HAGHEBAERT, *Het oud testament in 't vlaamsch vertaald en uitgeleid*, enz., zesde deel. In commentario præclaro II, 7-10, exemplum habes insigne, inter plura alia, demonstrans non esse tam facile recedendum ab interpretatione traditionali, et hic optime sustineri cum S. Hieronymo sensum Vulgatæ: *desideratus cunctis gentibus.*

478. Coævus Aggæi fuit ZACHARIAS propheta, qui difficilioris est interpretationis et plures habet prophetias messianicas per librum sparsas.

Sic in prima parte libri (I-VI), quæ serie visionum et symbolorum constat, annuntiatur Messias, III, 8-10, tamquam *Servus Domini*, ut sæpe apud alios prophetas, v. g. *Is.* LII, 13; LIII, 11; *Ezech.*, XXXIV, 23, 24. « Adducam servum meum *orientem* » quod alibi vertitur *germen*, quo nomine vel æquivalenti sæpius vidimus apud prophetas vocari Messiam. Rursum infra VI, 12: « Ecce vir *oriens* nomen ejus », ubi etiam Jesus filius Josedec sacerdotis magni jubetur coronari duabus coronis tamquam præcessor (licet non progenitor) et typus *Christi Pontificis* et *Regis* summi. Cæterum utriusque loci certo messianici contextum lege cum commentariis catholicorum interpretum, qui observant Zachariam plura testimonia cæterorum prophetarum adducere, et sæpius ad illa alludere; imo nobis videtur frequentior ista allusio, quam quibusdam interpretibus, nominatim ad Echeziëlem et Daniëlem.

In secunda parte prophetiæ (VII-VIII) respondet Zacharias quæstioni cuidam practicæ de jejuniis, ubi in fine VIII, 20-23 prædicit *conversionem gentium* quæ, partim impleta ante Christum, plenam impletionem habet post hujus adventum.

479. Sed potissimum in tertia parte (IX-XIV) notabiles occurrunt prophetiæ, et de Messia quidem aliqua magis particularia et nova, quæ apud præcedentes prophetas nondum legimus, præprimis attendenda sunt.

Et primo quidem IX, 9-10 annuntiatur Messias, *rex Sion*, et describitur *ingressus ejus triumphalis in Jerusalem sedentis super pullum asinæ*, ut impletum notant *Matth.*, XXI, 5 et *Joan.*, XII, 15: « Exulta satis filia Sion; jubila, filia Jerusalem: Ecce rex tuus veniet tibi, justus et salvator: ipse pauper (quod etiam verti potest: mansuetus, humilis), et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ..... et loquetur pacem genti-

bus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. » Ubi *et regnum ejus spirituale, pacificum, universale,* sicut apud reliquos prophetas vidimus, prænuntiatur.

Haud minus definita et præclara est prophetia XI, 12-13, quam impletam notat *Matth.*, XXVII, 9, *de mercede iniquitatis, qua appretiaverunt Christum Judæi:*

« Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: et projeci illos in domum Domini ad statuarium. » In utrumque locum, prophetæ et Evangelistæ, legendi sunt interpretes.

480. Alia prophetia insignis habetur XI, 10 sqq.:

« Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt (1): et plangent eum planctu quasi super unigenitum, » etc. Ubi *prædicitur transfixio lateris Christi,* ut docet S. Joannes, in evangelio, XIX, 34, 37, simulque *pœnitentia et conversio seu planctus ingens et universalis ob mortem Domini.* Ubi etiam nota « aspicient » significare aspectum reverentia, fiducia, amore plenum, ex spiritu nempe gratiæ et precum accepto; quodque valde attendendum est, non dici aspicient *ad eum,* sed *ad me* (Dominus autem est qui loquitur), quo *significatur Messiam intelligi Deum.* Nec obstat transitus subitus ad tertiam personam: et plangent *eum,* qualis transitus frequens est apud prophetas.

Ulterior effectus confixionis Christi est quod erit *fons patens* (puta quasi ex latere aperto, e quo exivit aqua et sanguis, baptismus et eucharistia), *domui David et habitantibus Jerusalem,* nempe erit Ecclesia Christi (e Christi latere nata) tamquam fons omnis effusionis gratiarum (XIII, 1); unde fiet salus, non tantum Judæis, sed etiam Gentibus, extincta idololatria et pseudo-

(1) Cf. *Apocal.*, I, 7.

prophetia, spiritu immundo ablato de terra (XIII, 2), et ita quidem ut ne parentes quidem patiantur vivere filium pseudo-prophetam (XIII, 3), et ipsi pseudo-prophetæ, visionum mendacium pudore suffusi, fateantur se non esse prophetas (4-5).

481. Post hos effectus passionis Domini enumeratos, *pergit propheta eamdem passionem considerare* ut et alios dein effectus et porro finalem victoriam regni Messiæ annuntiet.

« Et dicetur ei (sc. Messiæ): Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me (1). Framea, suscitare super pastorem, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem et dispergentur oves gregis » (XIII, 6, 7). Hæc prophetia (v. 7) impleta est, testibus evangelistis *Matth.*, XXVI, 31, 56; *Marc.*, XIV, 27, 50; coll. *Joan.*, XVI, 32; ubi Christo percusso, dispersi sunt apostoli, adeoque et totus grex.

Dein, rursum considerat propheta, *quæ post passionem et mortem Christi sequentur*. « Et convertam manum meam ad parvulos », seu pauperes gregis, quæ sunt tertia pars relicta, quæ apud Isaïam aliosque vocantur reliquiæ, seu residuum populi, quibus, ex terribili calamitate (sub Tito et Vespasiano), vindice mortis Messiæ, misericordiam exhibebit Dominus (XIII, 7-XIV, 2). Sed et contra ipsas gentes, quibus usus est ad castigandos Judæos, nempe contra Romanos, egredietur Dominus (XIV, 7 sqq.) et regnum Messiæ seu *Ecclesia triumphum aget finalem de omnibus:* « Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. »

Videtur propheta simul considerare, sicut apud alios

(1) Nonnulli interpretes, etiam catholici, etsi hi omnes agnoscant et agnoscere debeant v. 7 de Christo intelligi, versum tamen 6 seu immediate præcedentem de pseudo-prophetis interpretantur et, potius quam sequentibus ubi certo de Christo patiente sermo est, annectunt præcedentibus ubi de pseudo-propheta agitur.

vidimus, diem Domini vindicem tum in primo adventu Christi, tum in secundo adventu in fine mundi. Cæterum cap. XIV, inter obscura obscurissimum, plures continere videtur *apocalypticas prædictiones, adhuc in futuro tempore et in fine mundi implendas.*

482. Ultimus inter prophetas minores est MALACHIAS, qui certo post ædificatum a Zorobabele templum et ante ortum Machabæorum vaticinatus est, probabiliter circa tempora Nehemiæ, puta medio fere sæculo quinto a. C.

Tota prophetia videtur responsio querelis populi Dei, exspectantis statim post captivitatem omnimodam prosperitatem, multa vero adversa patientis. Cui propheta animos addit, causam malorum ejus vitia exprobrat, et salutem promittit. Plura sunt in his vaticinia messianica, eaque insignia.

Primo quidem, occasione redargutionis sacerdotum nuntiat abolenda antiqua sacrificia sacerdotiumque leviticum, quorum locum *obtinebit sacrificium unicum incruentum novæ legis*, nempe missæ sacrificium, I, 10-11, de quo vid. interpretes.

Secundo, occasione querelæ populi, ut supra, *annuntiat præcursorem Domini* Joannem Baptistam; hic enim est, teste *Matth.*, XI, 10 (coll. *Marc.*, I, 2-4, et *Luc.*, VII, 27) de quo scriptum est hic, III, 1: « Ecce ego mittam angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. » Quæ quidem repetunt et confirmant vaticinium *Isaïæ*, XL, 3. Sed *et ipsum Messiam annuntiat*, quem *Dominatorem* et *Angelum testamenti* vocat, III, 2 sqq.: « Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis. » etc., ubi in sequentibus Messiam præsertim ut judicem considerat, quasi respondens querelæ, II, 17: Ubi est Deus judicii?

In his adverte quam aperte *Messias declaratur Deus:* est enim Dominator, quod in Scripturis nomen soli Deo tribuitur, qui mittet angelum *suum* ante faciem *suam*, qui veniet ad templum *suum*.

Tandem, quod sæpius notavimus apud alios prophetas, C. IV annuntiat *diem Domini*, nempe *tum primi adventus Christi tum secundi adventus*, quem utrumque sequitur ejusdem simulque justorum triumphus de hostibus, respective primus præsertim spiritualis, et dein ultimus ac finalis. Similiter *Elias quem prædicit venturum:* « Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis » (IV, 5), tum de Joanne-Baptista in primo adventu (*Matth.*, XI, 9-14; XVII, 10-13; *Marc.*, VI, 15; IX, 10-12; *Luc.*, I, 17; IX, 8; *Joan.*, I, 19), tum de ipsomet Elia, qui convertet Judæos ad Christum ante ultimum adventum, intelligi potest.

483. Post Malachiam, jam silent prophetæ; nisi quod auctor libri *Sapientiæ* qui, postquam hellenismus orbem invaserat, probabiliter in Ægypto, cum hæc quasi altera patria et Alexandria altera Jerusalem Judæis facta esset, græce scripsit circa finem tertii a. C. sæculi, nonnulla habet (II, 10-20) quæ, etsi de justis et impiis generaliter dicantur, tam *apte applicantur Christo ejusque morti ignominiosæ* ab impiis illatæ, ut merito credamus *Spiritum sanctum principaliter intendisse Christum;* quod patet maxime ex verbis impiorum cum narratione evangelica collatis. Confer, v. g., II, 13 et 18 cum *Matth.*, XXVII, 40, 42-43. Ratio autem cur ita generaliter locutus sit, Spiritui sancto fuit ut celaretur dæmoni modus redemptionis.

Quod deinceps usque ad Joannem Baptistam, qui propheta et plus quam propheta digito demonstravit novissimum summumque prophetam Christum, jam non suscitaverit prophetas Deus, causa fuit hinc quidem quia, extincta radicitus a captivitate idololatria, tum ope prophetarum ut supra, tum aliis viis, ut videbimus, ministerio prophetarum non amplius ita egebat residuus ille populus Dei, inde vero quia satis parata erat via seu sufficienter præsignatus et prædictus Christus ut quivis Israëlita verus, humilis ac docilis omnimodæque

bonæ fidei, eumdem exspectaret et, prælucentibus vaticiniis atque illuminante divina intus gratia, eumdem agnoscere posset. Imo opportunum valde fuit per quatuor sæcula silentium prophetarum, ne exspectatio Salvatoris tribui posse videretur continuæ excitationi illorum, adeoque et apparitio ejus cuidam exaltationi religiosæ; præterea ne tempus quoque deficeret, quo Judæi prophetias attente considerarent et Doctores, Deo permittente et deficientibus prophetis qui errorem auferrent, seipsos ob præjudicia sua decipientes, satis quidem intelligerent et rite interpretarentur populo vaticinia messianica ut testimonium darent veritati, simul vero modum redemptionis ignorarent et falsi conceptus Messiæ hac in re populo causa existerent. Idque ut nullum obstaculum poneretur passioni et morti Christi.

484. Post fusiorem vaticiniorum apud prophetas cum majores tum minores occurrentium considerationem, sine difficultate poterit unusquisque, juxta supra dicta n. 454, eadem vaticinia, ordine temporis exposita, jam alio ordine in certas classes distribuere, prout respiciunt personam Christi, varia adjuncta adventus ejus, passionem regnumque ejusdem, ita ut uno quasi intuitu eadem in Christo impleta cernat. Quod hoc quidem loco fieri non prohibetur, cum sequentibus sæculis novæ prædictiones usque ad adventum Christi factæ non legantur; opportunius tamen hujusmodi conspectus generalis remittitur ad tempus impletionis per Christum: etenim, cum fœdus antiquum integrum sit præparatio ad Christum ejusque fœdus novum, atque hæc præparatio ab initio mundi tum in præfigurando et prædicendo Christo ejusque regno, tum universim in disponendis ac dirigendis eventibus ac fatis populi Dei atque gentium ad Christum consistat, satius profecto est non tantum vaticinia libris propheticis contenta sed omnes ab initio tum figuras tum prædictiones simul recolligere, hancque tabulam completam, in qua Christus venturus

depingitur, conferre cum ipso Christo qualis jam apparuit et libris novi testamenti describitur, eodemque simul tempore alteram istam partem præparationis providentialis Christi, quæ in dirigendis eventibus consistit, præ oculis habere. Ita fiet ut integer resumatur conspectus veteris testamenti, tamquam conclusio generalis dictorum, quæ, dum e conspectu ponitur et confertur cum opere redemptionis peractæ per Christum, simul compendium hujus operis exhibebit et universæ tractationi nostræ in hac tertia et ultima parte nostrarum meditationum aptissime finem imponet.

Itaque transimus statim ad art. III, quo absolvitur præsens cap. V, id est, ultimum pertinens ad tempora Christum præcedentia.

ARTICULUS III.

De providentia Dei universim circa fata populi sui aliarumque gentium, inde a scissione decem tribuum ad adventum usque Christi.

486. Providentia divina continua eliminatione ac selectione usa est ut verus Dei cultus et exspectatio Messiæ inter homines servaretur, utque tandem præpararetur, medio in mundo in quem imperium diaboli summum effectum esset, adventus Christi humilis et passuri morteque sua mundum redempturi. Quæ quidem actio selectiva in tota mundi historia elucet, ut vidimus: sic, ab initio inter filios Adam, rejecto Caïn cum posteris, cæterisque relictis, elegit Seth ejusque posteros. Hos inter per diluvium punitos, solum Noë cum familia sua sibi servat. E filiis Noë seligit Semitas, inter quos, cæteris eliminatis, vocat Abraham, tamquam populi electi patrem, cujus hæredes sunt Isaac et dein Jacob. Hujus filii duodecim sunt patriarchæ duodecim tribuum populi, quos crescere facit et multiplicari in Ægypto, adhibitis omnibus cautelis ut propriam indolem ac missionem suam servarent, designato speciatim

Juda tamquam hærede principe promissionum. Postea, tempore opportuno ut sibi jam sufficeret, populum ex Ægypto eripit; et, universa generatione adulta, quæ desiderio Ægypti hujusque morum teneri poterat et indocilis atque missioni suæ inepta reperiebatur, per mansionem quadraginta annorum in deserto prius extincta, in terram promissam, in locum aptissimum, ut vidimus, introducit. Post varias vicissitudines, quibus aperte demonstravit Deus suam erga populum providentiam specialem, eumdem ad fastigium quoddam perduxit sub regibus Davide et Salomone, et in istis regibus, eorumque regno ac ipso illud adipiscendi modo præsignavit Christum, ejusque passionem et regnum spirituale, simulque per os David regis atque prophetæ insignis, tum Christi passionem, tum ejusdem regnum spirituale, gloriosum, duplici serie prophetiarum prædixit.

487. Jam ab hoc tempore, ut quoque notavimus, omnis actio divinæ Providentiæ ad hoc tendit ut propius præparetur non solum adventus sed et passio Christi, qua opus gloriosum redemptionis perficere debebat suumque regnum stabilire.

Et, quod prædictiones quidem attinet, ex fusius expositis prophetiis liquet personam Christi, adjuncta adventus ejus, passionis etiam et regni fuisse, procedente tempore, magis magisque definita.

Nunc considerandum manet quomodo similiter in dirigendis universim eventibus Deus, inde a peccato Salomonis, præparaverit adventum Christi, ejusque passionem.

Primo quidem, statim post gloriosum Salomonis regnum, in hujus peccati punitionem, scissionem decem tribuum permisit Deus, ita ut divideretur regnum Israël cum decem tribubus, a regno Juda, huic duabus tribubus Juda et Benjamin relictis cum tribu levitica. Eadem igitur actione selectiva, ut supra, usus est Deus et, paulatim relicto ac rejecto Israël, sibi specialiter reser-

vavit Juda. Certe, a splendore regni Salomonis paulatim diminuendus erat populus et speciatim familia David, siquidem divino consilio futurum erat ut Christus ex ea nasceretur pauper et quasi ignotus.

Neque tamen Deus reliquit statim Israël ad instar gentium, sed ad ipsos quoque prophetas misit et, paterna providentia, per vices vel ob infidelitatem punivit, vel redeuntem per pœnitentiam benigne tractavit. Quæ quidem tota historia est regum, tum Israël, tum Juda. Præterea, ob aliam quoque rationem regnum Israël per duo adhuc sæcula cum dimidio servavit, ne scilicet populus electus in solo Juda, territorio nimis restrictus et numero atque potentia, non esset in signum inter gentes, vel et extingueretur aut absorberetur a vicinis: itaque tamquam murus fuit Israël septentrionales gentes idololatricas inter et Juda. Obstinatum tamen in malitia Israël Deus tandem, deleta Samaria, in captivitatem redigi permisit et inter gentes dispergi, quibus brevi assimilatus est et quasi ex integro a Deo relictus. Cum tamen et ipsi dispersi ex Israëlitico regno non omnes censendi sunt plane obliti patrios mores Deumque suum, cumque et ipsi audivissent a prophetis sibi prædictam captivitatem et dispersionem, in pœnam suæ infidelitatis, simulque et salutem messianicam, poterant et inter eos inveniri, qui pœnitentiam agerent atque futura promissa exspectarent. Sicque utrumque obtinuit divina Providentia, nempe ut ipsi cum gentibus, quibuscum commixti vivebant, communicarent notitiam veri Dei et promissa messianica, utque postea e dispersione nonnulli redirent et jungerentur cum reliquiis Juda, post hujus captivitatem babylonicam.

488. Et hic quidem finis generalis est abhinc a Deo intentus, ut apud populum continuo diminuendum seu apud reliquias populi electi, quasi truncum, præcisa arbore, e quo oriundus Salvator, extirparetur omnis inclinatio ad idololatriam, dum simul apud gentes alias universas excresceret imperium diaboli ad summum.

Ideo postmodum Juda quoque in captivitatem duci voluit, tum in pœnam prævaricationum suarum, tum ut, ereptus e loco suæ infidelitatis, variis viis in exilio purgaretur definitive ab idololatria et ad perseverantem conversionem adduceretur. Hoc quidem præsertim ministerio prophetarum effecit Deus: præter enim exempla istorum virorum sanctorum insignia et continua eorum monita, quibus captivi ab idolis efficaciter avertebantur, experti sunt iidem omnes prophetias impleri nec vanas fuisse minas toties repetitas; unde et promissis messianicis plane confisi intellexerunt se solum Deum habere protectorem, eumque tamquam solum Dominum agnoscendum esse salutemque ab eo solo esse exspectandam; ex quibus factum est ut serio ad Deum conversi, illi jam firmiter adhæserint. Ad hoc quoque captivitas contulit ut reliquiæ tum ex Juda tum ex Israël, post reditum e captivitate, facilius in unum cooptarentur, utque intelligerent legem moralem longe majoris momenti esse quam mere ritualem, quam, a civitate sua et templo longe remoti, per diuturnam captivitatem observare non valuerant. Tandem captivitas effecit ut plures e populo Israëlitico in varias regiones inter gentes dispersi notionem veri Dei et exspectationem salutis messianicæ inter idololatras diffuderint.

489. Igitur e captivitate redux residuum populi electi ab omni inclinatione ad idola plane sanatum erat: ita ut reges Syriæ, postea idololatriam rursum invehere conati, nonnisi paucas apostatas, multos vero fecerint martyres. Porro, redeuntibus dux fuit Zorobabel e stirpe David, ita ut omnibus pateret posteritatem David in Judæam esse reversam. Sed post Zorobabel, nullus amplius e posteris David constitutus fuit dux Israëlis, et ita factum est ut familia David devenerit ad paupertatem, dispersionem et oblivionem.

Qui vero Judæi non redierunt in Palestinam sed inter gentes manserunt, inter has multiplicati sunt, ita

quidem ut jam sub quarto Cyri successore videamus victimas ab ipsis factas, cum a rege permitterentur se adversus hostes suos, tempore impii Aman, defendere, fuisse ingenti numero, cæsis octingentis Susæ, septuaginta et quinque millibus in provinciis.

Consequente tempore per totum imperium asiaticum, et postea græcum atque romanum, sub nomine « Dispersionis » multo numerosiores evaserunt quam in Palestina; ubique servatis, tum cultu veri Dei et spe Messiæ, tum propria indole sua. Et hoc quidem valde mirandum est in tota historia antiqua, tantillum populum, si cum potentissimis gentibus antiquitatis conferatur, mediis in perturbationibus, semper mansisse eumdem, numquam extinctum aut absorptum, ut tot aliæ gentes, etiam longe potentiores, fuerunt; imo sive captivum, sive in quatuor ventos dispersum, sive reducem in patria sub diversa successive dominatione, propriam indolem, patrios mores, cultum unius verique Dei, exspectationem ac spem salutis futuræ per Messiam immobiliter conservasse. Quod alia ratione quam divina providentia speciali profecto intelligi nequit: nec mirum sane Rationalistas cæterosque incredulos hoc tam insigne tamque publicum et evidentissimum factum, totam historiam pervadens, et alia quidem ratione post adventum Christi, quasi in tesseram divinæ ultionis simul et misericordiæ futuræ in fine mundi, ad hæc nostra tempora quodammodo adhuc perdurans, alto silentio premere, cum vel nullam rationem hujusmodi facti reddere possint, vel Providentiam Dei et veritatem historiæ judaïcæ ac christianæ, qualem nos, agnoscere cogerentur.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii

—

I

Explica Ps. CXXVI *Nisi Dominus ædificaverit* etc.

II

Expone rationes propter quas conveniens fuerit Deum incarnari.

III

An et quomodo administrari potest sacramentum *in dubio positivo circa valorem?* Proba responsum.

IV

An et quare *graviter peccat* qui sacramentum conficit *conscius peccati mortalis?*

V

An et quare *toties* peccat minister quoties successive sacramentum conficit indigne?

VI

Quomodo facienda est ablutio baptismalis?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. Quando, qua occasione et ob quemnam finem conscripta fuit Iª Ep. ad Thessalonicenses?

R. **Ad Iᵐ Quando?** *Epistola I ad Thessalonicenses, inter Paulinas epistolas ordine temporis probabiliter prima* (1), *scripta fuit in fine secundi itineris Pauli apostolici, Corinthi, integro circiter post anno quam Paulus ecclesiam Thessalonicæ fundaverat, scil. a. 53.*

Explicatur. Quando (et ubi) I Thes. conscripta fuerit haud difficulter definitur, si ea quæ Act. Apost. de secundo itinere Pauli apostolico, in specie de Timotheo et Silvano e Macedonia reducibus (Act. XVIII, 5), cum illis contulerimus quæ epistola I Thes. de Timotheo ad Paulum reverso (III, 6) tradit. — In secundo suo itinere Paulus cum Sila (2) proficiscitur in Syriam et Ciliciam (Act. XV, 35-41), inde Lycaoniam, ubi Timotheum in socium assumit (XVI, 1-3). Postmodum per Phrygiam et Galatiam transit, et a Spiritu sancto vetitus in Asia proconsulari et Bithynia loqui verbum Dei, Troadem venit (4-8), unde, visione monitus, in Mace-

---

(1) Cf. Van Steenkiste, *Epistola S. Pauli*, Brugis 1899, T. II, p. 203; — Bornemann, *Die Thessalonicherbriefe*, Göttingen 1894, p. 17 s.; — Jacquier, *Histoire des Livres du N. T.* Paris 1903, p. 54. Cf. tamen Zahn, *Einleitung in das N. T.* Leipzig B. I 1900, p. 142; — Belser, *Einleitung in das N. T.*, Freiburg, i. B. 1901, p. 436; (hic auctor falsò opinatur epistolam *ad Gal.* scriptam fuisse ante sic dictum concilium Hierosolymitanum, quod certocertius epistola præsupponit).

(2) *Sila* Act. Ap. absque dubio identificari debet cum *Silvano* I Thes. I, 1; II Thes. I, 1; II Cor. I, 19; I Pet. V, 12. Cf. Belser, *o. c.*, p. 454; — Zahn, *o. c.*, p. 148 ss.

doniam trajecit (9-11). Philippis ecclesiam fundavit (XVI, 12 ss.). Brevi inde ejectus via Egnatiana per Amphipolim et Appolloniam cum Sila perrexit Thessalonicam, ibique per tria sabbata fidem in Synagoga prædicavit (XVII, 1 ss.). Quidam ex Judæis crediderunt « et adjuncti sunt Paulo et Silæ de colentibus gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucæ ». Haud diu postea (1), turba a Judæis excitata, Paulus ne nascentem ecclesiam neophytosque in fide nondum plene confirmatos majori periculo exponeret, cum Sila seu Silvano Beroœam profectus est (XVII, 10). Judæi autem Thessalonicenses, quamprimum audierunt Paulum inter Judæos Beroœæ magno cum fructu evangelium prædicare, eum secuti nova seditione excitata coegerunt ut, relicta Macedonia, in Achaiam transfretaret (XVII, 12 ss.). Athenas appulsus, Timotheum et Silam qui remanserant in Macedonia, ad se accersivit (XVII, 14-15). Valde anxius de statu ecclesiæ Thessalonicensis, Timotheum misit Thessalonicam, ut neophytos visitaret eosque in tribulationibus suis consolaretur (I Thes. III, 1 ss.). Paulus interea ab Athenis profectus erat Corinthum (Act. XVIII, 1), qua in urbe (2) Timotheus cum Sila (3) e missione sua mace-

---

(1) Quamdiu S. Paulus Thessalonicæ prædicando evangelio allaboraverit certò definiri nequit. Absque ullo dubio tamen ultra tres hebdomadas ibi permanserit: quod contra auctores quosdam asserimus qui, Act. XVII, 2 nixi, hoc brevissimum temporis spatium proponunt. Verùm in dicto textu nihil aliud affirmatur quam Paulum *per sabbata tria disseruisse in synagoga*. Ista commoratio probabilius trium quatuorve mensium fuerit.

(2) Paulus Corinthi per annum cum dimidio commoratus est *Act.* XVIII, 11.

(3) *Act.* XVIII, 5 et *I Thes.* III, 6. Vix dubitatio suboriri potest, quin in utroque loco de eodem reditu sit sermo, ait merito Cornely, *Introductio in U. T. libros sacros*, V. III, Parisiis 1886 p. 403. Reditus utriusque Timothei scil. et Silæ commemoratur *Act.* XVIII, 5 non autem *I Thes.* III, 6. Contendit Zahn, *o. c.*, p. 147 hac in re contradictionem inter utrumque fontem reperiri, quatenus *I Thes.* III, 5 affirmaretur Paulum ac Silam (ἐπέμψαμεν) Athenis Timotheum *misisse* in Macedoniam, ità

donica redux de ecclesiæ Thessalonicensis statu eum certiorem fecit (1). Qua relatione Paulus permotus est ut ep. I^am^ ad Thes. scriberet (2).

Diximus autem *I Thes. scriptam fuisse integro fere anno postquam Paulus Thessalonicensibus valedixerat.* Etenim, ex una parte *minus spatium interponi nequit.* Nam Paulus tempore intermedio ecclesiam Berocæ fundaverat, Athenas transvectus discipulos suos e Macedonia accersiverat, Timotheum advenientem in Macedoniam reverti jusserat, neque nisi illa missione Macedonica terminata, postquam aliæ interea jam ecclesiæ in Achaia fuerant fundatæ (3) (I Thes. I, 7), et fama ecclesiæ Thessalonicensis jam extra Macedoniam et Achaiam sparsa erat (I, 8), nuntios illos accepit, quibus ad scribendam epistolam permotus est. — Ex alia parte *non majus spatium interficiendum* videtur : etenim tota epistola ità comparata est ut ecclesiam vix natam supponat, et modus quo Paulus de sua inter Thessalonicenses conversatione loquitur, vividam ac recentem eorum quæ narrat scribenti memoriam fuisse demonstrat (4).

Præterea, initio potius illius sesquianni quo Paulus Corinthi degit conscripta fuit I Thes. Nam sufficiens

---

ut Paulus ac Silas ambo Athenis manserint. Verùm, ut rite animadvertit Belser, (*o. c.*, p. 455 s.) *I Thes.* III, 5 « propterea *et ego* non amplius sustinens » reassumit III, 1-2 « propter quod non sustinentes amplius, placuit *nobis* remanere Athenis, *solis;* et *misimus* Timotheum », ità ut appareat Paulum hoc loco plurali numero de se solo loqui. Silas igitur, licet accersitus a Paulo (Act. XVII, 14-15), in Macedonia manserit, vel si Athenas ierit, post profectionem Timothei etiam in Macedoniam profectus fuerit.

(1) Cf. Cornely, *o. c.*, p. 398 ss.

(2) Corinthi ergo scripta est I Thes. non Athenis, uti quædam manuscripta græca, syriaca et coptica habent. Cf. Jacquier, *o. c.*, p. 82 s.; — Zahn, *o. c.*, p. 147. Illorum codicum subscriptio ex verbis epistolæ III, 1 non satis intellectis videtur esse exorta.

(3) Præterea charitatem fraternam Thessalonicenses erga omnes Macedoniæ fratres jam exercuerant (*I Thes.* IV, 9-10), pluresque fideles in modica communitate defuncti erant (*I Thes.* IV, 13).

(4) Ità Cornely, *o. c.*, p. 403. Cf. Lock apud Hastings, *A Dictionary of the Bible*, V. IV (Edinburgh, 1902), p. 742.

spatium, durante illa commoratione, relinquendum est adjunctis quæ II^æ Thes., etiam Corinthi exaratæ, occasionem præbuerunt.

Quibus omnibus pensatis, cum pluribus modernis interpretibus I ep. ad Thes. a. 53 scriptam arbitramur (1).

Ad II^m Qua occasione? *Occasionem scribendi I Thes. Paulo præbuerunt nuntii generatim et præcipue* (2) *læti, partim tamen tristes quos Timotheus e missione sua Macedonica redux de ecclesiæ Thessalonicensis statu Apostolo anxio attulerat.*

Læti in genere erant nuntii,ità ut exclamet Paulus II, 20: « Vos enim estis gloria nostra et gaudium ». Etenim 1/ Thessalonicenses nonobstante persecutione in fide accepta permanserant, ac fidem, spem et charitatem suam ita opere probaverant, ut fidei constantis exemplar evaserint atque novæ ecclesiæ fama non tantum in Macedonia et Achaia esset propagata, sed etiam in longinquis terris celebraretur (I, 2 ss. III, 6 ss.). 2/ Erga Paulum præditi erant veneratione et obsequio summoque flagrabant desiderio eum iterum videndi (III, 6). 3/ Ipsorum agendi ratio generatim erat probanda (IV, 1): eminebant autem præsertim charitate fraterna (IV, 9-10) et mutua ædificatione (V, 11).

At nonnulla minus grata nuntiavit Timotheus. 1/ Judæi increduli neophytos persequebantur (II, 14; III, 3) et sparsis calumniis Pauli famam impugnabant, illum velut hominem describentes qui, vanæ gloriæ et quæstus studio ductus, doctrinas falsas spargeret seque persecutioni subtraheret (II, 3-17) (3). 2/ Indulgebant quidam

---

(1) Cùm hujus anni definitio pendeat a generaliore quæstione de chronologia Novi Testamenti et a chronologia Pauli vitæ, ab ulteriori probatione in præsenti abstinemus. Cf. J. Moffatt, *The historical New Testament*, Edinburgh, 1901, passim, p. 137.

(2) Quod meritò deducimus ex voto quod III, 11-13 priorem partem concludit, et ex particula λοιπόν IV, 1 secundam partem inducente (monita practica) veluti materiam potius secundariam.

(3) Ideo tam anxie Paulus reditum Timothei expectabat ut sciret scil. utrum sensus Thessalonicensium erga patrem suum spiritualem refriguissent necne. Timebat ne, diminuta in magistrum fiducia, fides ipsa periclitaretur.

vitio Thessalonicæ frequenti, nempe luxuriæ (IV, 3 ss.). 3/ Alii otioso vitæ generi se dabant (IV, 11), alterum Domini adventum proxime instare putantes. 4/ Alii insuper dubitabant utrum mortui partem in glorioso illo die haberent, qua de causa immodico luctu suos plangebant defunctos (IV, 12-V, 3).

Ad III^m Finis seu scopus. Quibus omnibus nuntiis permotus, *intendit S. Paulus statui ecclesiæ Thessalonicensis opportune consulere.* Voluit igitur: 1° Thessalonicenses ad perseverantiam in fide, spe et charitate mediis in persecutionibus adhortari; 2° suam auctoritatem apostolicam contra Judæorum calumnias tueri, ne diminuta neophytorum in magistrum fiducia, ipsa eorum fides periclitaretur; 3° extirpare impudicitiam et otiositatem; 4° errores auferre quod attinet ad sortem mortuorum in altero Christi adventu.

A. Camerlynck.

II

Q. Quid censendum de mente S. Thomæ circa Immaculatam B. M. V. Conceptionem.

R. S. Thomas in præcipuis operibus negavit Immaculatam B. M. V. Conceptionem, nec videtur unquam admisisse hoc privilegium.

I. Consideramus imprimis hæc testimonia in quibus S. Doctor *explicite* agit de sanctificatione Mariæ et de contractione peccati originalis: hæc enim loca maximi sunt momenti ad cognoscendam mentem S. Thomæ de quæstione quæ movetur.

« Sanctificatio beatæ Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat, sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur (h. e. præservaretur), ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet ut redemptione non egeat..... Hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quæ nun-

quam originali macula fuisset infecta; et ideo nec beatæ Virgini, nec alicui præter Christum hoc concessum est. » In III, D. III, Q. I, a. 1, sol. II.

S. Thomas evidenter hic loquitur de conceptione *passiva,* imo de conceptione passiva *adæquata*, videlicet de ipso instanti *infusionis animæ:* porro docet in ipso instanti infusionis animæ non fuisse sanctificatam Mariam et ideo ipsam contraxisse peccatum originale. « Textus (ille) est per se tam clarus, ut conatus ex hoc textu exegetice removendi agnitionem originalis peccati in B. Virgine sit res desperata » (1):

« Utrum liceat celebrare Conceptionem Dominæ nostræ..... Respondeo dicendum quod hic inducuntur duæ quæstiones: una principalis, altera accessoria, scilicet an Beata Virgo fuerit concepta cum originali; quod oportet primo determinari. Est ergo considerandum, quod unusquisque peccatum originale contrahit ex hoc quod fuit in Adam secundum seminalem rationem..... Omnes autem illi in Adam fuerunt secundum seminalem rationem qui non solum ab eo carnem acceperunt, sed etiam secundum naturalem modum originis ab eo sunt propagati. Sic autem processit ab Adam Beata Virgo, quia nata fuit per commixtionem sexuum, sicut et ceteri; et ideo concepta fuit in originali peccato, et includitur in universitate illorum de quibus Apostolus dicit ad Rom. V, 12: *In quo omnes peccaverunt;* a qua universitate solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit secundum seminalem rationem; alioquin si hoc alteri conveniret quam Christo, non indigeret Christi redemptione..... Quamvis autem Beata Virgo in originali concepta fuerit creditur tamen in utero fuisse sanctificata, antequam nata. Et ideo circa celebrationem Conceptionis ejus diversa consuetudo Ecclesiarum inolevit. Nam Romana Ecclesia et plurimæ aliæ, considerantes Conceptionem Virginis in originali peccato fuisse, festum conceptionis non celebrant. Aliqui vero considerantes sanctificationem ejus in utero, cujus tempus

(1) Pesch, *Tractatus dogmatici,* T. III, n. 335. — Nec ulla afferri potest valida ratio ad negandam authentiam hujus testimonii vel ad dubitandum de ea.

ignoratur, celebrant Conceptionem ; creditur enim quod cito post conceptionem et animæ infusionem fuerit sanctificata. Unde illa celebritas non est referenda ad Conceptionem ratione conceptionis, sed potius ratione sanctificationis. Sic ergo non est ideo celebranda Conceptio prædicta, quia fuerit sine originali peccato concepta ». Quodl. VI, a. 7.

Ex hoc testimonio integra elucet sententia S. Thomæ de conceptione B. Virginis : hæc fuit concepta cum originali peccato : propter duas rationes, scilicet a/ quia concepta est naturaliter per commixtionem sexuum, et b/ quia indiguit redemptione; secundum S. Thomam, si non incurrisset peccatum originale, non indiguisset redemptione. Quoad celebrationem Conceptionis : hoc festum, vel non celebrandum est, quia non fuit sancta conceptio Mariæ sed infecta peccato ; vel, si celebretur, non formaliter ipsa conceptio est celebranda, sed ipsa sanctificatio quæ, ut creditur, locum habuit cito *post conceptionem et infusionem animæ* (1).

Eamdem opinionem clare propugnat S. Thomas in opusculo cujus titulus *Compendium theologiæ*, cap. CCXXIV :

« Quia igitur, ut ex prædictis patet, beata Virgo Maria mater filii Dei facta est, de Spiritu sancto concipiens, decuit ut excellentissima puritate mundaretur, per quam congrueret tanto filio : et ideo credendum est eam ab omni labe actualis peccati immunem fuisse non tantum mortalis, sed etiam venialis..... Nec solum a peccato actuali immunis fuit, sed etiam ab originali, speciali privilegio, mundata. Oportuit siquidem quod cum peccato originali conciperetur, utpote quæ ex utriusque sexus commixtione concepta fuit. Hoc enim privilegium sibi soli servabatur ut virgo conciperet Filium Dei. Commixtio autem sexus, quæ sine libidine esse

(1) Quum dicat S. Thomas : « Aliqui vero considerantes sanctificationem ejus in utero, cujus *tempus* ignoratur, celebrant conceptionem : creditur enim quod cito *post conceptionem et animæ infusionem fuerit sanctificat* » patet ipsum tenere Mariæ sanctificationem fuisse *tempore* posteriorem conceptioni adæquatæ, et consequenter animam Mariæ fuisse aliquo tempore infectam vero peccato originali.

non potest post peccatum primi parentis, transmittit peccatum originale in prolem. Similiter etiam, quia si cum peccato originali concepta non fuisset, non indigeret per Christum redimi; et sic non esset Christus universalis hominum redemptor: quod derogat dignitati Christi. Est ergo tenendum quod cum peccato originali concepta fuit, sed ab eo quodam speciali modo purgata fuit. Quidam enim a peccato originali purgantur post nativitatem ex utero, sicut qui in baptismo sanctificantur. Quidam autem quodam privilegio gratiæ etiam in maternis uteris sanctificati leguntur..... Quod autem præstitum est Christi præcursori et prophetæ non debet credi denegatum matri ipsius: et ideo creditur in utero sanctificata, ante scilicet quam ex utero nasceretur. Non autem talis sanctificatio præcessit infusionem animæ. Sic enim nunquam fuisset peccato originali subjecta, et redemptione non indiguisset. Non enim subjectum peccati esse potest nisi creatura rationalis (1) ».

Igitur S. Thomas agnoscit excellentissima puritate Mariam gaudere: ideo ab omni culpa actuali, sive mortali, sive veniali, immunis omnino fuit; ab *originali* autem peccato non potuit esse immunis; sed fuit, speciali privilegio, ab hoc peccato mundata, quia in utero, ante nativitatem, fuit sanctificata.

Tandem in præcipuo et ultimo vitæ suæ opere, in *Summa Theologiæ* docet S. Thomas:

« Sanctificatio beatæ Virginis non potest intelligi ante ejus animationem duplici ratione: primò quidem, quia sanctificatio de qua loquimur non est nisi emundatio a peccato originali... Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cujus subjectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animæ rationalis beata Virgo sanctificata non fuit. Secundò, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpæ, ante infusionem animæ rationalis proles concepta non est culpæ obnoxia. Et si quocumque modo

(1) His ultimis verbis clare ostendit S. Thomas se, quando loquitur de peccato originali contracto a Maria, intelligere *ipsum peccatum originale*, quod non potest inesse nisi post infusionem animæ et in ipsa anima. Non igitur cogitat de *debito* contrahendi peccatum.

ante animationem beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpæ, et ita non indiguisset redemptione et salute, quæ est per Christum... Hoc autem inconveniens est quod Christus non sit Salvator omnium hominum... Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post ejus animationem ». III, Q. XXVII, a. 2.

Hæc de mente S. Thomæ interpretatio solide confirmatur ex hoc quod optimi illius S. Doctoris interpretes intellexerunt et propugnarunt ab illo negatam fuisse Immaculatam B. Mariæ Conceptionem, inter quos eminent CAPREOLUS, in III, D. III, Q. I, a. 1; (1). FERRARIENSIS in *Summam contra Gentiles*, L. IV, c. 50; CAJETANUS in III, Q. XXVII, a. 2; etiam Ordinis Prædicatorum plerique doctores, inhærentes S. Thomæ sententiæ, impugnaverunt dogma de Immaculata Conceptione.

II. Attamen in I, D. XLIV, Q. I, a. 3, ad 3 dicit S. Thomas: « Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, et talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato originali et actuali immunis fuit ». Hic textus, primo saltem intuitu, explicitam continet affirmationem de Immaculata Conceptione et propterea

---

(1) Sic in compendium argumenta S. Thomæ contra Immaculatam Conceptionem reduxit CAPREOLUS, l. c. « Rationes autem ex dictis S. Thomæ possunt quatuor formari. Prima talis est: Quicumque est redemptus per Christum, habuit peccatum. Sed beata Maria fuit redempta per Christum. Igitur habuit peccatum : non autem actuale ; igitur originale. — Secunda talis est: Nullius humanæ personæ conceptio æquatur in puritate et immunitate, et elongatione a peccato, conceptioni Filii Dei. Sed Maria fuit humana persona. Ergo ejus conceptio non æquatur in puritate, aut elongatione a peccato conceptioni Christi. Æquaretur autem, si nunquam habuisset peccatum originale. Igitur habuit. — Tertia talis est: Singulare privilegium Filii Dei non convenit alteri. Sed concipi in gratia et sanctitate, singulare est privilegium Filii Dei. Igitur nulli alteri competit. — Quarta talis est: Nulla persona concepta per sexuum commixtionem, est expers peccati originalis. Sed beata Maria fuit hujusmodi. Igitur non fuit expers originalis peccati. »

quidam censent tunc revera privilegium illud Mariæ admisisse S. Thomam, postea autem mutavisse sententiam. Sed ille textus non est ratio sufficiens, ut videtur, ad hoc ut dicamus ibi S. Thomam docuisse Immaculatam Conceptionem. Non enim constat S. Thomam velle docere Mariam *semper* immunem fuisse a peccato. Ex locis suprà citatis, in quibus explicite agit S. Thomas de sanctificatione Mariæ, constat ipsum tenere Mariam fuisse sanctificatam, speciali privilegio (non unico tamen, quippe quod et Jeremiæ et Joanni baptistæ fuit concessum) *ante nativitatem*. Unde, ut videtur, hæc immunitas a peccato originali intelligenda est de immunitate ante nativitatem, non de omnimoda immunitate a peccato originali. Et hoc confirmatur, quia S. Thomas in *Summa theologica* (III, Q. XXVII, art. 2, ad 2) ubi explicite negat Immaculatam Conceptionem, nihilominus dicit de Maria: « quæ in suo ortu a peccato originali fuit *immunis* » (1).

Affertur et alius textus ex *I Expositione in Salutationem Angelicam:* « Ipsa (Maria) purissima fuit et quantum ad culpam quia ipsa Virgo nec originale nec mortale nec veniale peccatum incurrit ». « Sed plurimæ editiones cum multis codicibus illud « nec originale » non habent; in aliis vero codicibus invenitur. Ergo ab aliis aut additum aut omissum est. Prius illud est multo probabilius, quia S. Thomas brevi ante dicit: « Christus excellit B. Virginem in hoc quod sine originali

(1) Integra responsio est hæc: « Si nunquam anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quod est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus..... Sed B. Virgo, contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur. Et hoc signatur Job, III, 9: ubi de nocte originalis peccati dicitur: *Expectet lucem:* id est Christum, *et non videat:* quia *nihil inquinatum incurrit in Adam,* ut dicitur (Sap. VII, 25): *nec ortum surgentis auroræ,* id est, B. Virginis, quæ in suo ortu a peccato originali fuit immunis. »

conceptus et natus est, Beata autem Virgo in originali concepta, sed non nata »... Ideo plurimi critici, ut *Turrecremata* et *de Rubeis* (De gestis et scriptis S. Thoma, diss. 8, c. 2) illud « nec originale » ut spurium additamentum rejiciunt » (1).

Tandem citantur textus varii qui summam puritatem in genere tribuunt Mariæ, sed illi intelligi possunt de celerrima deletione peccati originalis cum exclusione omnis peccati actualis. S. Thomas docebat sub Christo non dari majorem puritatem quam fuit puritas Mariæ, sed ex hoc principio non deducebat immaculatam fuisse Mariam in sua conceptione, propter varias rationes quas suprà exposuimus (2).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Ostende abstinentiam esse virtutem specialem.*

R. « Abstinentia ex suo nomine importat subtractionem alimenti, sic præcise sumpta non est virtus, sed quid indifferens, quod potest bene vel male fieri; sumpta vero ut regulatur ratione, sicut hic sumimus, est virtus, quia sic sumpta, est... pars Temperantiæ moderans secundum dictamen rationis concupiscentias et delectationes ciborum, ut non impediant bonum rationis » (3). Abstinentiæ igitur, prout est virtus, materia seu *objectum materiale proximum* est delectatio cibi, sub quo comprehenditur etiam potus non inebriativus (4);

---

(1) Pesch, op c., T. III, p. 170.

(2) De mente S. Thomæ, cf. Malou, *L'Immaculée Conception*, Bruxelles, 1857, T. II, p. 464; Pesch, op. c., p. 170; editores recentes operum S. Bonaventuræ (Quaracchi), Scholion in III, D. III, a. 1, q. 1; Janssens, *De Deo-Homine*, pars altera, Friburgi Brisgoviæ, 1902, p. 130; Kösters, *Maria, die unbeflekt Empfangene*, Regensburg, 1905, p. 98.

(3) Ita post S. Thom. 2-2, q. 146, art. 1 in corp., Billuart, *Tract. de temperantia*, Diss. II, art. 1.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, T. III, p. 366.

objectum formale sunt eædem delectationes quatenus moderandæ ut servetur ordo a Deo auctore naturæ statutus, seu ut recte fiat opus delectabile, np. sumptio alimenti, ad debitum finem necessitatis hujus vitæ, scil. conservationem individui; *motivum* verò *formale* est honestas illi moderationi propria (1).

Hoc præmisso, facile ostenditur abstinentiam esse virtutem *specialem*, cum ibi *specialis* inveniatur ratio rectitudinis. Audiatur S. Thomas, 2-2, q. 146, art. 2: « Respondeo dicendum, quod..... virtus moralis conservat bonum rationis contra impetus passionum: et ideo ubi invenitur specialis ratio qua passio abstrahat a bono rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem. Delectationes autem ciborum natæ sunt abstrahere hominem a bono rationis: tum propter earum magnitudinem; tum etiam propter necessitatem ciborum, quibus homo indiget ad vitæ conservationem, quam maxime homo desiderat. Et ideo abstinentia est specialis virtus. »

Ad intelligentiam hujus textus hæc ex doctrina ipsius Doctoris Angelici notare juvat (2). Secundum Philosophum « virtus est quæ bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit »; unde virtus hominis est quæ « bonum facit hominem, et opus ejus bonum reddit ». Bonum autem hominis est secundum rationem esse: homo enim specifice homo est per hoc quod sit animal *rationale;* et bene operatur homo, quando secundum rationem operatur. Virtutis igitur humanæ est, ut bonum faciat hominem, opus ejus secundum rationem esse, seu virtutis est facere ut homo agat secundum rationem. Quod quidem tripliciter contingit: uno modo, secundum quod ipsa ratio rectificatur, quod fit per

---

(1) Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *Tractatus de prudentia, fortitudine et temperantia*, Brugis 1889, p. 134 sqq., coll. p. 117.

(2) Hæc magni sunt momenti, cum præbeant clavem solutionis in quæstione, toties recurrente in 2a-2ae, de distinctione virtutum.

prudentiam, quæ est perfectio rationis, in qua residet, et ex ea dictatur medium omnibus virtutibus; alio modo, secundum quod ipsa rectitudo rationis in rebus humanis instituitur, quod pertinet ad *justitiam,* quæ est factiva boni rationis, in quantum scilicet ad ipsam pertinet ordinem rationis ponere in omnibus rebus humanis; tertio modo, secundum quod tolluntur impedimenta hujus rectitudinis in rebus humanis ponendæ: bonum scilicet rationis *conservari* debet contra impedimenta seu impetus passionum, ne homo per eas abducatur a bono rationis, et hoc pertinet ad *fortitudinem* et *temperantiam.* De hac sola nunc loquendo, voluntas humana interdum attrahitur *propter aliquod delectabile* ad aliquid quod non est secundum rationem, et hoc impedimentum tollit virtus temperantiæ; ubi vero speciale occurrit impedimentum seu periculum, ibi ponenda specialis virtus: et sic sub genere temperantiæ, ponuntur diversæ species, quarum una est abstinentia, quæ conservat bonum rationis contra impedimentum speciale, quod oritur ex delectationibus ciborum, uti ostenditur in textu (1).

IV

Q. *Expone disciplinam apud nos vigentem quoad abstinentiam jejunio quadragesimali propriam.*

R. Ut huic quæstioni respondeamus, determinare debemus *quinam sint cibi vetiti* in jejunio quadragesimali, non quidem de jure communi, sed in præsenti disciplina apud nos (2).

---

(1) Cf. S. Th., 2-2, q. 123, art. 1 et 12 in corp.

(2) Annis 1890 et 1892, occasione morbi *Influenza* dicti, generaliter dispensatum est in lege jejunii et abstinentiæ (*Coll. Epist. Pastor*, T. XV, p. 186 et p. 239), pro anno 1892 usque ad Hebdomadam Sanctam (*Ibid.*, p. 274); annis 1893 et 1894, per modum exceptionis, variæ dispensationes concessæ sunt (*Ibid.*, p. 302 et p. 354). Ab anno 1895 inducta est disciplina, qualis nunc, paucis mutatis, viget in diœcesi nostra; est fere eadem in aliis diœcesibus Belgii. — Antiqua disciplina apud nos existens exponitur apud Ill^{m} ac Rev^{m} Waffelaert, *l. cit.*, p. 152.

A/ **Concessiones generales.**

1° *Lacticinia* (lac, butyrum, caseus) permittuntur omnibus diebus quadragesimæ, et nulla habetur distinctio inter jejunantes et non jejunantes.

S. Officium die 6 Septembris 1899 declaravit licere uti *margarina* per modum cibi aut condimenti, diebus quibus licitus est usus butyri, etiamsi illicitus sit usus carnium aut adipis ex carne (1).

2° *Pinguedo stillata* (afgesmolten vet, graisse fondue) eodem modo permittitur, np. simpliciter, jam non exceptis, inde ab anno 1904, feria quarta cinerum et feria sexta in parasceve Domini (2).

Sub nomine pinguedinis solebat olim intelligi sola pinguedo *suina,* ita pluries declarante S. Pœnitentiaria (3); at S. Officium die 1 Maii 1889 respondit locutionem *condimenta ex adipe* intelligendam esse ex adipe *cujuscumque animalis* (4). Sic etiam includitur butyrum e pinguedine artificiose confectum (margarine); non verò jusculum carnis (infra sub 4°) (5).

3° *Ova* permittuntur omnibus diebus, exceptis feria quarta cinerum et feria sexta in parasceve Domini. At obligati ad jejunandum ova sumere non possunt nisi *semel* de die, extra dies dominicas, et quidem *in refectione principali,* non autem in collatione (6). Omni tamen

---

(1) Cf. *Anal. eccles.*, an. 1899, p. 399.

(2) Ante a. 1904 erat dispositio specialis sub VII, permittens usum pinguedinis stillatæ *omnibus diebus per annum,* exceptis duobus indicatis. Intentio Episcopi non fuit restringendi concessionem ad solos dies jejunii quadragesimalis, uti quis autumare posset inspiciendo novum textum, sed extendendi privilegium ad duos dies antea exceptos.

(3) Sic 15 Aprilis 1836 et 24 Aprilis 1855 ad 1m, cit. apud De Angelis, *Prælectiones Juris canonici,* Lib. III, Tit. XLVI, 6°.

(4) Hoc responsum revelavit Card. Monaco La Valetta, Secretarius S. Officii, scribens die 25 Martii 1895 ad Ordinarium Alexandrinum: *Acta S. Sedis,* T. XXVIII, p. 570. Cf. *Nouv. rev. théol.,* T. XXVII, p. 257; *Rev. théol. fr.,* T. IX, p. 49.

(5) Cf. resp. S. Pœnit. 24 Aprilis 1855 ad 2m, coll. 19 Febr. 1841 et 20 Martii 1847, cit. apud De Angelis, *l. cit.;* 30 Jan. 1866 (Collect. P. F., n. 2074).

(6) Quod etiam observare debent aliis diebus jejunii extra quadragesimam.

die quadragesimæ licet adhibere ova ad præparandos alios cibos, ita ut ova sint pars tantum accessoria (1).

4° *Carnes* permittuntur in dominicis ac feriis secunda, tertia, quinta et sabbato cujusque hebdomadæ, exceptis sabbato quatuor temporum et sabbato sancto. At eadem restrictio ac quoad ova ponitur pro obligatis ad jejunium, et extenditur ad jusculum carnis (bouillon et jus de viande) (2). Qui igitur non tenentur jejunare possunt pluries de die carnibus, sicut et ovis, vesci (3).

Sub nomine carnium veniunt etiam substantiæ variæ, quæ gallice « extrait de viande » vel « peptone » audiunt (4).

B/ **Dispensationes speciales.**

Conceditur usus carnium in omnibus diebus anni, excepta feria sexta in parasceve, *militibus* cujusvis gradus, eorumque uxoribus, liberis et domesticis, necnon aliis personis de facto addictis servitio militari (5).

Militibus assimilantur : « les gendarmes, les douaniers et les agents de la police urbaine de service actif, les employés en service sur les trains des chemins de fer et sur les trams (6), les facteurs de la poste et les

---

(1) « S'ils y entrent comme condiment : par exemple, si on met un ou deux œufs dans un gâteau, dans la sauce pour la lier, etc. » sed excluditur : « toute espèce de mets et de pâtisserie dans la confection desquels les œufs entrent pour la totalité ou la majeure partie, comme... tartes, beignets..., crêmes etc. » Guillois, cit. ap. Theol. Mechl., *Tract. de virtutibus in genere* etc. (1896), p. 446, nota 2.

(2) Obiter nota ex S. Off. resp. 20 Jan. 1885 quod Episcopus silere posset si in sua diœcesi condimentum ex jusculo carnis adhiberetur ex usu, in diebus prohibitis (*Anal. eccl.*, T. IV, p. 146). Cf. Theol. Mechl., *l. cit.*, p. 447, nota 1.

(3) Illa dispositio juris communis solebat olim restringi apud nos quoad usum carnium : Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 153 in nota.

(4) P. GÉNICOT (*Theol. mor. Instit.*, T. I (ed. 2^a, Lovanii 1898), n. 442) censet non esse inquietandos qui manducant substantiam, quæ vocatur « peptone » ; sed rationes affert minime cogentes. Utique hoc conceditur ultro ægrotos, qui tali substantia indigent, excusari facile.

(5) Nota hic derogari juri communi. Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 180.

(6) *et sur les trams* additum anno 1898. Cf. *Coll. Brug.*, T. II, p. 172. —

employés des accises en activité ». Adverte dispensationem favere solis officialibus *actu inservientibus;* qui verò dimiserunt officium solent quidem excusari a jejunio, non autem ab abstinentia jejunio propria: quoad singulos applicari debent principia de causis excusantibus (1).

Advertenda.

1° Omnibus diebus quadragesimæ, non exceptis dominicis, *observari debet lex benedictina* de non miscendis epulis. Vide resp. sequens.

2° Singulis diebus quadragesimæ quibus fideles utuntur dispensatione *in esu carnium* (ergo non quando utuntur alia dispensatione, puta in usu ovorum vel lacticiniorum) tenentur recitare ter *Pater* et *Ave,* et semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis. Ab hac tamen obligatione se eximere poterunt, in arcam quadragesimalem deponendo eleemosynam, prout cuique suggeret *devotio* (ergo non juxta uniuscujusque facultatem).

Hic imponitur *vera obligatio, disjunctiva,* quæ tamen videtur dicenda *levis:* etenim, ut notat Gury (2), « generatim non videntur Episcopi velle rigorosam commutationem facere; sed probabilius dicendum est eos intendere *principaliter* dispensare et *accessorie* aliquod opus pium in quamdam satisfactionem *levem* imponere ». Videlicet Episcopus dispensat *absolute,* vi quinquennalium (n. 5), sed apponit aliquam compensationem, sub levi faciendam. Nota etiam obligationem recitandi preces, sicut ipsum præceptum jejunii et abstinentiæ, esse affixam dici, unde locus non est coalescentiæ materiæ.

Ibidem notatur sub nomine *officialium viæ ferreæ* certò non venire officiales navis postalis; sed nonnulli ex his de facto sunt « facteurs de la poste ». Ceterum officialibus navis postalis solet quotannis provideri per dispensationem specialem.

(1) Cf. Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, p. 177 sqq.

(2) *Casus conscientiæ,* T. I, n. 492. Cf. *Nouv. rev. théol.*, T. IV, p. 308 et 666; Theol. Mechl., *l. cit.*, p. 446, nota 4.

V

Q. *Expone legem benedictinam de non miscendis epulis.*

R. Hanc disciplinam lege generali induxit ac stabilivit Benedictus XIV, declarans atque edicens dispensationem in abstinentia propria jejunio ecclesiastico non esse concedendam nisi sub hac conditione: « *licitas atque interdictas* (1) *epulas promiscue minime apponendas esse* » (2). Constit. *Non ambigimus*, 30 Maii 1741, coll. Const. *In suprema*, 22 Augusti 1741; *Si fraternitas*, 8 Julii 1744; *Libentissime*, 10 Junii 1745. Hanc suam legem *sub gravi* obligare declaravit litteris cit. *Si fraternitas* ad Archiepiscopum Compostellæ ad I^m^, tum pro dispensantibus tum pro dispensatis.

Illa lex sic **enuntiari** potest: *in omni die jejunii, etiam in dominicis quadragesimæ, nemini licet, sive per indultum, sive specialiter dispensato ad manducandas carnes, et sive jejunanti sive non, in eadem refectione comedere pisces simul et carnes* (3).

Exponitur.

1° *Quid prohibeatur*. Illicita est *mixtio piscium et carnium in eadem refectione*, seu, ut ait Bened. XIV, Const. cit. *Libentissime*, nequaquam licet « mensam eandem carne ac piscibus instruere ».

Dicitur: *in eadem refectione*, quæcumque illa sit. Pro jejunantibus quidem agitur in die jejunii de sola refectione plena, cum in ea sola uti possint carnibus; sed pro non jejunantibus, quibus licet pluries de die vesci carnibus, intelligitur quævis refectio. Patet non violari legem benedictinam ab eo qui in refectione plena vescitur carnibus et in collatione vescitur piscibus.

---

(1) Hæc verba sic declarat ipse Ben. XIV Const. *Si fraternitas* sub IV: « Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. »

(2) Hæc conditio semper exprimitur in bulla quadragesimali, uti diximus in resp. præced.

(3) Ill^s^ ac Rev^s^ WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 154.

Dicitur: mixtio *piscium et carnium:* non alia mixtio est vetita, puta carnium vel piscium cum ovis et lacticiniis (1). Sub nomine *piscium* veniunt pisces omnes vulgò ut tales habiti, etiam pisciculi sale siccati, etiam ad instar condimenti alterius ferculi; item testacea marina, improprie fructus maris dicta, id est, ostreæ, cancri etc. (S. Pœnit., 16 Jan. 1834, apud Gury, T. I, n. 515). Sub nomine carnium hæc lex non comprehendit *jusculum carnis:* unde non violat legem benedictinam qui edit pisces simul et jusculum carnis aut pulmentum jure carnis coctum (2), sicut nec ille qui manducat carnes jure piscium conditas (3). Item, ubi conceditur, uti apud nos, pinguedo stillata loco butyri adhiberi potest.

2° *Quibus diebus.* Dicitur a/ omni die *jejunii*, non verò in die simplicis abstinentiæ: unde « fideles dispensati a lege abstinentiæ diebus Veneris et Sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio jejunii, vesci possunt piscibus simul et carnibus. » S. Pœnit., 15 Februarii 1834 (4); *omni die* jejunii, *sive intra sive extra quadragesimam,* uti expresse declaravit ipse Bened. XIV, Const. cit. *In suprema* et *Si fraternitas* sub VII (5).

Dicitur b/ *etiam in dominicis quadragesimæ:* quod iterum expresse declaravit Bened. XIV in Const. *Si fraternitas* sub V. Hoc non est adeo mirum, quum antiquitus dies dominici in quadragesima fuerint semper, licet non dies jejunii stricte dicti, dies tamen

---

(1) Cf. Bened. XIV, Const. cit. *Si fraternitas*, ad IV^m.

(2) Cf S. Pœnit. 8 Febr 1828 (Collect. P. F., n. 2066) et responsa cit. ap. *Rev. théol. fr.*, T. I, p. 34. Cf. Ben. XIV, *Casus conscientiæ,* T II, p. 192. — Qui tamen sumeret jusculum carnis, die qua ipsi non licet, violaret legem abstinentiæ.

(3) S. Pœnit. 14 Junii 1880 (Collect. P. F., n. 2077).

(4) Collect. P. F., n. 2068. — Non dispensati peccarent contra legem abstinentiæ, numquam verò contra legem benedictinam, in die simplicis abstinentiæ.

(5) Cf. adhuc S. Pœnit., 8 Jan. 1834, apud Gury, *l. cit.*, sub 7°; *Nouv. rev. théol.*, T. XXIII, p. 206.

abstinentiæ, notatim ab esu carnium, in qua abstinentia solet adhuc hodie dispensari.

3° *Quinam hac lege teneantur: omnes quocumque modo dispensati*, sive per indultum generale, puta quadragesimale, sive specialiter dispensati. Ita Ben. XIV Constit. citatis. Prohibitio est universalis, attingens omnes qui subjacent legibus Ecclesiæ, *sive jejunantes sive non jejunantes* (S. Offic. 23 Junii 1875 remittens ad decr. 24 Martii 1841, apud Collect. P. F., n. 2076).

Porro quæritur utrum *infirmi* quoque huic legi sint obnoxii. Bened. XIV Constit. cit. *In suprema* declarat infirmos eximi posse, si « certa et periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat ». Hanc severiorem disciplinam confirmavit S. Pœnitentiaria, notatim responso 8 Januarii 1834 (1). Sed S. Officium decretis 24 Martii 1841 et 23 Jun. 1875 (2) non est locutum de iis qui edunt carnes *ob morbum*, sed tantum de iis qui carnes sumunt *vi indulti:* unde sinebat supponere quod ii qui edunt carnes non vi indulti, non tenentur ad non permiscendas epulas. Inde quidam theologi (3) hanc tenuerunt opinionem: cum prohibitio benedictina fiat *per modum conditionis* adjectæ dispensationi quæ datur ad comedendas carnes, non complectitur eos qui *per se*, puta ratione morbi gravis, *sine dispensatione* a lege abstinentiæ sunt immunes (4). Et hanc sententiam S. Pœnit. 9 Jan. 1899 respondit tuta conscientia teneri posse (5).

H. Mahieu.

---

(1) Cf. *Nouv. rev. théol.*, T. XIV, p. 322; T. XXIII, p. 206 coll. p. 202.

(2) Collect. P. F., n. 2076; *Nouv. rev. théol.*, T. XXIII, p. 206.

(3) Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, T. II, tr. VII, n. 26 (ed. 2ª, p. 797); Génicot, *op. cit.*, T. I, n. 444 (ed. 2ª); D'Annibale, T. III, n. 138 (ed. 3ª); Bucceroni, *Instit.*, T. I, n. 1607, citati in dubio cui respondit S. Pœnit. 9 Jan. 1899.

(4) Ita Génicot, *l. cit.*

(5) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 139.

VI

Q. *Le bourgmestre peut-il être nommé à la présidence du conseil de fabrique?*

R. Nous n'hésitons pas à répondre affirmativement (1).

Les incompatibilités et incapacités sont de droit étroit. Elles ne peuvent ni se présumer, ni s'établir par induction ou analogie, mais doivent résulter d'un texte exprès ou du moins d'un ensemble de dispositions, d'où l'on conclut à l'impossibilité de voir réunies dans une même personne et en même temps, deux fonctions déterminées (2).

Or, pour le cas qui nous occupe, aucune incompatibilité n'est écrite dans la loi. Donc nous n'en admettons aucune; surtout que cette exclusion a quelque chose de blessant pour celui qu'elle frappe et établit entre les membres élus et les membres de droit composant le conseil, une distinction qui n'a pas même pour moyens, de sérieux arguments de convenance.

a/ Certains ont invoqué l'art. 4 du décret de 1809.

Conformément à cet article, le maire sera placé à la gauche du président, le curé à la droite; d'où l'on tire la conclusion qu'ils ne peuvent occuper le fauteuil de la présidence.

Mais on est en droit de répondre que cette disposition a simplement prévu le cas, où par suite de la

---

(1) On peut voir les autorités invoquées pour ou contre cette opinion dans De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7ª, T. II, nº 1008, p. 302. On peut y ajouter *pour l'affirmative:* Pilette, *Traité de l'administration des fabriques d'églises,* p. 36, Bruxelles, Larcier, 1886; de Corswarem, *Fabriques d'églises,* p. 272 ss., nº 253, Hasselt, 1904; — *pour la négative:* les *Pandectes Belges,* vº bourgmestre, nº 100-102; Giron, *Dictionnaire de droit administratif,* vº fabrique d'église, nº 9. Ces derniers se basent surtout sur l'argument de jurisprudence.

(2) Moulart, *Des fabriques d'églises,* p. 221; De Brabandere- Van Coillie, *o. et l. c.*

liberté du choix, ni le bourgmestre, ni le curé n'ont été élus à cette fonction (1). Ce droit du bourgmestre de prendre place à gauche du président n'est qu'une disposition réglementaire, nullement constitutive des conseils de fabrique. On ne doit y voir qu'un honneur rendu au bourgmestre par la loi et on ne saurait en tirer aucun argument contre lui.

L'ar. roy. du 20 Janvier 1880 (2) invoque une autre raison déduite du même article. La faculté accordée aux maires et aux curés, de se faire remplacer au conseil, serait incompatible avec les fonctions de président; car en cas d'empêchement de leur part, ce serait *leur remplaçant qui présiderait la réunion.*

Mais ceci est une pure cavillation: le délégué ayant qualité pour jouir de toutes les prérogatives dévolues par la loi aux curé et bourgmestre en tant que *membres de droit,* mais n'ayant aucun titre pour les remplacer dans les attributions qu'ils possédent *en vertu de l'élection* (3).

b) Un motif qui semble avoir plus de poids, mais qui cependant n'excède pas la valeur d'une raison de convenance, a été allégué. Le curé et le bourgmestre, dit-on, représentent, chacun un intérêt spécial, dans le conseil. Ces deux intérêts doivent se pondérer et ne sauraient sans danger l'emporter l'un sur l'autre; ce qui arriverait le plus souvent, si le curé ou le maire pouvait être élu président (4).

Cet argument, s'il a quelque fondement, prouverait

---

(1) Lettre de Bigot de Préameneu à l'archevêque de Bordeaux, en date du 13 Octob. 1810, ap. André, *Cours de législation civile ecclésiastique,* T. II, p. 361, Paris-Lyon, 1850; *Journal belge des conseils de fabriques,* T. II, 1843, p. 343-344.

(2) *Revue de l'administration,* T. XXVII, p. 96; de Corswarem, o c, p. 274-275, n° 254. Cet argument est repris à la lettre de M. Persil, ministre de la justice et des cultes à M. le préfet de l'Aube, du 13 Nov. 1834, André, o. c., p. 363-364; *Journal belge* etc., p. 347-348.

(3) de Corswarem, p. 275.

(4) Caulet, *L'avocat du clergé,* p. 441, Paris, 1897.

que cette incompatibilité devrait être écrite dans la loi et non qu'elle l'est en réalité. Au reste il en a été fait bonne justice dans une consultation rédigée par des juristes savants et impartiaux (1), en réponse à la question si un conseil de fabrique peut élire pour son président, le curé ou le desservant de la paroisse. L'argument qu'ils invoquent vaut également en faveur du droit du bourgmestre. « On craint, disent-ils, qu'en cumulant avec leur qualité celle de président, les curés ou desservants de la paroisse n'acquièrent une trop grande influence sur les conseils. Mais ou cette influence du curé sera personnelle; ou elle résultera de son titre de président. S'il s'agit de l'influence personnelle, le curé l'exercera de la même manière comme simple membre du conseil; s'il s'agit de l'influence attachée au titre de président, on doit reconnaître qu'elle est à peu près nulle: elle ne consiste réellement que dans la prépondérance de sa voix, en cas de partage; or les conseils de fabrique se composant de sept ou de onze membres, il ne peut y avoir partage que très rarement. La présidence donne lieu aussi à la direction des débats et de la discussion, mais le président qui tenterait d'en abuser, serait bientôt rappelé à l'impartialité par une majorité libre de ne plus le réélire. Les craintes d'influences sont donc mal fondées ». (2)

c/ Enfin, on a fréquemment invoqué l'autorité du Conseil d'État.

On sait que deux projets de décret avec leur exposé des motifs furent présentés à l'empereur: l'un en février 1809, par la section de l'intérieur du Conseil d'État; l'autre en juillet de la même année, par

---

(1) MM. Berryer, Hennequin, Odilon-Barrot, Crémieux, Dupin, Duvergier, Aristide Boué, Millot. Cette consultation a été publiée dans le *Journal français des conseils de fabrique*, I, p. 25, et reprise par le *Journal belge des conseils de fabriques*, I, p. 319-324.

(2) *Journal belge* etc., l. c , p. 322.

M. Bigot de Préameneu, alors ministre des cultes. Après que ces projets avaient été discutés et arrêtés en 113 articles au Conseil d'État, le décret fut signé par l'Empereur le 30 Décembre suivant. (1)

On possède une série de documents contemporains relatifs à l'interprétation de l'article 4 et émanant des auteurs de ces projets (2).

Dans une lettre adressée au président de la section de l'intérieur du Conseil d'État, en date du 2 Octobre 1810, M. Bigot après l'énoncé de l'art. 4 ajoute: « Cette rédaction est dans l'hypothèse que ni l'un ni l'autre ne soit président et autant que je me rappelle, l'avis du Conseil d'État fut que pour écarter tout esprit de parti, ces deux fonctionnaires ne fussent point éligibles. Cependant des doutes se sont élevés sur ce que cette non-éligibilité n'est pas textuellement prononcée. Si votre Excellence me confirme que telle a été l'intention du Conseil, je croirai pouvoir répondre en conséquence ». Le 11 Octobre suivant, le président de la section de l'intérieur lui répond, non *que telle a été l'intention de l'Assemblée délibérante,* mais qu'*il partage l'opinion du ministre* parce que il sera bon que la présidence ne soit confiée ni au curé, ni au maire, l'un et l'autre ayant intérêt à toutes les décisions importantes et à la disposition des fonds.

Il semble donc que ce soit à tort que deux jours plus tard, le ministre des cultes affirme dans sa réponse à l'archevêque de Bordeaux que cette exclusion a été voulue par le Conseil d'État pour le motif formulé par le président de la section de l'intérieur.

Puis la tradition de jurisprudence s'établit, et la réponse de M. Bigot de Préameneu est reprise dans plusieurs décisions ministérielles et un avis du Conseil

---

(1) Documents relatifs au décret de 1809, *le Mémorial,* 1870, T. XIV, col. 388 ss ; 510 ss.

(2) André, *l. c.,* p. 361-366; *Journal belge* etc., II, p. 342-350.

d'État en France (1) comme dans plusieurs dépêches ministérielles et arrêtés royaux en Belgique (2).

Nous croyons donc que les conseils de fabriques ne doivent pas s'arrêter à ces inhibitions administratives non conformes aux dispositions de la loi, et dans lesquelles on a sacrifié le droit incontestable du bourgmestre, pour empêcher l'exercice trop redouté du droit du pasteur (3). Sans doute il peut être préférable, pour la liberté d'action et de discussion des conseillers comme pour avoir toute garantie d'impartialité et de dévouement à la bonne administration de la fabrique, que la présidence soit confiée à un des membres élus ; mais il se peut aussi que l'intérêt bien entendu de la fabrique exige la reconnaissance de ce droit du bourgmestre, au cas où celui-ci serait avec le curé la seule personne capable de comprendre et d'appliquer les lois et règlements qui concernent l'administration fabricienne.

A. De Meester.

---

(1) André, *l. c.*; Caulet, *l. c.*

(2) De Brabandere-Van Coillie, l. c.; le *Mémorial*, 1880, nouv. sér., T. VIII, col. 395-396; *Revue de l'administration*, T. XXVII, p. 96.

(3) Lauwers, *Code de droit civil ecclésiastique*, p. 91, Bruges, 1859.

Miscellanea

OPUS S. INFANTIÆ

Privilegia sacerdotibus collata.

Alia sunt privilegia immediate a S. Sede collata, aliæ facultates a Rev^mo Ministro totius Ordinis Minorum concessæ.

I. **Privilegia a S. Sede collata.**

Operi S. Infantiæ, quinquagesimum natalem (1843-1893) celebranti, concessit *in perpetuum* R. P. Leo XIII per breve *Humani generis* d.d. 3 februarii 1893 varia privilegia, quæ hic describere juvat.

1° *Quibusnam concedantur:* « Omnibus et singulis Sacerdotibus in quibuslibet Societatis Consiliis, directoribus, præfectis seriei duodecim sociorum, et qui vel ære proprio consuetam duodecim sociorum eleemosynam persolverint, vel juxta Apostolicam concessionem diei XV Julii MDCCCLXXXV statuta pecuniæ vi semel soluta, inter socios, perpetuos nuncupatos, cooptati fuerint (Breve cit.) ». Privilegiis igitur frui potest *quivis sacerdos:* a/ *membrum alicujus Consilii* operis, puta apud nos consilii diœcesani;

b/ *director* pii operis in parochia vel collegio aut convictu puellarum. Ad instituendum Opus S. Infantiæ, non requiruntur facultates aut formalitates speciales: sufficit sed requiritur una series duodecim sociorum ut Opus existat et socii fruantur indulgentiis. Directio associationis de jure pertinet ad parochum aut sacerdotem ab eo designatum; in collegio director operis existit superior vel unus ex ejus adjutoribus ab eo deputatus; in convictu, puta puellarum, ipse convictus rector (1).

---

(1) Cf. BERINGER, *Les indulgences,* 3e éd. (trad. Mazoyer), Paris, Poussielgue, 1905, T. II, p. 437; MOCCHEGIANI, *Collectio indulgentiarum,* Quaracchi 1897, n. 2222; *Collat. Brug.*, T. II, p. 496.

c/ *præfectus seriei duodecim sociorum.*

d/ qui ære proprio consuetam duodecim sociorum eleemosynam (7,20 fr.) singulis annis persolvit vel semel pro semper solvit summam pecuniæ necessariam ut quis fiat socius perpetuus (ad minus 100 fr.).

Ut sacerdos fruatur his privilegiis, sicut et facultatibus sub II indicandis, necesse non est ut quotidie recitet *Ave* cum invocatione: *Virgo Maria* etc., prout requiritur pro sociis ut acquirant indulgentias; neque necessaria est inscriptio nominum in registro operis, sicut nec pro lucro indulgentiarum, cum hoc pium Opus non sit vera confraternitas.

2° *Describuntur privilegia:*

a/ *Indultum personale altaris privilegiati* « pro anima *cujuscumque* Christifidelis... *ter tantum singulis hebdomadis...., dummodo tamen alio simili indulto non fruantur* » (Breve cit.). Sensus hujus restrictionis est obvius: sic sacerdos, director Operis S. Infantiæ et simul sodalis tertii Ordinis S. Francisci, non gaudet sexies illo privilegio *personali* sed ter tantum singulis hebdomadis; sed nihil impedit quominus, iis diebus quibus non utitur privilegio personali, fruatur privilegio *locali,* np. indulgentia adnexa ipsi altari ad quod celebrat.

b/ *Facultas benedicendi cum applicatione indulgentiarum Apostolicarum* Cruces, Crucifixos, sancta Numismata, Coronas precatorias, et parvas D. N. J. C., B. M. V. et Sanctorum ahenas statuas, et quoad coronas precatorias *non excepta applicatione indulgentiarum a S. Birgitta nuncupatarum.*

Bene attendantur *restrictiones in Brevi* appositæ:

1/ Sacerdos debet esse rite *approbatus ad sacramentales confessiones excipiendas;* hæc autem approbatio requiritur *ad valorem,* uti declaravit S. C. Indulg. 14 Junii 1901 (1) 2/ Ut *valide* exerceatur hæc facultas, requiritur insuper *respectivi loci Ordinarii consensus,* id

(1) *Collat. Brug.,* T. VI, p. 544.

est Ordinarii loci in quo exercetur facultas. Quod ille consensus requiratur ad valorem, expresse declaratur in Brevi cit. (1). 3/ Facultas illa exerceri tantum potest *privatim* et *extra urbem Romam;* et benedictio dicitur facienda *in forma Ecclesiæ consueta*, hoc est, in casu, *simplici signo crucis* absque formulæ pronuntiatione aut aspersione aquæ benedictæ, cum intentione benedicendi objecta pia iisque applicandi indulgentias; quod signum crucis in casu sufficit, dummodo adsit intentio, ad applicandas simul indulgentias S. Birgittæ (2). — Elenchum indulgentiarum Apostolicarum pro more publicavit, initio sui Pontificatus, SS. D. Pius Pp. X die 28 Augusti 1903 (3).

c/ *Facultas benedicendi et fidelibus imponendi scapularia* Confraternitatum SS. Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, et Septem Dolorum, necnon Immac. Conceptionis ejusdem Deiparæ Virginis, cum communicatione privilegiorum et indulgentiarum, quibus adscripti memoratis Sodalitatibus fruuntur et gaudent.

Iterum nota *restrictiones* adjectas: 1/ « *Dummodo sint confessarii ab Ordinario approbati, nec non prævia ejusdem Ordinarii licentia* (quæ si desit, hujus privilegii concessio *nulla* sit) » ; 2/ hujusmodi facultas exerceri potest « *eis tantum in locis in quibus non extent conventus Ordinum Religiosorum* ad quos ex speciali privilegio Apostolicæ Sedis pertinet præfata Scapularia benedicere et imponere »; 3/ benedictio et impositio fieri debent « *consueto ritu* » pro variis scapularibus.

Ad ulteriorem explicationem secundæ restrictionis hæc advertere liceat: agitur tantum de conventibus *virorum* (*Decr. auth.*, n. 309 et 316), nimirum respective ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivo-

---

(1) Ordinarie tamen requiritur tantum *ad liceitatem:* vide Instr. 14 Junii 1901 ap. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 544, coll. T. IX, p. 403.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. IX, p. 403. Laudabilis tamen est usus descriptus apud *Collat. Brug.*, T. II, p. 496.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, T. IX, p. 60.

rum, Carmelitarum, Servorum B. M. V. et Clericorum Regularium Theatinorum; ad lucrandas indulgentias necessaria est *inscriptio nominum* in registro respectivæ confraternitatis, nisi, ut videtur, pro scapulari cæruleo Imm. Conc. B. M. V. (1): Unde sacerdotes curent ut penes se habeant privatum regestum et *quamprimum commode possunt* transmittant nomina inscribenda in albo vicinioris sodalitatis canonice erectæ (S. C. Indulg. 18 Aug. 1868, ad 1. *Decr. auth.*, n. 428).

Quoad *formulam benedictionis* adhibendam, adverte hic minime concedi facultatem utendi unica formula pro quatuor scapularibus: quoad scapulare B. M. V. de Monte Carmelo jam non conceditur post decr. S. C. Indulg. 27 Aprilis 1887 indultum benedicendi et imponendi illud simul cum aliis (2); ut verò quis *licite* utatur approbata formula unica benedicendi et imponendi quatuor scapularia (SS. Trin., Passionis, Imm. Conc. et septem Dolorum B. M. V.), necesse est ut expresse obtinuerit a S. Sede facultatem specialem (3).

d/ *Facultas impertiendi benedictionem apostolicam* cum indulgentia plenaria Christifidelibus in mortis articulo constitutis.

Benedictio illa fieri debet « servatis ritu et formula a Benedicto XIV... præscriptis », id est consuetis, et ad *valorem* indulti hujus necessarius est consensus respectivi Ordinarii; ex parte autem fidelium, ut acquirant indulgentiam, impleri debent conditiones pro adipiscenda gratia hujus benedictionis exigi solitæ:

---

(1) Cf. Beringer, *op. cit.*, T. I, p. 562.

(2) Cf. Beringer, *op. cit.*, T. II, p. 252. Potest tamen a fidelibus gestari conjunctum aliis, modo fuerit separatim benedictum et impositum.

(3) Cf. *Florilegium* Ampl. D. De Schrevel, ed. alt. (Brugis, 1892), p. 315; Beringer, *op. cit.*, T. I, p. 550. — Hic abstrahimus a privilegio omninò speciali, quali gaudent PP. Redemptoristæ, relate ad scapularia. Cf. Beringer, *op. cit.*, T. I, p. 540.

videlicet « si vere pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint (Breve cit.) ».

II. **Facultates a Rev^mo Ministro totius Ordinis Minorum concessæ.**

1° *Quibusnam concedantur:* per rescripta d.d. 14 Decembris 1901 jam expresse conceduntur *omnibus et singulis sacerdotibus enumeratis in Brevi* « *Humani generis* » (1).

2° *Describuntur facultates:*

a/ *Relate ad Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis:* huic nimirum *adscribendi,* ad ejusdem Regulæ normam, Christi fideles utriusque sexus, « necnon *absolutionem generalem et Benedictionem Papalem,* statutis diebus, juxta Summorum Pontificum concessiones », impertiendi. « Præterea, si in locis in quibus habitualiter degunt, Congregationes Tertii Ordinis non existant, neque adsint alii sacerdotes his facultatibus antecedenter instructi, poterunt etiam Fratrum et Sororum Tertii Ordinis, *prævia R^morum Ordinariorum dictorum locorum licentia, congregationes erigere* et titulo Commissariorum seu Directorum moderari, servatis cæteris de jure servandis ».

Nota *restrictionem* adjectam: sacerdotes prædictis facultatibus uti valent « pro jis dumtaxat locis in quibus non existunt Ordinis Nostri Domus, neque Conventualium, neque Capuccinorum ».

---

(1) Vide *suprà*, p. 386. BERINGER, in ed. cit. (1905), T. II, p. 442, ad normam priorum concessionum, adhuc asserit non comprehendi sacerdotes indicatos p. 337 sub d/, quod non adeo mirum est, quum ipsum periodicon *Annales de l'Œuvre de la Sainte-Enfance* nonnisi recentius in hac re mutaverit suam instructionem de privilegiis sacerdotum. Quæ mutatio adhuc desideratur in editione flandrica (Febr. 1905). Ceterum integra instructio est ibi omnino inaccurata.

b/ *Facultas benedicendi Crucifixos eisque applicandi omnes Sacræ Viæ Crucis Indulgentias*. Hæc benedictio fit *simplici signo crucis,* cum intentione applicandi indulgentias Viæ Crucis, et potest fieri etiam *in globo* supra plures Crucifixos, qui postea distribuantur (1).

Conditiones requisitæ ex parte Crucifixorum, et ex parte fidelium ad lucrandas indulgentias, fuse exponuntur apud Mocchegiani, n. 1236 sqq. (2), Beringer (ed. 1905), T. I, p. 490 sqq. Nobis satis erit explicare breviter textum rescripti d. d. 14 Decembris 1901. Dicitur :

1/ « Benedicendi... Cruces *cum imaginibus Domini Nostri Jesu Christi Crucifixi prominentibus* ». Sic excluduntur tum *cruces simplices,* in quibus deest imago Christi crucifixi, tum cruces cum imaginibus quidem, sed *pictis* vel *impressis*. Admittuntur verò cruces cum imaginibus Christi crucifixi, *tantillum quidem prominentibus, sed a cruce non separatis* (S. C. Indulg. 24 Maii 1883) (3).

2/ « ... prominentibus *atque ex aurichalco* (vulgo *ottone*), *vel ex alia quacumque materia non fragili confectis* ». Indulgentiæ adnectuntur imaginibus Christi crucifixi, non crucibus quibus affiguntur (*Decr. auth.*, n. 281 ad 6m): unde intelligitur quod imagines, non cruces, debeant esse ex aurichalco (laiton, cuivre) vel alia materia non fragili (4). Notatim excluduntur imagines ex stanno vel plumbo confectæ vel alia materia facilis consumptionis (v. g. plâtre) (5). Nunc jam possunt

---

(1) Cf. Mocchegiani, *op. cit.*, n. 1244 sq.; Beringer, *op. cit.*, T. I, p. 490; *suprà*, p. 388.

(2) Integra hujus dissertatio de Via Crucis separatim prodiit sub titulo: *Directorium Sanctæ Viæ Crucis,* Quaracchi, 1897.

(3) Mocchegiani, *op. cit.*, n. 1237; Beringer, *op. cit*, T. I, p. 491. Bene ibi dicit: « des croix sur lesquelles l'image du Sauveur crucifié se trouve ou *attachée* ou du moins *reproduite en relief* ».

(4) Unde cessant indulgentiæ, si ipsa imago frangatur vel deformetur; imago verò potest ex una cruce ad aliam transferri absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam (*Decr. auth.*, n. 281, ad 6m).

(5) Vide clenchum indulgentiarum apostolicarum editum jussu Pii Pp. X, ap. *Coll. Brug.*, T. IX, p. 60.

applicari indulgentiæ Viæ Crucis crucifixis ex auro, argento, ferro, ære, ossibus, ebore, conchis (corail, nacre), ligno (modo sit durum et solidum) confectis (1).

3/ « *eisdemque applicandi omnes sanctæ viæ crucis Indulgentias...* » Unde in exercitio viæ crucis cum crucifixo, eædem prorsus, dummodo rite et devote peragatur, acquiruntur indulgentiæ, quas consequuntur ceteri fideles *stationes* viæ crucis devote visitantes (2).

4/ « ... *lucrandas ab infirmis, navigantibus, carceribus detentis, in partibus Infidelium morantibus, aliisque a visitandis ejusdem Viæ Crucis stationibus legitime impeditis...* » *Raccolta* (ed. 1898) p. 127 hos ultimos sic describit « qui sunt *in vera impossibilitate* visitandi stationes viæ crucis ». Unde requiritur *vera* impossibilitas, non ficta, imaginaria; non tamen requiritur impossibilitas *absoluta*, sed sufficit *moralis* : nimirum « sufficere putamus incommodum *mediocriter grave* seu motivum *vere* rationabile, quacumque demum ex causa proveniat, quod aliquem impedit a visitandis hic et nunc stationibus canonice erectis (3) ». Sequuntur conditiones implendæ ad lucrandas indulgentias :

5/ « dummodo recitent (juxta Decr. *Urbis et Orbis* die 16 Septembris 1859 edit.), corde saltem contrito ac devoto, *viginti Pater*, *Ave* et *Gloria;* unum nempe pro qualibet statione, quinque in Sacr. D. N. Jesu Christi Vulnerum memoriam, ac unum juxta mentem Summi Pontificis ». Insuper requiritur ut crucifixus benedictus *manu teneatur*, dum recitantur præscriptæ preces (*Decr. auth.*, n. 387; *Raccolta*, p. 127); si tamen

---

(1) Cf. Mocchegiani, *op. cit.*, n. 1238 sqq.; Beringer, *l. cit.*, p. 492, coll. p. 464. — Obiter hic notetur non rejici a benedictione et applicatione indulgentiarum *coronas* seu *rosaria*, quæ ex fragili materia, puta ex stanno, plumbo, ex vitro (modo sit solidum atque compactum) conficiuntur (*Decr. auth.*, n. 249, ad 1m et 2m).

(2) Mocchegiani, *op. cit.*, n. 1247.

(3) *Instructio de stationibus S. Viæ Crucis*, 2a ed. (1888), p. 77, cit. apud Beringer, *l. cit.*, p. 493. Cf. Mocchegiani, *op. cit.*, n. 1249 sqq.

plures fideles legitime ut suprà impediti preces illas recitent *in communi*, sufficit ut *una tantum* persona crucifixum benedictum teneat, dummodo ceteri omnes, *ceteris curis semotis,* se componant pro oratione facienda una cum persona, quæ tenet crucifixum (Leo XIII, 19 Januarii 1884; *Raccolta*, p. 127) (1). Sicut pro vero exercitio viæ crucis, ita hoc exercitium cum crucifixo debet fieri *uno tractu*, ita ut sit moraliter unum; non tamen requiritur meditatio passionis Domini, quamvis sit multum commendanda.

Concessio specialissima habetur *favore illorum, quos gravis morbus impares reddit recitandis viginti Pater* etc., ut horum loco *ore* recitent *actum contritionis* et invocationem « *Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti* », et *mente* saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam *trium Pater, Ave, Gloria*. Hoc privilegium jam concessum die 9 Septembris 1890, renovavit Leo XIII per breve 12 Decembris 1901 (2).

Advertendum, ut in fine rescripti citati ponitur, « hujusmodi facultatem valere tantum extra Urbem, iisque in locis, ubi Conventus Fratrum Nobis subjectorum non habentur, nisi, pro Fratribus nostris, venia adsit superioris localis ». Agitur tantum de locis, in quibus habentur conventus Fratrum Minorum (3), seclusis nempe conventibus Conventualium et Capuccinorum.

Concessio hæc facta est *ad quinquennium*, prior verò sub *a/* sine limitatione quoad tempus, expresse tamen

---

(1) Cf. Mocchegiani, *op. cit.*, n. 1256 sqq.; Beringer, *l. cit*, p. 494.

(2) Cf. Mocchegiani, *op. cit.*, n. 1254; Beringer, *l. cit.*, p. 496.

(3) Notum est Leonem XIII, Const. *Felicitate quadam*, 4 Oct. 1897, *Observantes*, *Reformatos*, *Excalceatos* seu *Alcantarinos* et *Recollectos* ad unitatem revocasse, indito nomine *Ordinis Fratrum Minorum*, sub uno antistite supremo, cui nomen *Minister generalis totius Ordinis Minorum*. Cf. Vermeersch, *De religiosis institutis et personis*, T. I (Brugis, 1902), n 50: De Brabandere-Van Coillie, *Compendium*, T. I (ed. 1898 et 1903), n. 579.

non dicitur facta in perpetuum. Practice in hac re nulla est difficultas, cum Consilium generale Operis curet ut rescripta tempestive renoventur (1).

Nota. Pro plurimis, ut vidimus, facultatibus requiritur, et quidem ad valorem, consensus Ordinarii : curent igitur sacerdotes quorum interest ut hujusmodi consensum exquirant, antequam facultatibus utantur (2).

H. MAHIEU.

---

(1) Vix necesse est advertere hac altera facultate non comprehendi facultatem erigendi Stationes Viæ Crucis.

(2) Sacerdotes diœcesis Brugensis scribant ad Ampl. D. De Schrevel, Moderatorem generalem pii operis S. Infantiæ pro diœcesi nostra ; qui transmittet *pagellam,* continentem Breve et Rescripta memorata, et munitam consensu Ordinarii (Episcopi vel Vicarii Generalis). In memoriam revocare liceat Rev^mum Episcopum Brugensem semel pro semper dedisse consensum, requisitum ad usum *facultatum pii operis Propagationis Fidei,* « omnibus et singulis diœcesis nostræ sacerdotibus, pro tempore quo conditiones requisitas adimpleverint ». Cf *Acta Congr. Prosyn. anni 1896,* apud *Collat. Brug.,* T. I, p. 384, sub VII.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Juillet.

I. Les conseillers de fabrique sont tenus de s'assembler en séance ordinaire, le premier Dimanche de Juillet. Dans cette séance, le budget de 1906, dressé par le bureau des marguilliers dans sa session de Juin, sera soumis à l'examen du conseil, qui en discutera chacun des articles et l'arrêtera définitivement, à la majorité absolue des voix.

Nous conseillons vivement aux administrations intéressées de relire la circulaire ministérielle du 15 Mai 1885, sur la comptabilité des fabriques d'églises (1); ainsi que les judicieuses observations relatives à la confection régulière d'un budget, consignées dans les *Collationes Brugenses* (I, 368-375). On trouvera dans le même recueil (I, 309 ss.; II, 349), un exposé du procédé le plus rationnel pour évaluer *l'excédant* ou *le déficit présumé* de l'exercice courant.

Les *Collationes Namurcenses* (2) font très judicieusement remarquer qu'il peut être important de faire figurer à la feuille des observations *l'affectation* des sommes remises à la fabrique: « Supposons qu'une fabrique qui a besoin d'un subside de la commune pour subvenir à une dépense obligatoire, reçoive d'un particulier une somme pour faire une dépense spéciale, par exemple pour acheter un bel ornement (dépense extraordinaire), on évitera, en indiquant l'affectation à un objet spécial de la somme donnée, que celle-ci ne soit décomptée du subside à payer par la commune

(1) *Coll. epist. pastoral,* T. XIV (1881-1887), p. 220 ss.
(2) I, p. 35.

pour les dépenses ordinaires et obligatoires ; parfois même, s'il s'agissait par exemple d'une somme donnée pour certaines restaurations à faire à l'église ou au presbytère, on évitera ainsi que la commune ne revendique pour elle-même la direction des travaux à exécuter », à raison de son intervention par manière de subsides (1).

A l'occasion de l'examen du budget, le conseil s'assurera, si le trésorier a, conformément à l'art. 78 du décret de 1809, fait tous les actes conservatoires pour le maintien des droits de la fabrique ; tels sont : la passation d'un titre nouvel, une inscription hypothécaire, le renouvellement d'une inscription, l'interruption d'une prescription préjudiciable aux intérêts de la fabrique (2).

II. La lecture des arrêtés royaux pris en matière de budget depuis le 1er Janvier 1904 suggère certaines remarques qui peuvent avoir leur utilité.

1° Divers arrêtés royaux réformant des décisions de la députation permanente du conseil provincial du Hainaut, rangent les frais de *chauffage* parmi les dépenses relatives à la célébration du culte arrêtées par l'Évêque.

Cette allocation est donc à inscrire à l'a. 6 *a. b. c.* du chap. I des dépenses et non à l'a. 50 du chap. II. (3)

2° Sont considérées comme dépenses obligatoires les allocations inscrites aux a. 45 (papier, encre etc., *catéchismes et prix des catéchismes*) (4), a. 50 *b.* (*Mois de*

---

(1) Cette revendication ne se légitime jamais à raison de subsides accordés.

(2) DE CORSWAREM, *Fabriques d'églises*, n° 579, 582, p. 517 et 519; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, T. II, n° 1053, p. 344.

(3) a. r. 28 Avril, 8 Juillet, 9 Août, 9 Août, 30 Août 1904, *Moniteur*, 1904, p. 2217-2218, 3569, 4114, 4183, 4356-4357. Cf. *Coll. Brug.*, I, 374; *Coll. Namurc.*, I, 38.

(4) a. r. 9 Août 1904, *M.* 4183. Ce poste pourrait figurer également au n. 50 des dépenses.

Marie, décors et illuminations, confessions pascales) (1) des dépenses du budget.

Il conviendra, eu égard aux frais qu'occasionnera la réforme du chant ecclésiastique, d'allouer à l'a. 50 des dépenses, un crédit plus considérable à *la musique,* pour répétitions, leçons de chant grégorien etc., selon les exigences spéciales de chaque église; sauf à justifier à la feuille d'observations cette augmentation de crédit, si elle est de quelque importance. De même, à l'a. 15 du chap. I des dépenses, devra figurer une somme suffisante pour l'achat des nouveaux *livres liturgiques de chant grégorien,* dont le premier volume paraîtra instamment.

3° L'autorité administrative supérieure a suivi dans plusieurs décisions, les principes établis quant aux *fonds de réserves* par les circulaires ministérielles du 17 Juillet 1884 et du 15 Mai 1885 (2). La députation permanente du conseil provincial du Brabant et de celui du Hainaut, pour pouvoir inscrire une somme à l'a. 49 des dépenses, s'était crue autorisée à supprimer l'allocation portée à l'a. 37 (supplément de traitement au vicaire) et à réduire les crédits affectés à des dépenses obligatoires.

Ces modifications ont été rapportées (3).

4° La jurisprudence persévère à considérer comme facultative *l'indemnité de binage,* dont la nécessité peut en certains cas, pleinement se justifier. (4)

A. De Meester.

---

(1) a. r. 22 Mars, 22 Mars, 9 Avril 1904, *Moniteur*, 1904, p. 1620, 1621, 1832.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp.* II, p. 546.

(3) a. r. 24 Juillet, 9 Août, 9 Août, 10 Octobre 1904; 8 Février 1905, *Moniteur*, 1904, p. 3826 4114, 4183. 5279; 1905, p. 746.

(4) *Coll. Brug.* VIII, 211-216; *Coll. Namurc.* II, p. 231.

Ex Sacra Rituum Congregatione

I

Qualis debeat esse candelarum cera.

PLURIUM DIŒCESIUM.

Nonnulli Sacrorum Antistites a Sacrorum Rituum Congregatione semel atque iterum reverenter postularunt: « An attenta etiam magna difficultate vel veram ceram apum habendi vel indebitas cum alia cera commixtiones eliminandi, candelæ super Altaribus ponendæ, omnino et integre ex cera apum esse debeant; an vero esse possint cum alia materia seu vegetali seu animali commixtæ? ».

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Cœtu die 29 Novembris hoc vertente anno in Vaticanum coadunato, omnibus perpensis, una cum suffragio Commissionis Liturgicæ, anteacta decreta mitigando, rescribere rata est: « Attenta asserta difficultate, *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam, et ad mentem. Mens est, ut Episcopi pro viribus curent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duæ candelæ in Missis accendendæ, sint ex cera apum saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quæ supra Altaribus ponendæ sunt, materia in majori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Qua in re parochi aliique rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati sacerdotes Missam celebraturi de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur ». Atque ita rescripsit, die 14 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Præfectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Adnotationes. — Candelæ seu luminaria pro Missa celebranda in altari requisita, juxta Missale Romanum debent esse « cerea » (1), hoc est, ex vera apum cera

(1) *De defectibus*, X, 1.

confecta. Quæ præscriptio a S. R. C. et ab auctoribus communiter extenditur ad candelas et cereos quæ pro diversis functionibus liturgicis a Rubricis requiruntur. Quare pluries a S. R. C. declaratum fuit non esse admittendas in altaribus seu ad cultum, candelas ex « stearina » *(bougies)* (1) aut ex sevo (suif) (2), sicut nec « gaz » nec lux electrica (3).

Quum autem crescat indies difficultas obtinendi veram ac puram apum ceram (4), S. Congregatio, pluries super hac re interrogata nec respondere antea dignata, tandem rigorem antiquum aliquatenus temperans, quo facilius lex servari possit (5), jam permittit ut veræ apum ceræ admisceatur materia alia in ea quantitate quam præsens decretum indicat, quamque Ordinarii normis magis præcisis determinare possunt.

Cereus paschalis qui in officio Sabbati Sancti solemniter benedicendus et postea in aqua fontis baptismalis immergendus est, necnon *binæ* candelæ quæ in omni missa stricte requiruntur, debent esse ex cera apum saltem *ex* **maxima** *parte*, v. g., ut ait *Revue ecclésiastique de Metz,* 1905, p. 59, quoad partes 75 pro centum.

Omnes aliæ candelæ quæ, sive pro missa, sive pro aliis officiis, puta pro expositione SS. Sacramenti, in

---

(1) Decr. S. R. C. 10 Dec. 1857, *Divionen.*, n. 3063; 4 Sept. 1875, *Policastren.*, n. 3376[3].

(2) Decr. S. R. C. 16 Sept. 1843, *Massilien.*, n. 2865. Decreto tamen 7 Sept. 1850, *Sacrarum Missionum in Oceania,* n. 2985, permisit missionariis usum candelarum ex oleo seu adipe ceti purificato.

(3) Decr. S. R. C., 4 Jun. 1895, n. 3859.

(4) Cf. decr. prosynod. Brug., anni 1874, ap. *Collect. epistol. pastoral.* T. XII, p. 194.

(5) Cf. apud *Ephem. liturgic,* t. XV (1901), p. 379-388, suffragium a R. D. C. Mancini ex officio pro S. R. C. exaratum; vide etiam *Eph. liturg*, t. XVI (1902), p. 194-205, ubi suffragium illud vindicatur contra adversas quasdam *Animadversiones.* Notat consultor quæstionem respicere tantum « candelas altarium quæ præcise et exclusive sint ad cultum, et maxime quæ Missæ sacrificio inserviant » (t. XV, p. 380), cum « *extra altaria plures alias candelas* (quæ sint ex alia materia) *accendi posse in ecclesiis extra controversiam, nunc saltem, ponatur* » t. XVI, p. 194.

altaribus poni debent, ex cera apum sint oportet *in* **majori** *vel* **notabili** quantitate, qualis censeri potest pars circiter media.

Quod si quis ulterius motivum hujus discriminis investiget et simul quærat cur tam ægre materia diversa ab apum cera ad luminare altarium admittatur, ratio magna ex parte videtur invenienda in legitimo S. Congregationis desiderio non amittendi antiquam significationem symbolicam qua non solum ipse cereus repræsentat Christum Dominum, « Lucem veram quæ illuminat omnem hominem » (1), sed qua præsertim vera cera, apum industria producta, habetur ut symbolum carnis Christi ex Virgine procreatæ.

Ex recepta quadam, licet erronea, antiquorum opinione, quasi apes non fœcundatione ordinaria sed ore tantum fœtus suos produxissent ex materia in floribus collecta, Patres et antiqui liturgistæ habebant apes ut animantes virgineas. Unde « apis mater » quæ laudatur adhuc hodie in præconio paschali (2), quæque ceram efformat habita est ut symbolum beatæ Matris semper virginis, quæ virgineo partu procreavit purissimam Christi carnem, in cera luminaris figuratam (3).

Hæc autem mystica significatio in nulla alia luminaris materia invenitur. Et ideo non tantum ab antiquis ex-

---

(1) Obvia erat hæc mystica significatio, modo loquendi S. Scripturæ et SS. Patrum nitens, et invenitur in quocumque lumine. Symbolum autem *humanitatis* Christi in sola habetur cera.

(2) « Alitur enim liquantibus ceris, quas in substantiam pretiosæ hujus lampadis, apis mater eduxit ».

(3) Nec putet quis hanc significationem symbolicam inventam fuisse a liturgistis medii ævi, qui omnia mystice interpretari conati sunt. Jam enim elucet in antiquissimis formulis *Exultet* (qui magna ex parte S. Augustino adscribendus videtur), in quibus multis et diversis laudibus solet celebrari industria virgineæ apis ceram perficientis. Imo jam S. Hieronymus conqueritur de encomiis nimis profanis, etiam a Virgilio mutuatis, quæ solent inseri in præconio paschali, ex quibus pauca tantum verba, supra recitata, usque in hodiernum diem servata sunt. De quibus omnibus cf. J. Braun, S. J. *Osterpräconium und Osterkerzenweihe* (*Stimmen aus Maria-Laach,* 1899, 272-286).

cludi solebat alia materia, sed opera apum ceram producentium commemoratur in formula benedictionis candelarum in die 2ª Februarii (1) et in præconio pro benedictione cerei paschalis. Ceterum nusquam tam mirum in modum evolvitur præfata significatio cerei Christum repræsentantis quam in verbis et cœremoniis *Exultet* in Sabbato Sancto. Nondum enim accensus exhibet nobis symbolum Christi mortui; cera cui infiguntur quinque grana incensi, figurat carnem Christi quinque vulneribus sauciatam quam mulieres aromatibus condire quærebant. Accensus autem cereus repræsentat Christum redivivum qui mansit cum discipulis usque ad diem ascensionis, qua die etiam removetur cereus paschalis.

Ex præcedentibus etiam haud difficile perspicitur hanc mysticam significationem congruentius servandam et urgendam esse a/ in cereo paschali, ob verba et cœremonias præfatas, b/ in binis candelis quæ ad minimum requiruntur infra missam, in qua non tantum præsens sistitur Christus Dominus sed renovatur modo mystico sacrificium passionis et mortis in sacra humanitate Salvatoris.

C. Callewaert.

---

(1) « Domine sancte qui... jussu tuo per *opera apum* hunc liquorem ad perfectionem ceræ venire jussisti ».

Consultatio.

Quæritur utrum versio gallica Sacræ Scripturæ nuper edita :

« **La Sainte Bible**. *Traduction d'après les textes originaux* par l'abbé A. CRAMPON, Chanoine d'Amiens. Edition révisée par des Pères de la Cie de Jésus avec la collaboration de Professeurs de S. Sulpice. Tournai, Société S. Jean l'Evangéliste, 1904 » *indiscriminatim ab omnibus* legi possit.

Respondetur : *De jure positivo, affirmative.* Etenim Constitutio « Officiorum ac Munerum » SS. Leonis P. P. XIII art. 7 habet: « Cùm experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri ; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectæ, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sacris Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus ».

De jure ergo *communi*, fideles hodie absque ullius licentia et sine consilio etiam parochi vel confessarii, possunt legere ac retinere versiones S. Scripturæ lingua vernacula a catholicis confectæ, *modo fuerint a S. Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum præscriptis adnotationibus.* Jamverò 1° editioni gallicæ de qua agitur *imprimatur* concessum est ab Episcopo Tornacensi ; 2° edita est cum præscriptis adnotationibus. Hæ annotationes quidem in quibusdam libris, præsertim historicis veteris Testamenti, non sunt numersoæ, sed ubique tamen reperiuntur et numero plures apparent in libris sapientialibus ac propheticis, maxime autem in libris Novi Testamenti. Sunt utique concisæ neque verbotenus doctrinam SS. Patrum ac

scriptorum catholicorum referunt (1). Verùm, ex communi sententia, sufficit etiam ut annotationes mediate (2) desumantur e SS. Patribus, nempe ex traditione Ecclesiæ, unde solent docti catholici haurire suas explicationes (3). Cæteroquin notæ numero minores requiri videntur in versione juxta textus originales rite adornata, qualis universim hæc versio gallica D. Crampon esse videtur.

Diximus in resp. « *De jure positivo, affirmative* » seu ex lege ecclesiastica. Nam, ut merito animadvertit De Brabandere-Van Coillie (4), si quis ob propriam fragilitatem aut temeritatem exponeretur periculo peccandi, legendo v. g. specialem S. Scripturæ partem, aliquando *ipso jure naturæ* abstinere teneretur (5).

Nota. Liceat, hac occasione, utramque hujus versionis editionem sacerdotibus commendare. Etiam parva editio (1580 pp. in-8° pret. 6 fr. rel. 7 fr. 50) magnà curà confecta, accurate et perspicue impressa studio Sacræ Scripturæ apprime inservire potest; iis autem præsertim utilitati foret, quibus aditus ad textus primigenios haud pateret.

A. Camerlynck.

---

(1) Nescimus cur eruditi Auctores nomen magni interpretis *Cornelium a Lapide* vertendum duxerint: *Corn. de Lapierre* (p. 82). Lingua vernacula enim vocabatur *Cornelius Van den Steen.*

(2) Dictæ annotationes generatim quoad substantiam referunt explicationes in majore ejusdem operis editione consignatas: *La Sainte Bible traduite en français sur les textes originaux par A. Crampon.* Grande édition avec introduction et notes et la Vulgate latine en regard. 7 forts vol. de 720 pp. Tournai, Société S. Jean l'Evangéliste. Notæ autem majoris editionis exhibent interpretationem S. Scripturæ eximie catholicam.

(3) Cf. Vermeersch, *De Prohibitione et censura Librorum,* Romæ-Tornaci 1901, p. 80; — Péries, *L'Index,* Paris 1898, p. 1898; — Arndt, *De Libris prohibitis Commentarii,* Ratisbonæ 1895, p. 129.

(4) *Juris Canonici et Juris canonico-civilis compendium,* Brugis 1903, T. II, p. 653.

(5) Unde fidelibus consulendum est ut prævie consilium parochi vel confessarii exquirant, ne temere quidam se periculo exponant, neve legant versiones art° 7 haud conformes.

Libri dijudicantur.

Liber manualis Rectoris confraternitatis Rosarii, ad usum præsertim parochorum, juxta recentiora decreta et Constitutionem Apostolicam « *Ubi primum* » a R. P. V. M. Liekens, Ord. Præd. exaratus. Mechliniæ, Dierickx-Beke filiorum, [1904]. Parv. in-8°, 132 p. Pret. 1,50.

Utile opus aggressus est R. P. Liekens, breviter collata offerendo omnia quæ de Rosario statuerunt RR. PP., decreveruntque Romanæ Congregationes aut Magistri Generales Ordinis Prædicatorum, supremi Confraternitatis moderatores, ordinaverunt. Uti notum est, nunc præsertim utendum est Constitutione *Ubi primum*, a fel. rec. Leone Pp. XIII d. d. 2 Octobris 1898 data, necnon *elencho indulgentiarum* ab eodem approbato et confirmato (S. C. Indulg. 29 Aug. 1899). Ut statim dicamus, cl. Auctor optimum concinnavit librum manualem, quippe in quo genuina et dilucida doctrina proponitur de erectione Confraternitatis, de officio rectoris, de facultatibus personalibus, quibus gaudent nonnulli sacerdotes, de receptione sodalium eorumque obligationibus, de recitatione publica et privata Rosarii, de indulgentiis et privilegiis; dein de processionibus SS. Rosarii, de festo SS. Rosarii necnon mense Octobris celebrandis, de Rosario perpetuo, de Rosario vivente, etc. Apto consilio additum fuit formularium, et inquirenti præstò est index alphabeticus rerum. Unde hoc opusculum rectoribus Confraternitatum SS. Rosarii libenter commendamus.

Nemo tamen mirabitur in tali opere unum alterumve defectum aut errorem irrepsisse, quos, ut benevolus lector corrigat, hic indicamus: p. 39 et p. 56 in nota addi debet quoad surdo-mutos decr. S. C. Indulg. 18 Julii 1902 (*Collat. Brug.*, T. VIII, p. 360); similiter

p. 69 quoad altare privilegiatum decr. 18 Julii 1902 (*Collat. Brug.*, T. VII, p. 656); p. 98 restrictiones positæ sub b/ c/ d/ non attingunt nisi facultates rectoris sodalitatum S. Familiæ; p. 55, l. 3 loco *publica*, legendum: *privata*, uti patet ex statim ante p. 53-54 relatis; p. 52 loco *virtualis* accuratius scriberetur *habitualis*, attenta genuina notione, quæ ibi ponitur, intentionis requisitæ ad lucrandas indulgentias; p. 51, l. 13 supple: Rosarium *benedictum*. Legenti etiam occurrunt nonnulla menda typographica vel citatio quædam non satis accurata.

Nota. Nuperrime prodiit nova editio operis vere classici in materia indulgentiarum: **Les indulgences, leur nature et leur usage**, par le R. P. Beringer, S. J. Traduction de l'abbé Ph. Mazoyer. 3e édition. Paris, Lethielleux, 1905. 2 vol. in-8°, XIX — 739 p. et 570 — [90] p. — Pr. 10 fr.

Hæc editio gallica concinnata est ad normam recentiorum decretorum S. C. Indulg. et ab hac Sacra Congregatione approbata est et declarata authentica. Præstat præcedenti (a. 1893), ut patet, per addita decreta, quæ numero plurima prodierunt ab anno 1893; deinde novis notitiis circa pia opera vel confraternitates, notulis historicis passim adjectis, necnon formulario et indice alphabetico rerum, qui maxime juvat inquirentem punctum aliquod determinatum circa indulgentias.

H. Mahieu.

*
* *

C. Fouard. **Saint Jean et la fin de l'âge apostolique.** Paris, Lecoffre 1904, pp. XLIV et 343. in-8°, 7 fr. 50; in-12°, 4 fr.

Eruditissimus Auctor, de scientia sacra et Ecclesia optime meritus, diem supremum obiit eo tempore quo

præclaro suo operi historico-scripturistico (1) coronidem imponens, hoc ultimum volumen « de S. Joanne et exeunte ætate apostolica » in lucem edidit. Eædem quæ reliqua clarissimi auctoris scripta commendant dotes, hoc ultimum opus egregie adornant. Est enim ampla ac solida eruditione instructum (2) clara methodo concinnatum, solida suffultum scientia, conscriptum denique stylo conciso ac venusto. Sicut in præcedentibus voluminibus ità et in hoc præsente thetice ac didactice potius quam polemice veritates proponuntur atque stabiliuntur.

In ipso disquisitionis limine, brevi sed stricta argumentatione authentia quarti evangelii, trium epistolarum joannearum necnon Apocalypseos (3) vindicatur. Quo proœmio absoluto, ipsa materia tractanda, apte dispertita his capitibus evolvitur: *Les Juifs après la ruine de Jérusalem. — L'exil de l'église de Jérusalem. — L'Eglise et l'empire sous les Flaviens. — La persécution*

---

(1) Hoc opus, quod integram ferme exhibet nascentis christianismi historiam, sex complectitur volumina (quæ prostant apud Lecoffre, Parisiis et singula veneunt 7 fr. 50 in-8°, 4 fr. in-12°) sc. præter volumen hic dijudicatum, *La Vie de N.-S. Jésus-Christ*, 2 vol. ornés de cartes et plans, 15e et 16e édition; *Saint Pierre et les premières années du christianisme* 1 vol. orné de cartes et plans, 4e et 8e édition; *Saint Paul, ses Missions*, 1 vol. orné de cartes et plans, 4e et 8e édition; *Saint Paul, ses dernières années*, 1 vol. orné de cartes et plans, 6e édition.

(2) In deligendis auctoribus eorumque testimoniis adducendis Fouard aurea via media incedit inter eos qui acatholicorum scripta penitus dedignantur atque negligunt, et eos qui (uti Calmes, *L'Evangile selon Saint Jean*, Paris, Lecoffre 1904) catholicorum scriptis fere totaliter derelictis, quasi exclusive acatholicorum opera in subsidium advocant. Cf Fonck, *Zeitschrift für katholische Theologie*, T. XXVIII, p. 548 s.; — Belser, *Theologische Rundschau*, T. III, p. 200 ss.; — *Biblische Zeitschrift*, T. II, p. 434 s.

(3) Auctor nobiscum (*De Quarti Evangelii Auctore*, Pars Prior, Lovanii 1899, p. 52-125) tenet Joannem presbyterum, ab Apostolo Joanne distinctum (quemque multi contendunt scriptorem fuisse quarti Evangelii, Apocalypseos et I, II, III ep. Joannis) nunquam exstitisse. Animadvertere liceat Auctorem, quamvis non penitus negligat criteria authentiæ interna, ipsis tamen haud satis momenti tribuere; verum ad ea redit in operis corpore pp. 213 ss.

sous Domitien. — La lettre aux sept Eglises (1). — *L'Apocalypse* (1re partie). — *L'Apocalypse* (2e partie). — *L'Epître de S. Clément. — S. Jean l'Evangéliste. — Le quatrième évangile. — Les dernières années et la mort de S. Jean. — L'Eglise après la mort de S. Jean.* Quæ nuda enumeratio jam satis ostendit opus revera præstare studioso lectori quod libri inscriptio ipsi pollicetur.

In singulis autem capitibus Auctor, omissis quæ minoris videbantur momenti factis atque doctrinæ elementis, peracute generatim eos describit eventus, eaque evolvit doctrinæ puncta quorum notitia vere interest, quæque simul rite congregata apteque inter se cohærentia, vividam rei describendæ imaginem exhibent (2).

In quæstionibus dubiis et de quibus acerrimas quandoque eruditi moverunt controversias, Fouard nunquam extrema sectatur, sed acumine vere scientifico ductus, quid probabilius sentiendum sit amplectitur. Nemo tamen mirabitur in opere quod tot quæstiones difficiles attingit, hinc inde quædam occurrere puncta quæ nonnisi restrictione vel correctione adhibita probari posse videntur (3). Verùm leves istæ imperfectiones

---

(1) *Apoc.* I-III.

(2) In specie, nullibi quod sciamus, varias Apocalypseos visiones tam vividis coloribus describuntur.

(3) Unum aliudve indicare liceat. Auctor p. 143 quarti evangelii prologum tribus tantum versiculis circumscribit. — Haud probamus quæ pp. 132 ss. 140 de evangelii conscriptione traduntur: « La langue est plus correcte (dans l'évangile de S. Jean) que dans l'Apocalypse. N'est-ce pas là vraisemblablement un indice que d'autres mains ont concouru avec S. Jean à la rédaction de ses souvenirs? Les disciples qui l'avaient pressé de leur donner cet écrit purent aisément y rectifier tout ce qui leur parut impropre, dans la forme et l'expression. Eux-mêmes y révèlent personnellement leur présence à la fin du dernier chapitre en confirmation du témoignage de l'Apôtre; il se peut que leur assistance ne se soit pas restreinte au rôle de simples secrétaires écrivant sous la dictée du Maître, mais que, plus ou moins, ils aient revêtu son langage de leurs propres termes ». Discrimina quoad linguam ac stylum evangelium inter et

egregias operis dotes minime deformant. Quapropter hujus libri laudes libenter prædicamus, eumque, sicut et reliqua clar. Fouard opera, omnibus sacerdotibus enixe commendamus: hujusmodi enim sunt quæ in unoquoque armario ecclesiastico principem quemdam locum obtinere deberent.

A. CAMERLYNCK.

Apocalypsim existere realia negabit nemo. Verùm hujusmodi discrepantiæ sæpe æquo majores jactantur. Præterea ipsa materiæ diversitas satis explicat discrepantias in verborum delectu ac styli colore. Etenim, ut alibi probavimus (*De quarti evangelii auctore,* Pars I, Lovanii, 1899, p. 21 s.), in Apocalypsi exaranda Auctor vaticinia veteris Testamenti, præsertim Ezechielis atque Danielis prophetias, continuo mente volvebat, ità ut orationis color exinde magis hebraicus evaserit. Exinde enim barbarismi atque soloecismi numero longe majores in Apocalypsi quam in quarto evangelio occurrunt. Atque falluntur qui dictos barbarismos atque soloecismos auctoris ignorantiæ seu in græcitate imperitiæ adscribendos autumant; regulas enim græci sermonis ipsi haud fuisse ignotas alii textus ejusdem Apocalypseos clare ostendunt. Unde rudioris atque impurioris græcitatis quæ in Apocalypsi deprehenditur causa in hoc præsertim reponenda videtur quod Apocalypsis, non eodem censu evangelium, in veteri præsertim Testamento radicatur. Ad *Jo.* XXI, 24-25 quod attinet, casu quo hi ultimi versiculi ab aliena manu fuerint additi, minime exinde probaretur discipulos (?) integrum evangelium conscripsisse vel expurgasse, uti per se patet. Quinimo ipsa operis conscriptio (*et scripsit hæc*) in hoc ipso textu Joanni tribuitur. Hypothesim auctoris, dubitanter cæteroquin propositam, utpote quovis solido argumento destitutam minime admittendam ducimus. Cf. *De quarti evangelii auctore,* Pars II, Brugis, 1900, p. 324 ss.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 6 Junii 1905, in Palatio Episcopali Brugis

Post Missam, omnes Amplissimi ac Reverendi adm. Domini præsentes in aulam palatii majorem convenerunt, ubi, recitato hymno *Veni Creator*, Ill^mus^ ac Rev^mus^ Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Cum præteritis annis, in hoc nostro prosynodali conventu, varia sacerdotis officia, attentis peculiaribus temporum locorumque adjunctis, singillatim descripserimus, jam nihil utilius, nihil opportunius fieri posse videtur, quam ut uno quasi intuitu nobis in imagine proponamus exemplar sacerdotis qui, spiritu, ut ajunt, sacerdotali imbutus, hinc quidem a perversis, noxiis, periculosis, imo vero et vanis atque alienis a suo negotiis abhorret ac declinat, inde vero tum propriam sanctificationem diligenter prosequitur, tum munere suo universo erga animas sibi commissas, pro necessitate temporum, seduio ac perfecte fungitur.

Si Apostolus Ephesios compellat: *Renovamini spiritu mentis vestræ* (1), ut nempe spiritu Christi, ad quem recens vocati erant, magis magisque compenetrarentur, potiori jure clericos, e cæteris fidelibus electos et in sortem Domini vocatos, maxime vero sacerdotes continuo compellat Ecclesia ut spiritu sacerdotali imbuantur, qui eos totos quantos pervadat, cunctam cogitationem mentis et cordis affectum, omne verbum omnemque actionem eorum informet.

Profecto, varia inter homines vitæ instituta, non tam externis operationibus quam intimo quo animantur spiritu, inter se distinguuntur, ita ut unumquodque nativam suam indolem, ingenium proprium præ se ferat, quo qui particeps

(1) *Ad Ephes.*, IV, 23.

est, sua quam sibi elegit vitæ ratione dignus merito habetur aptusque ad officia illius propria rite exercenda, ad finem quem sibi, hanc vitæ rationem eligendo, proposuit attingendum. Sic, qui militiam sectatur, spiritu, ut ajunt, militari; qui magistratum gerit, animo magistratus proprio; qui mercaturam exercet, spiritu mercaturæ præditus sit oportet.

Igitur, sacerdotale munus, quod dignitate, sanctitate, gravitate longe cæteris vitæ institutis antecellit, et in nova præsertim lege divinis quam humanis rebus potius accensendum est, hac ipsa divinæ suæ excellentiæ ratione strictius quoque quam aliud quodvis vitæ institutum, ingenium suum, nativam indolem, spiritum proprium habeat necesse est, quo inter cætera illico discernitur omnibusque eminet; quem quidem spiritum paucis depingere hoc nostrum propositum est.

Itaque spiritus ecclesiasticus ac sacerdotalis, si in ordine ad Deum resque sacras sacerdotium consideramus, radicitus est spiritus fidei, e quo exurgat illico in animo sacerdotis sensus adorationis profundissimæ ac religiosi cujusdam terroris divinorum mysteriorum sibi concreditorum, simulque reverentiæ sanctæ erga semetipsum.

Numquam, Rev. ac dilectissimi Domini, in animis nostris vel minimum deficere aut senescere deberet vis illius affectus, quem vividissimum accepimus tum quo tempore ad sacerdotium aspirabamus, tum maxime in die solemni impositionis manuum episcopi et inter primitias ministerii nostri sacerdotalis: videlicet affectum, quo sentivimus sacerdotem jam non esse more cæterorum hominum virum, sed a reliquis semotum, Deo devotum, sacratum in modum vasorum atque altaris cultui divino sacrorum, imo in modum ipsius Victimæ in altari immolandæ.

Igitur, medio licet in mundo inter homines vivens, nihil a mundo mutuari debet aut potest sacerdos, non sensus, non affectus, non cogitata, non judicia, ita ut non amet, non speret nec timeat quæ mundus, non delectetur quibus mundus, nec prosequatur nec fugiat quæ mundus. Sicut angelus Tobiæ alium cibum habeat oportet, invisibilem oculis profanis mundi; ex alio fonte, quam mundus, hauriat aquas, easque puriores ac salientes in vitam æternam.

Atqui sacerdos inter homines, mediis in erroribus et

præjudiciis mundi degere coactus, fragilitatis humanæ, vanitatum, affectuum perversorum ac peccatorum testis, quin nonnihil horum omnium particeps fiat vix fieri potest, ni continuo vigilet, et sane timendum est ne sensim sine sensu in eo debilitetur vis illius affectus, quo se sentiat a mundo semotum atque alienum, longeque mundanis dignitate ac virtute præcellentem. Quodsi omni tempore et loco hoc periculum est, nostra tempestate quam maxime. Revera, hinc quidem, pro necessitate nostri temporis numquam sacerdotem frequentius quam hodie, numquam in negotiis etiam temporalibus ac mixtis intimius cum hominibus conversari, eisque consilio, auctoritate, omnique ope atque opera adesse contigit; inde vero, magis quoque hodiedum quam ævis elapsis videtur mundus inimicus esse fidei, quæ vincit mundum: etenim, impetu quodam materialistico, in infima ac temporalia bona fertur præceps, excelsiorum ac æternorum oblitus; unde et scientiis naturæ quibus, præ moralium ac divinarum rerum studio, principem locum tribuit, sæpius abutitur, et, falsi nominis scientia inflatus, inconcussa celsaque fidei catholicæ dogmata spernit, ac diabolica rabie impugnare non desinit. Historicis similiter disciplinis abutitur et, prætextu criticæ sublimioris, id est, rationalisticæ, non solum divinitatem sed et authentiam atque veracitatem sacrorum librorum labefactare omni modo ac via conatur; universam mundi historiam pervertit, veritati existentis ordinis supernaturalis et religionis, tum ante tum post adventum divini Redemptoris, substitutis somniis naturalisticis ac pro libitu excogitatis delirantis phantasiæ. Porro, idem mundus perversus, cujusque jugi impatiens, omnem dominationem respuit, Ecclesiæ quoque et Pontificis potestatem sanctissimam, imo vero ipsius Dei majestatem spernere non veretur. Neque vero eos solos hujusmodi pestes infecerunt qui lumine fidei orbi et Ecclesiæ sanctæ alieni sunt; sed, conspirante superbia vitæ homini innata, quæque semper in mundo viguit, teste Joanne Apostolo (1), non paucos quoque qui christiano nomine censentur idem virus quadamtenus invasit, eamque peperit effrænatam libidinem omnia dijudicandi ac crisi subjiciendi, atque insurgendi adversus

(1) 1 *Joan.*, II, 16.

legitimam quamque potestatem. Unde et vel ipse sacerdos, eumdem cum illis aërem spirans, quomodo a contagio istius spiritus, ut ajunt, independentiæ ac criseos, a periculo obedientiæ imo et sinceræ ac humilis fidei labefactandæ aut debilitandæ immunis erit, nisi vigilando et orando conservet profundum illum et intimum sensum suæ dignitatis, quo agnoscat se Deo devotum ac sacratum, a mundo alienum ac semotum?

Hujus rei memor sit sacerdos, ubique et semper sibimetipsi appareat tamquam homo Dei, Dei præco, pro Christo legatione fungens, dispensator mysteriorum divinorum, alter Moses, dux populi christiani in terram promissam cœli, successor prophetarum atque hæres apostolorum Christi, imo potius, ut omnia uno verbo complectamur, alter Christus. Quæ quidem omnia sæpius recogitemus, non ut superbia efferamur in nobismetipsis aut gloriemur coram hominibus, sed ut conservemus et foveamus in nobis spiritum fidei, ex quo profunda erga Deum religio, humilis subjectio præpositis, intima cohæsio cum fratribus in sacro sacerdotio, sancta in nosmetipsos reverentia exurgant.

Hoc spiritu informatus sacerdos, etiam postquam in diuturno senuerit ministerio, divina mysteria et sacramenta, præprimis augustissimum sacrificium, si non eadem tenerrima ac sensibili qua primis sacerdotii sui diebus devotione, eodem tamen solidæ pietatis fervore, eadem divinæ præsentiæ profunda reverentia, eadem filiali fiducia, imo majori, succressentibus annis, charitatis ardore, quotidie attinget omnesque functiones sacras usque obibit. Externo quoque habitu, observatis absolute ritibus præscriptis, dignitatem sibi addente canitie et senilibus moribus majorem actioni decorem conferentibus, modestiam summamque religionem præ se feret, quæ tanta mysteria decet, quæque astantium fidem excitet atque reverentiam. Summopere sibi cavebit ne longo et assiduo usu nimia obrepat familiaritas neve contrahantur singulares quidam perversique loquendi agendive habitus; invigilabit attente ut vitetur tum fractio tumultusque verborum omnisque præpostera festinatio, tum obstinata a lege rituali aberrans hæsitatio ac lentitudo, verbo, ut nulla prorsus sit negligentia qua vel a longe maledictum incurrat Spiritus sancti dicentis: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.*

Eodem fidei ac religionis spiritu, diliget sacerdos decorem domus Dei, et, si non auri atque gemmarum splendore divinam habitationem, præprimis tabernaculum, altare, vasa sacra adornare valeat, omnia tamen quam maxime fieri possit curabit esse nitida, decora, pulchra, ita ut minus indigna inveniantur Dei majestate et gloria, utque populo christiano et sanctitas loci et reverentia divinis mysteriis debita in memoriam usque revocetur et quasi continuo ob oculos versetur.

Præter sanctissimum istud atque princeps officium litandi, et sacra ministrandi, officium alterum vere sacerdotale, nempe orandi, ut rite adimpleat sacerdos, idem spiritus sacerdotalis efficit, quo se rursum supra mundanos extolli sentiat tamquam mediatorem cœlum inter et terram, hominumque advocatum apud Deum. Unde, horas præprimis canonicas, quas qua mediator et totius Ecclesiæ sanctæ legatus ac præco persolvere tenetur, inter præcipua sua munia computanda censet, quicumque spiritu ecclesiastico ac sacerdotali animatur et regitur. Longe ab eo abest ut tanti momenti officium quasi accidens quoddam habeat operis sui quotidiani, quodque per intervalla quædam temporis vacua, quæ secus cui operi impendat nescit, persolvat, aut in remotam ultimamque partem temporis vel et in multam noctem remittat oscitando implendum. Neque sola oratio canonica sed reliqui omnes precandi modi, Ecclesiæ maxime probati, atque oratio præsertim mentalis, cibus quotidianus sit oportet sacerdotis, qui recto spiritu ducitur, ad exemplum sanctorum universim omnium ipsiusque Christi, quemadmodum et populo sæpius prædicando proponimus, et nobis quidem in memoriam revocat vulgatum axioma: Sacerdos, vir orationis.

Porro, pio sacerdoti, spiritu sacerdotali imbuto, æquali zelo propriæ sanctificationi et saluti proximorum unice intento, non potest non apparere arcta affinitas orationem mentalem inter et studium sacrarum litterarum et theologiæ. Nonne jure orationi proprie dictæ mentali seu meditationi quadamtenus accensetur studium verbi Dei, dogmatum fidei, legumque moralium, doctrinæ generatim Ecclesiæ, quod fit præmissa invocatione Spiritus sancti, pio in Deum affectu, ex rectissimo sanctissimoque fine intimius cognoscendi divinas perfectiones divinamque voluntatem, ardentius illas

amandi hancque sequendi, aptius prædicandi verbum Dei, atque docendi fideles doctrinam fidei ac morum, sapientius et efficacius ministrandi sacramenta, imprimis pœnitentiæ sacramentum, tuendi veritatem et sophismata incredulorum diluendi, protegendi fidem humilium, avertendi a populo christiano pericula innumera erroris atque corruptionis? Quid magis urget nostro ævo, quam ut doceatur populus, a minimo ad maximum? His instare amplius supervacaneum ducimus, postquam ipse summus Ecclesiæ Pontifex nuper locutus est et suprema sua auctoritate, non tantum hortando sed plane jubendo, omnibus sacerdotibus rationem agendi hac in re luculenter præscripsit. Nisi quod hoc forte merito addimus, indefessum quoque apud nos in docendo zelum, quamquam videmur haud parum ad præscripta Pontificis jam accessisse, nihilominus omnino necessarium esse: quod enim populus noster doctrina summopere egeat, quod pueri recta institutione, potissimum in re religiosa et morali, et generatim omnes, sub ratione christianæ urbanitatis et morum suavitatis, multis ac continuis adhuc curis indigeant nemo negabit. Neque sufficit scholas catholicas existere, neque saluberrima præscripta diœcesana, sed hoc permagni refert, imo in hoc totum est, ut omnes sacerdotes fideliter et constanter hæc præscripta sane gravia adimpleant, ut in scholis unusquisque partes suas exacte agat: num omnes jam scholæ diligenter, statis diebus et horis visitantur, nec obiter tantum sed sedulo et cum fructu optimo? An omnes parochi eorumque adjutores tanto suo officio, toties a Prælatis tamque instanter in memoriam revocato, rite funguntur? An reliqua præcepta diœcesana de catechismo puerorum, de doctrina christiana populo prædicanda, de conferentia seu instructione monialibus danda ab omnibus adamussim servantur?

Qui necessitatem doctrinæ addiscendæ et docendæ intelligit, neque ullus sacerdos non intelligere non debet, raro diem prætermittet quin aliquem cibum menti, per momenta vel pauca legendo ac studendo, præbeat; sedulo vitabit obstacula et impedimenta, itinera non necessaria, vanas confabulationes et visitationes inutiles, quascumque causas pretiosum amittendi tempus. Cæterum hæc qui fugit, sibi cavet a rebus multis saluti suæ noxiis ac vario periculo

plenis. Vicissim, diligenter orando et studendo, ad omnia munia etiam exteriora implenda aptior sine dubio et fortior evadit.

Addamus tandem spiritum sacerdotalem, quo nullam requiem sentit verus secundum cor Christi sacerdos, quin muniis proprie sacerdotalibus partes principes in quotidiano suo labore addixerit, quin laborem ipsum fecerit esse continuam orationem, quin meditando ac studendo tum sibi tum populo sibi commisso consuluerit, spiritum, inquam, sacerdotalem, qualem descripsimus, et hoc efficere ut sacerdos, mediis licet in perturbationibus, securus consistat. Ecclesiæ sanctæ addictissimus, Episcopo suo cæterisque præpositis reverenter ac humiliter obediens, iisque charitate vera adhærens, non necessitate sed ex conscientia suaviter subjectus, cum fratribus in sacro sacerdotio non humanis solum vinculis sed divino charitatis vinculo intime conjunctus, sanctam Ecclesiam veluti matrem sincere diligit, cum gaudente gaudet, cum mœrente mœret, una cum ipsa gemit, orat, certat, triumphat. Quæcumque sibi interesse videntur, quantopere magni videantur momenti, omnia commodis atque utilitati Ecclesiæ subjicit, cavet semitas ab ea non tritas et profanas novitates, voci ac mandatis summi Pontificis necnon Præsulis sui stat illico, traditiones sacras et regulas sæculorum sapientia consecratas retinet firmiter. Ex quibus fit ut qui spiritu sacerdotali ducitur, summa quoque, mediis licet in tentationibus ac rebus adversis, pace fruatur.

Utinam omnes sacerdotes nostri dilectissimi hoc spiritu ecclesiastico ac sacerdotali magis magisque informati vivant, vigeant, operentur! Quam certum ipsismet sanctitatis pignus, quam tuta salutis æternæ spes, quantum populo christiano salutis præsidium, quantum Ecclesiæ decus et gaudium, quanta Deo laus ac gloria!

Quam vehementer hæc clero nostro hac tempestate optanda sunt, cum tot operibus zeli distentus majus periculum subeat ne quandoque exterioribus et materialibus rebus, cum sacerdotali licet ministerio connexis, nimium absorberi se sinat, ne graviora et proprie sacerdotalia munia, quæ principem locum in vita et actione sua semper et ubique obtinere necesse est, quasi ad secundum locum deprimi permittat, quodque caput rei est tamquam adjunctum habere videatur.

Qua in re, Reverendi admodum ac dilectissimi Domini, vigilate nobiscum, exemplo præite, consiliis, monitis, hortamentis clero vobis commisso adeste, ne tempore futuro, cum febris ista transierit, spiritum sacerdotalem apud nos debilitatum populique nostri christianam institutionem diminutam reperiamus dolentes, nosque pœniteat hujusmodi inversionis ordinis imprudenter admissæ.

Quum Rev^mus Dnus dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. sententiis, a Rev^ma sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Parochis in mentem revocamus preces pro Rege cantandas esse in omnibus ecclesiis, post Missam principaliorem, singulis per annum Dominicis et Festis de præcepto, non exceptis Festis 1^æ et 2^æ classis.

II.

Quod jam in Congregatione prosynodali anni 1902 aperuimus desiderium, illud denuo significamus, maximam scilicet curam impendendam esse juvenibus militiæ adscribendis. Optamus ut qui sorte designati fuerunt, in singulis parochiis, semel saltem ante incorporationem, in unum congregentur, pericula ipsis imminentia edocendi et contra illa debite præmuniendi. Nec omittatur distributio schematum, quibus circuli militum *(Cercles militaires)* et alia quamplurima utilia indicantur, ac juvenes ad militiam profecturi, tum eorum eleemosynario, tum circuli præsidi commendantur. Hæc schemata transmittenda curavimus ad RR. adm. DD. Decanos, per ipsos parochis ea petentibus distribuenda.

III.

Opus basilicæ nationalis, in honorem SS. Cordis Jesu, Bruxellis ædificandæ, quod Episcopi Belgii, litteris suis pastoralibus de die 18 Januarii 1904, clero et fidelibus commendarunt, jam iterum ac instanter commendatum volumus. Rogamus autem omnes diœcesis nostræ parochos ut morem gerant precibus, ad ipsos, 5^a Maii n. c., per operis

in hac provincia curatores transmissis, quibus media indicantur adhibenda ut opus istud præcellens promoveatur et ad optatum finem queat perduci.

IV.

Iterum in memoriam revocamus per sacros canones vetitum esse ne bona ecclesiastica vendantur, permutentur, ultra triennium elocentur etc., nisi legitima de causa et accedente beneplacito apostolico, ideoque minime licere ut, sine prævio ad Episcopum recursu, quo illis debita facultas fiat, vel ipsi Rev. Dni Parochi, vel Fabricæ consiliarii, aliquid agant vel agendum statuant.

Probe autem notandum est:

1° Prævium ad Episcopum recursum non esse intelligendum hunc qui nonnunquam, lege nostra ecclesiastico-civili, præscribitur, sententiæ Episcopi requirendæ causa, *(avis de l'Évêque diocésain)*. Prævius est quando recurritur integra adhuc causa, et hunc in finem ut, tota re rite exposita et examinata, licentia concedatur ulterius progrediendi.

2° Venditioni et emptioni bonorum ecclesiasticorum omnino æquiparandam esse eam bonorum partitionem, quæ forsan occasione demembrationis alicujus parœciæ, vel novæ filialis ecclesiæ erectionis, facienda contingere possit. Hac in re prorsus nihil, inconsulto Episcopo, attentetur, eo vel minus quod partitio hæc sive bonorum divisio, jure ecclesiastico, soli Episcopo definienda relinquatur, nec ulli subjaceat legi civili belgicæ.

3° Prævius in bonorum ecclesiarum administratione consensus Ordinarii petendus est etiam illis in casibus, in quibus forte nullus ab auctoritate civili præstandus, lege nostræ patriæ, præscribitur, quales sunt v. g.:

a Quando bona stabilia abalienantur via *expropriationis*, uti aiunt, *causa utilitatis publicæ;*

b Quando ex *reditibus* superflua convertuntur in acquisitionem *censuum publicorum (achat de rentes sur l'État Belge);*

c Quando acquiruntur vel divenduntur, *venditione haud publica, (vente de gré-à-gré)* bona ecclesiarum *mobilia*, quatenus tamen in contrarium non obstat decretum 16 Augusti 1824.

Venditio hæc, et etiam bonorum elocatio, necnon et alii meræ administrationis actus quilibet, notario haud interveniente, fieri possunt.

V.

Quum dies 21 proximi mensis Julii, quæ, recurrente anno septuagesimo quinto a quo Belgarum gens sui juris esse cœpit, modo festivissimo apud nos celebranda sit, dies autem hæc incidat in feriam VI, qua vi præcepti ecclesiastici a carnibus est abstinendum, ideo Summum Pontificem rogarunt Episcopi Belgii ut ab ea lege, die prædicta, fideles suæ curæ concreditos dispensare dignaretur. His precibus Sanctitas Sua, per rescriptum de die 16 Februarii n. e., benigne fecit satis; hujus autem dispensationis e suggestu, sub omnibus Missis, moneatur populus, Dominica, 16 mensis Julii.

VI.

Te Deum, de quo mentio in Calendario liturgico, ad diem 21 Julii, cantabitur hoc anno uniformiter in omnibus ecclesiis, tam in civitatibus, quam rure, præterquam in civitate Brugensi, Dominica, 23 mensis Julii, post Summum Sacrum vel alia hora competenti, juxta judicium parochi. Cantabitur autem in gratiarum actionem pro beneficio adeptæ libertatis ac inturbatæ pacis, qua per annorum septuaginta quinque spatium gavisi sumus.

VII.

Stadia Exercitiorum spiritualium, ad quæ dilectum Clerum impense invitamus, hoc anno erunt quinque:

1m Rollarii, Dominica, 6 Augusti, hora VIII vespertina.

2m Brugis, Dominica, 20 Augusti, hora VII vespertina.

3m Poperingis, Dominica, 27 Augusti, hora VII vespertina.

4m Rollarii, Dominica, 17 Septembris, hora VIII vespertina.

5m Brugis, pro Professoribus, Dominica, 17 Septembris, hora VII vespertina.

Non omittant RR. DD. Exercitaturi, *datis litteris* ad Superiorem domus, in qua Exercitia obire cupiunt, locum postulare, quindecim ante Exercitia diebus, quatenus nomina eorum catalogo adscribi valeant.

Mens autem nostra est ut nullus exercitantium, absque causa a præside probata ejusque licentia, discedat ante completum ultimum sacri secessus exercitium.

Brugis, 20 Junii 1905.

† G. J., Episc. Brugen.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris

—

I

Interpretare Ps. CXLIX: *Cantate Domino canticum novum* etc.

II

Per Incarnationem Deus semetipsum exinanivit (Philip. II, 7), atqui quælibet exinanitio est indecens divinæ perfectioni et majestati; ergo Incarnatio non est conveniens. Resolve hanc difficultatem.

III

Prævie exposita notione obicis simpliciter et obicis secundum quid ad fructuositatem sacramentorum, indica an et quare graviter peccet scienter sacramentum suscipiens cum obice *simpliciter*.

IV

Explica an et quandonam liceat Sacramentum petere administrandum a ministro a/ in statu peccati mortalis versante, b/ publice hæretico vel schismatico.

V

Describe *gratiam* quæ per Baptismi sacramentum infunditur, ac ostende eam esse gratiam *vere regenerativam*.

VI

Quænam sunt media præveniendi judicia in materia disciplinari et criminali clericorum?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Expone quisnam fuerit status ecclesiæ Ephesinæ tempore quo S. Paulus scripsit 1am epist. ad Timotheum* (1).

R. **Status ecclesiæ Ephesinæ juxta I Tim.** (a. circ. 66).

I. **Quoad doctrinam et mores** *christiani Ephesini generatim laudibus digni fuisse videntur. Attamen Judæo-*

---

(1) PRÆNOTA. 1/ Ecclesia Ephesina a S. Paulo fundata in fine secundi itineris apostolici, et ab eo in tertio itinere confirmata (*Act.* XVI, 6; XVIII, 18 — XX, 1) Judæis et ethnicis conversis constabat, ità tamen ut major neophytorum numerus ex ethnicis venerit. Inter hos enim multo diutius Paulus docuerat. Id apparet evidenter etiam ex tumultu quo Apostolus Ephesum relinquere coactus est (*Act.* XIX, 23 ss.). Insequente anno ex Græcia iterum Jerosolyma revertens, Ephesum prætervectus, presbyteros Ephesios Miletum ad se advocavit, eosque tenerrimo ac gravissimo sermone (*Act.* XX, 15-38) exhortatus est ut florentem ecclesiam ab insidiis imminentibus custodiret. Deinde Jerosolyma profectus et ibi in carcere detentus, ac dein vinctus Cæsaream et postea Romam deductus, per biennium in custodia mansit. Pericula illa quæ Ephesiis presbyteris prædixerat Paulus, exorta sunt: ecclesiam enim Ephesinam primum suum fervorem amisisse patet ex epistola quam Apostolus Romæ vinctus Ephesiis misit. Lupi rapaces non parcentes gregi, quos præviderat Paulus revera ecclesiam invaserant. Quare Apostolus a priore captivitate Romana solutus Ephesum reversus, Timotheum ibi reliquit qui ecclesiæ vigilaret, pseudo-doctores cohiberet, ministros dignos eligeret et publicum cultum rite ordinaret. Timotheus junior erat et negotium ipsi commissum gravissimum. Idcirco monita quæ viva voce dederat, mox, postquam Epheso in Macedoniam discessit, epistolâ ad Timotheum confirmavit.

2/ Ut autem status ecclesiæ Ephesinæ describatur, deficientibus testimoniis seu criteriis externis, superest ut varia indicia, interno epistolæ examine facto, colligamus, eaque cum parallelis quibusdam locis ex *II Tim.* et *Tit.* desumptis conferamus: tres enim epistolas pastorales eumdem proponere statum rerum auctores merito tenent. Cf. JACQUIER. *Histoire des livres du N. T.*, T. I, Paris 1903, p. 353 ss., p. 372, 387.

christiani quidam doctrinæ evangelicæ haud satis addicti, animum potius intendebant in contentiones vanas et nocivas disputationes rabbinicas. Circumferebant nempe illi pseudo-doctores fabulosas narratiunculas a Rabbinis circa V. T. excogitatas, necnon interminatas genealogias quibus probabiliter variarum familiarum originem a determinatis patriarchis et prophetis derivarent. Præterea, nimis rigorose præscriptiones mosaicas circa cibos interpretati, docebant praxes asceticas atque matrimonium damnabant. Quorum utique placita tùm unitati ecclesiæ, tùm bonis moribus detrimentum afferebant.

Explicatio. 1/ *Pseudo-doctores erant judæo-christiani* (1). Contendebant enim se esse Legis mosaicæ doctores (νομοδιδάσκαλοι I, 7). Eorum doctrinæ in judaismo rabbinico radices agebant, siquidem S. Paulus contra ipsos verum Legis valorem definit, et in epistola cognata ad *Tit.* I, 14 eorum placita « judaicæ fabulæ » et ibid. III, 9 « pugnæ legis » nominantur.

2/ Evangelium Pauli de salute christiana omnibus oblata et omnibus per fidem in Christo obtinenda non negaverint quidem, adeoque non fuerint hæretici proprie dicti (2). Eos enim Paulus ut membra ecclesiæ habet, neque hæreticam doctrinam ut meras « fabulas » ineptas et aniles (I, 4; IV, 7) traduxisset. De circumcisione vel sabbato non agitur; neque asceticæ praxes ut ad salutem requisitæ propositæ fuerint. Judaizantium enim errores nullibi deridet Paulus, cùm potius eas acriter conpugnet et solide confutet. Attamen *doctrinæ evangelicæ pseudo-doctores haud satis addicti erant,* vanæ eorum disputationes præterea paci et unitati ecclesiæ necnon genuinis moribus christianis periculosæ erant.

---

(1) Fieri utique potest aliquos ethnico-christianos, olim proselytas judaismi, et quosdam ante conversionem judaismi penitus ignaros, illis placitis adhæsisse.

(2) Licet de hæreticis quibusdam sermo sit in epistola I, 19-20 (Hymenæus et Alexander) VI, 20-21. Cf. *II Tim.* II, 17 s Cf. ZAHN, *Einleitung in das N. T. I* (Leipzig, 1900), p. 473 ss.

Idcirco graviter præcipere tenetur Timotheus illis doctoribus ipsi bene notis ne aliam, præter evangelicam, doctrinam prædicent (I, 3; VI, 3 ἑτεροδιδασκλεῖν) (1).

3/ Ipsorum doctrinæ corpus seu substantia inanes fuerint *disputationes rabbinicæ:* ineptæ et aniles *fabulæ* judaicæ et interminatæ *genealogiæ* (2). Quodnam fabularum fuerit objectum, et quales fuerint genealogiæ Paulus diserte non exprimit. At vero, cùm istæ contentiones et pugnæ verborum certocertius fuerint judaicæ seu rabbinicæ (3), haud improbabiliter conjicere possumus, per *fabulas* intelligi varias narrationes fabulosas circa historiam V. T. in specie circa patriarchas eorumque filios; per *genealogias* autem designari genealogiæ quarumdam V. T. personarum, et forsan stemmata familiarum, quæ fere infinita Rabbini conflabant ut suam originem a determinatis patriarchis et prophetis derivarent (4).

Hujusmodi fabulæ et genealogiæ innumeræ reperiuntur in Haggadoth (5) judaicis quæ conservatæ fuerunt in operibus Philonis et Josephi, in Targumim et Talmude, in Midraschim v. g. in libro Jubilæorum etc. (6). Unde apparet medio s° II° fabulas hujusmodi et genealogias a Rabbinis studiose fuisse excultas.

Secundum plures auctores, doctrina ista intelligenda foret de gnosticis fabulis et prope infinitis genealogiis angelorum vel æonum, qui per gradus et series e sinu

---

(1) Cf. Jacquier, *o. c.*, p. 373; — Tixeront. *Histoire des dogmes*, T. I (Paris 1905) p. 171 s; — Zahn, *ò. c.*, p. 468 ss.; — B. Weiss, *Die Briefe an Timotheus und Titus*, Göttingen, 1902, p. 23; — Lock ap. Hastings, *Dictionary of the Bible* V. IV, (Edinburgh, 1902) p. 770.

(2) Cf. I, 4. 6; IV, 7; VI, 4; *II Tim.* II, 3; *Tit.* I, 14; III, 9.

(3) Legis doctores, I, 7 (νομοδιδάσκαλοι) Rabbini vocabantur. Cf. *Luc.*, IV, 7; *Act.* V, 34 coll. *Rom.* II, 17-23.

(4) Cf. Lock *l. c.* et Ceulemans, *Comment. in S. Pauli Epistolas.* T. II (Mechliniæ, 1902) p. 153. Mos ille apud orientales acatholicos nondum obsolevit.

(5) Haggada (Agada) = fabula, μῦθος.

(6) Cf. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi*, B. II (Leipzig 1898) p. 388 ss.

deitatis emanare fingebantur, perpetuo a perfectione principii declinantes, per quos et materia facta, mundus fabricatus hominesque creati et regenerati fuerint. Verùm talis evolutio gnosticismi tempore S. Pauli nondum existebat (1). Placita pseudo-doctorum præterea in judaicis doctrinis V. T. radicatæ erant, cui gnostici acriter contradicebant. Immerito in favorem hujus sententiæ auctoritas S. Irenæi (*Adv. Hær.* Præf.) et Tertulliani (*De Anima*, 18; *De Præscr.* 33; *Adv. Marc.* I, 9) invocatur (2), cùm uterque scriptor solummodo contrà Valentinianos gnosticos textus quosdam S. Pauli polemice adducat (3).

4/ *Ascesis* pseudo-doctorum Ephesiorum, qua a cibis quibusdam abstinebant, quatenus essent in se mali (IV, 3 ss.) et forsan vino non utebantur (V, 23), cum mosaicis statutis connexa apparet, præsertim autem in ep. ad *Tit.* I, 15 s. « non intendentes judaicis fabulis, et mandatis hominum (4) etc. » Sicut quidam apud Colossenses (II 16 ss. suprà p. 277 ss.), ità et aliqui Ephesii, ultra Legis rigorem progressi, ritus quosdam ethnicos circa cibum et potum assumpserint. Prohibitio matrimonii (IV, 3) orta fuerit ex ascetismo orientali, forsan ex Essenismo (5).

---

(1) Cf. *Col.* II, 16-23, *suprà* p. 277 ss.

(2) Cf. præterea Epiph. *Hær.* XXXIII, 8.

(3) Neque termini in epp. ad Tim. usurpati dictæ sententiæ favent. Ità vox γενεαλογία in terminologia gnostica non reperitur; ejus loco constanter occurrunt voces: αἰῶνες, συζυγίαι. Vox γνῶσις I *Tim.* VI, 20 æque bene in doctrinas rabbinicas quadrat quam in gnosticorum scientiam; cf. *Luc* XI, 52; *Jo.* VII, 49; *Rom.* II, 30. Demum terminus ἀντιθέσεις *I Tim.* VI, 20 de contradictionibus quas Marcion inter V. T. et N. T. excogitavit, intelligi non potest, cùm ille gnosticus integrum V. T. (cui doctrinæ hic a Paulo reprobatæ certocertius innituntur) rejecerit. Cæteroquin vox ista hic optime reddi potest: *oppositiones*, i. e. theses invicem oppositæ, opposita placita sic falso appellatæ scientiæ quæ in contentionibus pseudo-doctorum reperiebantur. Cf. Wendt, *o. c.*, p. 234; — Lock, *o. c.*, p. 771; — Ceulemans, *o. c.*, p. 183.

(4) Cf. *Col.* II, 20, *suprà* p. 280.

(5) Jacquier, *o. c.*, p. 378; — Lock, *l. c.*

5/ Pseudo-doctorum doctrinæ, quæstiones istæ ac pugnæ verborum, vaniloquia *paci et unitati ecclesiæ detrimentum afferebant:* ex ipsis enim « oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum » (VI, 4-5). Insuper doctores *avaritiæ* indulgebant: prædicationem suam habebant ut medium comparandi sibi lucrum temporale (VI, 5), et cùm « radix omnium malorum cupiditas » sit (VI, 10), in multis a christianis *moribus* aberraverint.

6/ Cùm Apostolus totus sit in commendanda mulieribus modestia (II, 9 ss.), mulieres immodestiæ et luxui in vestitu plus æquo indulserint. Juniores quædam viduæ (v. infra II, 6°), votum transgressæ, contra castitatem peccaverant (V, 11 ss.).

II. **Quoad regimen et temperationem communitatis.** Ecclesia Ephesina erat communitas ordinata et temperata cujus membra vocantur fratres 6, fideles IV, 12, sancti V, 10, et ad publicum cultum conveniebant (II, 1, 8-12; IV, 13, V, 5). Quædam in specie notare juvat:

1° Ecclesiæ auctoritativo modo *præest Apostolus* « doctor gentium » II, 7-8 cf. I, 20; II, 1.

2° *Timotheus ab ipso Paulo* per manuum impositionem consecratus episcopus (II *Tim.* I, 6), ab eodem *præfectus erat ecclesiæ Ephesinæ* cum summa potestate: nam debebat non solum omnia ibi disponere circa doctrinam (I, 2; IV, 11; VI, 20) V et cultum (II, 1 ss. IV, 13), sed et ordinandos probare, novos presbyteros et diaconos per manuum impositionem consecrare, eosque pro merito judicare, præmiare aut punire (I *Tim.* III, 1-8; V, 17-22). Non tamen ad Ephesios missus videtur ut perpetuo ibi permaneret, sed ad tempus tantum (1).

3° Erant præterea Ephesi *presbyteri* et *episcopus*, vel etiam episcopi (III, 2; V, 17, 19). Utrique erant superiores sacri potestate docendi et regendi præditi. In quantum ex hac epistola (et cognatis pastoralibus)

(1) Cf. Ceulemans, *o. c.*, p. 314 s.

conjicere licet, voces ἐπίσκοποι et πρεσβύτεροι synonymæ sunt (1): utrique docent fideles eisque præsunt; apud utrosque eædem dotes requiruntur (III, 1-6 coll. *Tit.* I, 5-7). Notandum tamen est vocem ἐπίσκοπος semper in singulari numero reperiri, vocem autem πρεσβύτεροι occurrere in plurali. Inde quidam (2) haud improbabiliter conjiciunt inter presbyteros unum speciali titulo præ cæteris *episcopum* nominatum fuisse et speciali munere insignitum.

4° *Diaconi* etiam aderant Ephesi, ministri sacri inferiores qui, postquam bene officio suo perfuncti erant ad altiorem gradum evehebantur (III, 13). Eorum munera non describuntur sed enumerantur dotes requisitæ (III, 8-10, 12-13).

5° *Mulieres* (γυναῖκες) commemorantur III, 11 in medio textu ubi Paulus docet quales in diaconos assumendi sint. Contextus (3) igitur clare innuit non agi de mulieribus generatim sed de talibus quæ ministros ecclesiasticos aliquo modo adjuvabant, in specie quæ cum diaconis aliquam officii similitudinem habebant (*Rom.* XVI, 1), quæque *diaconissæ* vocantur. Eorum dotes non autem functiones indicantur V, 3 ss.

6° Mentio demùm fit *viduarum* quæ publico ecclesiæ sumptu sustentabantur (V, 4 s.) et viduarum (χῆραι) quæ in indicem seu catalogum referebantur (V, 9 καταλεγέσθω). Sermo esse videtur de viduis ætate et virtute venerabilibus quæ ordinem seu pium aliquod sodalitium sub auctoritate presbyteri seu episcopi constituebant, et ministerium quoddam in ecclesia exercebant. Utrum cum diaconissis identificandæ sint necne non liquet (4).

---

(1) Cf. maxime *Tit.* I, 5-9 ubi particula *enim* (V. 7) a presbyteris ad episcopum transitus fit. Cf. *Act.* XX, 17-28 — Cf. MICHIELS, *L'origine de l'Episcopat*, Louvain 1900.

(2) v. g. JACQUIER, *o. c.*, p. 379.

(3) Sicut et ipse textus græcus. Cf. VAN STEENKISTE, *S. Pauli Epistolæ*, Brugis 1899, *h. l.*

(4) Cf. CEULEMANS, *o. c.*, p. 174 s.; — LOCK, *l. c.*; — BENNETT apud HASTINGS, *o. c.*, p. 917; — JACQUIER, *o. c.*, p. 381.

7° *Mulieribus* (probabiliter charismate præditis) prædicatio publica deinceps prohibetur.

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Expone debitum* proximum *contrahendi peccatum originale non repugnare perfectæ sanctitati Mariæ.*

R. In quadam præcedenti responsione (v. suprà, p. 199), demonstravimus admittendum esse in Maria *debitum* contrahendi peccatum originale, imo illud esse debitum *proximum:* quia si concederetur debitum tantum *remotum*, jam non intelligeretur relate ad Mariam vera *redemptio*.

Attamen quidam auctores, qui non nisi *remotum* debitum in Maria inveniri censent, ad suam tuendam sententiam recurrunt etiam ad hanc considerationem quod perfectæ sanctitati Mariæ repugnat debitum *proximum:* cui argumento nullam inesse vim censemus.

Quid enim est *sanctitas?* Est rectitudo voluntatis circa ultimum finem. In hoc conceptu continetur *immunitas* a peccato : sanctitas enim excludit omnino peccatum mortale quippe quod est aversio ab ultimo fine ; deinde sanctitas quo major est eo magis excludit peccatum etiam *veniale* quippe quo *retardatur* homo in prosecutione ultimi finis. Immunitas autem a peccato est aliquid negativum. Positive et formaliter consistit sanctitas in rectitudine, quæ est positiva perfectio, voluntatis circa ultimum finem. Porro, in præsenti Providentiæ ordine, hæc positiva et formalis sanctitas est *supernaturalis* et obtinetur per gratiam sanctificantem, virtutes infusas, dona Spiritus Sancti (1). Maria autem in primo instanti suæ existentiæ fuit sancta, quia

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 295-256.

sua anima, in ipso instanti ejus unionis ad corpus, donata fuit illis omnibus donis supernaturalibus: nulla igitur privatio gratiæ, nulla privatio rectitudinis, nihil quod rationem peccati habet invenitur in Maria.

Quid est *debitum proximum* contrahendi peccati originalis? Est necessitas *ipsius peccati* originalis contrahendi proveniens ex origine ab Adamo: nempe propter primum Adami peccatum, omnis homo, qui naturali generatione concipitur, privatur gratia et *ideo* constituitur peccator. Uti patet, hæc necessitas est *hypothetica:* subintelligitur enim: nisi Deus, speciali privilegio, in ipso instanti infusionis animæ hanc donaret gratia. Præterea hæc necessitas nihil reale ponit in Maria, nihil positivum, nihil privativum: est mera consequentia logica ex origine Mariæ ab Adamo. Nulla est igitur turpitudo moralis in illo debito proximo, nulla inquinatio peccati, sed a necessitate contrahendi originalis peccati fuit Maria omnino et specialissimo modo *exempta:* nihil *cum peccato originali* commune habuit, et proinde non magis fuisset Maria a peccato originali immunis, si non adfuisset debitum proximum contrahendi peccati originalis (1).

Notemus etiam non repugnare debitum proximum peccati originalis contrahendi *actu* adesse in primo instanti conceptionis simul cum ipsa gratiæ infusione et proinde cum exclusione peccati. Nam « necessitas contrahendi peccatum originale est ipsa lex mortis qua omnes ratione seminali ab Adamo propagati necesse est peccatum contrahere: porro lex non excludit privilegium quo aliquis ab obligatione legis solvatur gratia principis. Privilegium autem præsupponit casum, cui

(1) « Si dixeris propter hoc debitum proximum B. Virginem non jam posse dici puriorem ulla creatura, ut docet prædicatio ecclesiastica, respondeo hoc debito non minui puritatem ejus, et præterea eadem objectio fieri potest contra debitum remotum: nam angelus ne remotum quidem debitum habuit incurrendi culpam ». Pesch, *Tractatus dogmatici*, T. III, n. 299.

applicatur, cadere sub dispositione legis; secus enim nullo privilegio opus esset. Ergo simul componitur subjectum cadere sub dispositione legis et eximi ab ejus obligatione. Quum autem dicimus in B. M. V. fuisse debitum proximum contrahendi peccatum originale, intelligimus ejus passivam generationem fuisse inclusam sub dispositione legis propagationis peccati originalis; et cum dicimus fuisse solum debitum peccati non autem ipsum peccatum, contendimus singulari privilegio eam fuisse exemptam ab hujus legis obligatione » (1). Ergo relate ad Mariam, in ipso instanti infusionis animæ ejus ad corpus, adfuit et necessitas contrahendi peccatum et exemptio ab illa necessitate; ratione tamen prior est necessitas quam exemptio ab illa.

Tandem quæri potest utrum dici queat: *Maria in Adamo peccavit.* Illi auctores qui ad explicandam naturam peccati originalis censent *hominum voluntates*, vi decreti divini, *voluntati Adami alligatas fuisse* in ordine ad observationem vel violationem impositi præcepti (quocumque modo hanc explicent alligationem) deberent logice dicere Mariam in Adamo peccavisse (2). Sed illam opinionem de alligatione vel inclusione voluntatum rejecimus (3), ideoque tenemus *dici non posse Mariam in Adamo peccavisse:* etenim tunc homines constituuntur infecti peccato originali quando *existunt privati gratia* ob voluntarium actum protoparentis: sed Maria nunquam exstitit privata gratia: ergo nunquam fuit peccatrix. Ad rem *S. Anselmus:* « In Adamo omnes peccavimus quando ille peccavit, non quia *tunc* peccavimus ipsi, qui nondum eramus, sed quia de illo futuri

---

(1) Pignataro, *De Deo Creatore,* Romæ, 1905, p. 489.

(2) Hoc revera tenet Suarez, *De Mysteriis vitæ Christi*, Disp. III, Sect. II, et per hoc explicat in Maria *debitum* contrahendi peccati originalis, licet propugnet Immaculatam Conceptionem B. M. V.

(3) Cf. *Collat. Brug.* T. IX, p. 626.

eramus, et *tunc facta est necessitas, ut cum essemus, peccaremus* (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Da notionem jejunii stricte dicti et explica naturam præcepti de unica refectione.*

R. Agitur in præsenti quæstione de jejunio quod proprie et antonomastice vocatur jejunium *ecclesiasticum*, distinctum np. a jejunio *naturali,* quod etiam dici posset ecclesiasticum, utpote ab Ecclesia institutum in ordine ad sumptionem SS. Eucharistiæ. Jejunium igitur, prout præscribitur in formula quæ vulgò « mandata Ecclesiæ » nuncupatur, complectitur tum abstinentiam a certa qualitate ciborum, tum præterea usum limitatum cibi permissi. At certis diebus, puta in feriis VI per annum, sola abstinentia, et quidem a solis carnibus, præcipitur: hæc solet jam vocari *abstinentia simplex,* et distingui a *jejunio,* quod comprehendit tum abstinentiam, non solum a carnibus sed et ab aliis etiam cibis, seu *abstinentiam jejunio propriam,* tum etiam usum limitatum cibi cujusvis, quod *strictiore sensu jejunium* dici potest.

Præceptum igitur *stricte dictum jejunii* pro objecto habet limitare *quantitatem* cibi permissi. Porro Ecclesia restrinxit quantitatem, limitando ipsas refectiones, tum numero, tum retardando horam: scilicet pars seu conditio *essentialis* jejunii semper fuit ut *unica tantum fiat refectio,* sive absolute, sive postea unica tantum *plena*, cui np. non obstat refectiuncula seu *collatio,* nec *frustulum* mane sumptum; hæc pars dicitur essentialis, quia sine ea non concipitur jejunium; altera pars, *de non anticipanda certa hora principalis refectionis,* non est essentialis, ita ut jejunium adhuc consisteret, si quis

(1) *De Conceptu virginali et de originali peccato,* c. 7.

semel in die quavis hora se plene reficeret, sed est *integralis* tantum, reddens jejunium integrum seu perfectum, ita ut non servans certam horam refectionis, licet adhuc jejunare dicendus esset, diminute seu imperfecte jejunare intelligeretur (1).

Hac notione posita, ulterius inquiritur *circa naturam præcepti de unica refectione:* utrum np., sicut præceptum abstinentiæ, sit absolute et simpliciter negativum, ita ut toties quoties peccet, qui ultra refectionem, cum adjecta collatione ac frustulo, cibos permissos (secus violaret legem abstinentiæ) manducat, idque etiam postquam jam violaverit essentialiter jejunium complendo secundam refectionem plenam. Cum sententia communiori (2) respondemus esse *præceptum negativum cum limitatione.* Limitatio hæc est: quamdiu jejunium non fuerit substantialiter violatum per secundam refectionem. Unde toties peccatur venialiter, quoties sine causa manducatur in modica quantitate, et parvæ illæ materiæ eodem die coalescunt, ita ut graviter peccetur, quando advertenter primum completur materia gravis; contra, ne leviter quidem peccat contra hanc Ecclesiæ legem (3), qui post jejunium substantialiter violatum sive advertenter sive inadvertenter (4), ulterius manducat.

---

(1) Cfr. Ills ac Revs WAFFELAERT, *Tract. de prudentia, fortitudine et temperantia* (Brugis 1889), p. 141 sqq.

(2) Pro sententia affirmante præceptum esse simpliciter et absolute negativum citat et sequitur BILLUART, *De temperantia,* Diss. II, art. V, § II, Medinam, Covarruviam, Molanum, Sylvium, Natalem Alex.; pro negante ibid. citantur Durandus, Cajetanus, Sylvester, Navarrus, Paludanus, Lessius, quibus addi possunt Sanchez, Toletus, Suarez, Layman quos refert et sequitur Castropalao, Tract. XXX, disp. III, p. II, § II, n. 8. Hanc sententiam vocat probabiliorem S. ALPH. Lib. III, n. 1030 et sequuntur recentiores satis communiter. Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *op. cit.,* p. 161 sqq.

(3) Secluso utique contemptu. Et dicitur: *contra hanc Ecclesiæ legem,* posset enim quis peccare contra finem legis, peccato gulæ. Cf. S. Alph., *l. cit.*

(4) In utroque enim casu substantia præcepti jam servari nequit. Sunt tamen qui affirmant eum, qui *inculpabiliter* sumpsit duplicem refectionem.

Ratio asserti hæc afferri potest cum Cajetano (1): Ecclesia imponit jejunium certis diebus servandum. Jejunium autem non concipitur, nisi cum unica refectione plena, non hoc sensu quod una requiratur, sed quod una tantum permittatur. Unde Ecclesia non prohibet absolute plures refectiones, sed quatenus frangunt jejunium. Jamvero jejunium frangitur per secundam refectionem et manet fractum pro hac die cui est affixum, sive deinde addantur comestiones sive non. Ergo quum Ecclesiæ præceptum latum sit tantum ad servandum jejunium, illæ comestiones ulteriores non cadunt sub illo præcepto.

Objici potest, arbitrarie dici substantiam præcepti amplius servari non posse: nam Ecclesia potuit prohibere ulteriorem comestionem, et quidem utiliter in ordine ad finem legis.

Respondetur Ecclesiam sane *potuisse* prohibere tertiam et consequentes comestiones, sed non demonstrari Ecclesiam id fecisse. Inquiritur np. de *præcepto* Ecclesiæ, quousque se extendat, non quousque potuisset se extendere; neque dicitur abstinentiam a tertia refectione non esse bonam, sed non esse præceptam. Ceterum non est, ut patet, eadem utilitas prohibendi ulteriores comestiones sicut prohibendi secundam. Confirmatio accedit ex hoc quod Ecclesia, quando dispensat in hac lege, non addat limitationem de duplici tantum refectione sumenda, et sic simul apparet disparitas cum lege permittente semel tantum eodem die celebrare et communicare (2).

---

sub gravi teneri ad abstinendum a tertia, quia, aiunt, comestio, utpote involuntaria respectu violationis jejunii, non computatur. At hæc parum sibi cohærere videntur: sane illa comestio non computatur *moraliter,* id est non imputatur ad peccatum, sed computatur *materialiter* seu frangitur de facto jejunium quoad partem suam essentialem.

(1) In q. 147, art. 8, in fine, cit. ap. Ill^m ac Rev^m WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 162.

(2) Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *l. cit.*

IV

Q. *Expone quomodo quis constituere possit in gula finem suum ultimum.*

R. Prænotandum. *Gula stricte sumpta*, prout opponitur virtuti stricte dictæ abstinentiæ et definitur concupiscentia inordinata delectationum cibi et potus non inebriativi, est peccatum *per se veniale tantum* seu *veniale ex genere suo,* quia quantum est ex natura objecti aliquid admittitur quod non est referibile in Deum finem ultimum (et sic habetur inordinatio, ergo *peccatum*), quod tamen non excludit finem ultimum (ideo *veniale*), cum per se non multum noceat fini quem Deus præstituit usui ciborum, np. conservationi individui (1). *Per accidens* tamen erit peccatum mortale, si quis in gula constituat finem ultimum. Quomodo hoc fieri possit, exponimus in hoc responso (2).

Ante omnia nota diligenter quod *finem ultimum constitui in aliqua re creata* non contingat ex gradu intensitatis quo quis fertur in illam rem, quasi gradus hujusmodi constituat peccatum mortale; sed appeti ut finem ultimum se tenet ex parte rei appetibilis, quæ ametur sub ratione finis ultimi, quatenus scilicet homo adhæreat, quantumvis remisse, deliberate tamen, rei appetibili ut fini ultimo, postposito Deo, vero fine ultimo (3).

Hoc autem dupliciter contingit:

1° *Explicite:* ita ut quis *explicite* eligat ut finem ultimum rem creatam, in casu delectationem gulæ, in hac expresse et formaliter constituendo summum bonum: tunc evidenter « contrariatur gula dilectioni Dei, qui

---

(1) Cf. *Collat. Brug*, T. III, p. 370; Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 188 et 191. — Hic recolenda est notio peccati venialis ex genere suo, quam dedimus ap. *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 436 sqq.

(2) Præ oculis habeantur omnino quæ exposuimus de notione peccati mortalis ap. *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 334 sqq., et præcipue p. 337-338.

(3) Cf. CAJETANUS in 2-2, q. 148, art. 2; Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 188.

est super omnia, sicut finis ultimus, diligendus » (1), seu hujusmodi gulosus contemnit Deum finem ultimum, vel directe (contemptus formalis) vel indirecte, quatenus sit ad quævis paratus ut hujusmodi delectationes assequatur. Et hoc est quod dicit S. Thomas in corp. art. 2: « ... Quando delectationi gulæ inhæret homo tamquam fini propter quem Deum contemnit; *paratus scilicet contra præcepta Dei* (2) *agere*, ut delectationes hujusmodi assequatur ». Hoc addito vult indicare effectum definitæ gulæ, et simul signum quo dignosci possit a posteriori quando delectatio gulæ affectetur ut ultimus finis (3). — Quod quis expresse finem ultimum ponat in gula, raro contingit et esset peccatum illorum quorum in proprio sensu Deus venter est (*Philipp.*, III, 19).

2° *Interpretative:* tunc agens non ponit in re creata finem ultimum, sed de facto ei adhæret ac si esset finis ultimus, postposito Deo. Hic modus solet contingere in peccato mortali, quale ordinarie committitur: scilicet homo lethaliter peccans non solet intendere aversionem a Deo fine ultimo, sed adhæret bono creato, quod apprehendit, confuse saltem, tamquam contrarium ordini finis ultimi, præferens illud Deo, et sic *censetur*, ex suo modo agendi, in bono creato reponere finem suum ultimum. Hoc proinde modo, interpretative seu exercite, constituit in gula finem ultimum, qui peccatum committit grave gulæ; at vidimus gulam esse peccatum veniale ex genere suo: unde modus ille non verificatur in materia nostra, nisi occurrat delectatio ciborum quæ sub gravi prohibeatur, cui si inhæreat deliberate gulosus peccat mortaliter. Hoc autem contingit, quoties

---

(1) S. Thom., 2-2, q. 148, art. 2, ad 2.

(2) Intellige sub gravi obligantia (contra, id est, simpliciter contra: cf. *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 336), et Dei sive immediate sive mediate, puta per Ecclesiam, præcipientis. Cf. Cajetanus, in h. l.; Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *op. cit.*, p. 191.

(3) Cajetanus in h. l.; Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *op. cit.*, p. 192.

graviter violatur præceptum jejunii aut abstinentiæ, quod præcise obligat ex motivo virtutis abstinentiæ. Tunc species est una, eaque mortalis, gulæ (1).

At quæri potest: nonne etiam in gula finem ultimum constituit, qui *ex motivo gulæ* committit peccatum grave *in alia materia* quam abstinentia, quod peccatum sit medium ad delectationem gulæ obtinendam, puta si quis committat peccatum grave furti ad satisfaciendum gulæ? Respondemus: in casu *species principalis* est gulæ, sed est *venialis*, adeoque non reponitur proprie in gula finis ultimus. Talis utique furatur propter gulæ delectationem, adeoque delectatio hujusmodi est finis operantis aliquo sensu ultimus, scilicet in illa serie actionum: unde dicendus est potius gulosus quam fur. Hoc quoad speciem *moralem*, quæ desumitur ex objecto formali, adeoque principaliter ex fine operantis. Sed species *theologica* attenditur ex parte materiæ, quatenus est *præter* (peccatum veniale) vel *contra* (peccatum mortale) ordinem finis ultimi; quando autem ut in præsenti, quæstio agitur de constitutione finis ultimi in re creata, agitur manifeste de specie theologica: *res* creata, cui agens inhæret, excludit finem ultimum et ideo *censetur* agens constituere in ea finem ultimum. In casu finis ultimus interpretative excluditur non ratione gulæ, sed ratione medii adhibiti, quod excludit finem ultimum, np. furti gravis. Ideo tota malitia *gravis* in illo peccato est ex eo quod gulosus adhibeat medium graviter prohibitum, et quidem sic prohibitum, non quate-

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. III, p. 370; Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 189 sqq. — *Nota* hic non haberi *per se* speciem contra obedientiam præcepto Ecclesiæ debitam. Sane qui violat legem jejunii, de facto seu materialiter contemnit auctoritatem legislatoris, sicut in omni violatione præcepti; sed est oppositio generalis, non specialis seu faciens speciem inobedientiæ distinctam. Præcipit np. in casu Ecclesia non ex motivo obedientiæ, sed abstinentiæ. Unde non est dicendum, ut in aliquo circulo dictum est, haberi peccatum tum intemperantiæ tum inobedientiæ. Dicimus *per se:* secluso np. contemptu *formali* legis seu legislatoris.

nus refertur ad gulam, sed quatenus graviter læditur jus proximi (1).

V

Q. *Da notionem ebrietatis formalis.*

R. Juxta S. Thomam (2-2, q. 150, a. 1 in corp.) ebrietas potest dupliciter accipi. Uno modo, prout significat ipsum *defectum* hominis qui accidit ex multo vino potato, ex quo fit ut non sit compos rationis. Et secundum hoc, seu quatenus est status hominis ebrii, ebrietas non nominat culpam, sed defectum pœnalem consequentem ex culpa seu sequelam peccati sive actualis, quando est voluntaria, sive saltem originalis (2). Alio modo ebrietas potest nominare *actum* quo quis in hunc effectum incidit. Qui potest causare ebrietatem dupliciter. Uno modo, ex nimia vini fortitudine, præter opinionem bibentis. Et sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, præcipue si non ex negligentia hominis contingat: et sic creditur Noe inebriatus fuisse, ut legitur Gen. IX. — Alio modo, *ex inordinata concupiscentia et usu vini.* Et sic ebrietas ponitur esse peccatum. Itaque ex S. Thoma peccatum ebrietatis « consistit in actu quo quis inordinato appetitu utitur vino inebriativo, hoc est in quantum est inebriativum » (3), et *definiri potest:*

Appetitus et usus inordinatus potus inebriativi voluntarius (4).

Dicitur 1. *Appetitus et usus:* ex appetitu seu concupiscentia procedit usus, seu delectatio trahit hominem ad bibendum. Nam ebrietas ponitur species intempe-

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *l. cit.*

(2) CAJETANUS, in h. l., ubi addit: « In statu siquidem innocentiæ, etiam si usus vini fuisset, nullus fuisset ebrius: quia nullus error aut infirmitas ».

(3) CAJETANUS, in h. l.

(4) Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 203.

rantiæ, quæ versatur circa delectabile ; non tamen necessariò circa delectans actu (1): seu non requiritur ad salvandam speciem ebrietatis, quod bibens percipiat de facto delectationem, ex cujus amore bibit. Inde sequitur ad formalem ebrietatem requiri usum potus inebriativi *propter ejus delectationem;* secus ebrietas erit materialis, puta in eo qui se inebriat ex necessitate medicinæ. Quod cave ne sic intelligas ac si ebrietas materialis numquam sit peccatum, sed intellige eam non esse peccatum proprie dictum ebrietatis, sobrietati oppositum.

2. *Potus inebriativi:* sic distinguitur ebrietas a *gula stricte dicta*, quæ opponitur abstinentiæ. Nimirum ex delectabili potu contingit dupliciter rationis bonum lædi : primo quia delectatio potus est *in se* immoderata : immoderata enim delectatio tollit *rectitudinem* rationis, quia facit hominem bibere inordinate, quantum ad *quid*, vel *quantum* vel *quale* etc. et quandoque etiam ipsum *usum* rationis perturbat ; et secundum hoc habetur peccatum gulæ ; secundo quia delectatio potus est immoderata, *quatenus est ratio potus fumosi* qui natus est perturbare *usum* rationis. Unde tunc delectatio potus est inordinata, quia trahit hominem ad bibendum usque ad ebrietatem seu quia est inebriativa, et sic pertinet ad vitium ebrietatis (2). Hoc utique verum est ebrium inferre potum plus quam oportet, sed ex hoc solo esset gulosus tantum, uti de facto contingit in illo qui ex consuetudine vel viribus naturalibus largissime bibit sine turbatione usus rationis ; at species ebrietatis sumitur ex excessu in potu, in quantum est potus inebriativus.

Dicit S. Thomas *l. cit.* quod ebrietas « continetur

---

(1) Cf. BILLUART, *Tract. de temperantia,* diss. III, art. II, ubi tamen contendit non requiri excessum in potu, *voluptatis causa.*

(2) Cf. CAJETANUS in 2-2, q. 150, art. 1 et 2 ; Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 200 sq.

sub gula sicut species sub genere ». Intelligit np. gulam late sumptam, sub qua continetur tum gula stricte dicta seu comessatio, crapula, de qua egit S. Doctor in q. 148, tum ebrietas : « Dividitur enim, addit ipse, gula in comessationem et ebrietatem ».

3. *Inordinatus*. Docet S. Thomas (q. 150, art. 1 et 2) peccatum proprie dictum ebrietatis consistere in hoc quod quis se privet (complete vel incomplete) usu rationis ex inordinata concupiscentia et usu vini. In quo consistit ista inordinatio seu undenam constituitur ratio culpæ in peccato ebrietatis ? in promptu est responsio : consistit in hoc quod, propter delectationem in potu, non curat quis sciens et volens se privare usu rationis. Ita quod non privatio usus rationis absolute, nec delectatio in potu inebriativo absolute, culpam constituit, sed delectatio in potu inebriante in sciente et volente illam privationem usus rationis. Inde etiam habes deordinationem esse gravem seu peccatum ebrietatis esse mortale, quando quis bibit cum prævisa *privatione* (np. completa), levem vero seu peccatum veniale, quando bibit cum prævisa *turbatione* tantum imperfecta usus rationis (1).

4. *Voluntarius*, scil. *in se voluntarius*, *cum præviso effectu ebrietatis*, sive hic sit in se voluntarius seu intentus, sive sit voluntarius solum in causa. Se autem inebriare ex industria ut tollatur usus rationis, videtur esse valde paucorum : quoniam carere usu rationis communiter ebrii incurrunt magis quam appetant. In quibus tamen appetitus directe tendit ad carentiam usus rationis, et ad hoc ebrietate utuntur tamquam instrumento delectabili, vitium plus quam humanum videtur, et ad bestialitatis vitia pertinere : nam velle directe privare se usu rationis nihil aliud est quam velle se facere irrationabile ac brutum animal pro tunc (2).

---

(1) Cf. Cajetanus, *l. cit.*, Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, p. 204 sq.
(2) Cf. Cajetanus, *l. cit.*; Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, p. 203.

S. Thomas art. 1 ad 2m loquitur de ebrietate, secundum quod communiter in hominibus contingit, et ideo dicit defectum consequentem, np. privationem usus rationis, esse involuntarium, np. in se. « Sed, addit, immoderatus usus vini est voluntarius, » qui scil. est causa per se privationis vel turbationis usus rationis, et sic defectus consequens erit voluntarius in causa.

H. Mahieu.

VI

Q. *Describe ordinem cæremoniarum quas servare debet celebrans a fine ultimæ postcommunionis usque ad initium ultimi evangelii in missa a/ privata aut b/ solemni.*

R. 1. a/ Completa conclusione ultimæ postcommunionis (aut orationis *super populum*), celebrans ambabus manibus « claudit librum » ita ut apertura respiciat sinistrum (1) latus celebrantis; nisi tamen legendum sit evangelium diversum ab Initio evangelii S. Joannis, quo casu textum legendum præparat in missali quod apertum relinquit.

b/ In missa solemni non claudit missale, cujus curam relinquit presbytero assistenti, cæremoniario vel diacono.

2. Deinde « jungens manus ante pectus, revertitur ad medium altaris » quod « osculatur in medio, manibus hinc inde super eo extensis: tum illis ante pectus junctis, et *demissis ad terram oculis*, vertit se a sinistro latere ad dexterum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu epistolæ, et extendens ac jungens manus

(1) Qua de re, nulla invenitur præscriptio in rubricis, sed conveniunt omnes auctores in hoc casu. Quoad regulam vero generalem, alii, ob rationem mysticam nimis forte exquisitam, volunt ut liber semper habeat aperturam versus crucem, seu *Agnum* qui solus est *dignus aperire librum et solvere signacula ejus* (Apoc. V, 2, ss.), alii contra, melius ut videtur, ex motivo practico censent librum *semper* esse claudendum versus sinistram, quia manu dextera minori labore et clauditur et etiam aperitur.

ante pectus, dicit clara voce *Dominus vobiscum* » (1): « quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus populum », et accepto responso *Et cum spiritu tuo,* dicit [clara voce], si dicendum est: « *Ita missa est,* et per eamdem viam [statim] revertitur ad altare ». In missis autem in quibus non fuerit dictus hymnus *Gloria in excelsis* etiam non est dicendum *Ite, missa est:* quo casu « dicto *Dominus vobiscum* revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium altaris, stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus, dicit [clara voce]: *Benedicamus Domino* », vel, si sit missa defunctorum: *Requiescant in pace*, quod nunquam dicitur in singulari.

b/ In missa autem solemni quæ celebratur cum *Gloria in excelsis*, celebrans, cantato *Dominus vobiscum*, manet junctis manibus versus ad populum, nihil dicens (2), usquedum diaconus absolverit cantum *Ite, missa est.* In aliis vero missis solemnibus, in quibus non est cantandum *Ite*, celebrans statim post *Dominus vobiscum* se convertit ad altare et dicit (3) submissa voce: *Benedicamus Domino* vel *Requiescant in pace.*

3. a/ Tum celebrans mediocriter corpus inclinat (4) et manibus junctis ad sustentationem super altari positis « dicit secreto (5): *Placeat tibi sancta Trinitas...* Quo dicto, extensis manibus hinc inde super altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se » manus ante pectus jungit (6) et adhuc « stans versus altare, elevat ad cœlum oculos et manus quas extendit et jungit » quasi speciem circuli perficiens. Interea dicit priora verba formulæ benedictionis: *Benedicat vos omnipotens*

---

(1) *Ritus celebrandi*, tit. XI, 1 et V, 1.

(2) Diserte hoc præscribitur decr. S. R. C. 7 Sept. 1816, *Tuden.* n. 2572 ad 22.

(3) Explicite hoc jubetur prælaudato decreto n. 2572, ad 22.

(4) *Ordo missæ* dicit: *inclinat se,* de quo cf. *Collat. Brug.,* supra p. 163.

(5) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, 1904, p. 706. nota 2.

(6) Hæc manuum junctio eruitur ex ipsa rubrica quæ statim subjunget tum in *Ritu celebrandi* XII, 1, tum in *Ordine missæ* manus esse rursus *extendendas*.

Deus, et ad vocem *Deus* dum manus jungit, caput cruci profunde inclinat, et « junctis manibus ac *demissis ad terram oculis,* vertens se ad populum a sinistro latere ad dexterum, extensa manu dextera, junctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita, semel [hoc est unico signo crucis] benedicit populo dicens: [clara voce] *Pater — et Filius* ✠ *et Spiritus — Sanctus* » (1) Dum respondetur *Amen*, celebrans dextrorsum « perficiens circulum accedit manibus junctis ad cornu evangelii » ad dicendum ultimum evangelium.

In missis de *Requiem*, dicto *Placeat*, osculatur altare in medio et statim junctis manibus recedit versus latus sinistrum ad dicendum evangelium S. Joannis.

b/ In missa solemni nihil est mutandum: attendat autem sacerdos se non posse dare benedictionem antequam responsum fuerit *Deo gratias.*

II. Ut harum rubricarum sensus et ratio melius percipiatur notari possunt sequentia (2).

Ite, missa est est nuda formula, olim practica, ad dimittendos fideles astantes: ideo dicitur vel cantatur versus populum ad quem dirigitur. Astantibus autem invigilare eosque monere erat in primitiva jam Ecclesia munus proprium diaconorum: ideo hæc formula in missa solemni non debet dici a celebrante. Ut tamen pateat, diaconum monere populum nomine et auctoritate sacerdotis, manet celebrans conversus ad populum post diaconum.

Contrà, *Requiescant in pace* est pia supplicatio pro defunctis (3); *Benedicamus Domino* est simul invitatio ad laudandum Deum et jam oratio laudis: quare hæc dicuntur vel cantantur facie versa ad altare, et quum

---

(1) Conetur celebrans quatuor membra hujus formulæ adaptare quatuor brachiis crucis quam efformat vertens parvum digitum, omnibus digitis extensis et junctis, versus populum.

(2) Cf. H. Van den Berghe, *Ordo Missæ*, p. 139 ss.

(3) Videtur esse abbreviatio longioris supplicationis: « Fidelium animæ per misericordiam Dei *requiescant in pace* ».

sacerdotis etiam sit orare pro defunctis et Deo benedicere, ambæ illæ orationes dicuntur a celebrante etiamsi cantandæ sint a diacono.

Olim post *Ite, missa est,* ut ex sensu hujus monitionis patet, absoluta erat missæ celebratio. Subsequentes cæremoniæ successive additæ fuerunt et tandem in Missali Romano a Pio V modo definitivo prescriptæ fuerunt.

Orationem *Placeat* recitabat celebrans, dimisso jam populo, ex privata devotione quasi in gratiarum actionem et ad commendandum iterato finem sacrificii intentum: unde intelligitur cur concepta sit *in singulari* et recitetur *secreto*. Osculum altaris quod sequitur non refertur ad orationem *Placeat:* eam enim sequitur; nec refertur ad subsequentem benedictionem: non enim omittitur in missis de *Requiem* (1). Habendum est, ut videtur, tanquam affectuosa et pia reverentia Christo exhibita, ante ultimum discessum ab altari (2), sicut fieri solet in primo accessu ad ipsum altare v. g. in principio missæ, in initio benedictionis candelarum, cinerum, palmarum, item in principio officii feriæ VI in Parasceve, etc.

C. Callewaert.

(1) Benedictio quæ datur statim post ministratam S. Communionem extra missam perficitur sub iisdem cæremoniis licet sub altera formula ac benedictio in fine missæ; sed omittitur altaris osculum quia non pertinet ad benedictionis ritum.

(2) Inducta eo tempore quo nondum adjuncta erant benedictio et ultimum evangelium. In quibusdam ecclesiis, ante introductum usum legendi evangelium, recitabatur oratio *Placeat* et osculabatur altare post benedictionem.

Miscellanea

De Gregoriano Tricenario.

« Pro animabus e Purgatorio liberandis ab antiquis temporibus Christifideles celebrandas curarunt et curant Missas, quæ *Gregorianæ,* seu *Gregorianum Tricenarium* appellantur, quæ nimirum *per triginta continentes dies exemplo S. Gregorii Magni* in quovis Altari dicuntur ». Decr. S. C. Indulg. 15 Martii 1884 (1).

Exemplum istud narratur ab ipso S. Gregorio Magno in *Dialogorum* Lib. IV, c. LV (2). Quod exemplum Pontificis tantæ auctoritatis et venerationis multum contulit ut late per ecclesiam Occidentalem diffunderetur usus descriptus. « Hinc, ait Bened. XIV (3),

(1) Cf. *Acta S. Sedis,* Vol. XVI, p. 508; *Nouv. rev. théol.,* T. XVI, p. 351.

(2) Hæc est ejus narratio: « Cum verò post mortem ejus [Justi Monachi] triginta jam essent dies evoluti cœpit animus meus defuncto fratri compati, ejusque cum dolore gravi supplicia pensare, et si quod esset ereptionis ejus remedium quærere. Tunc evocato ad me eodem Pretioso monasterii nostri Præposito, tristis dixi: Diu est quod Frater ille qui defunctus est, in igne cruciatur: debemus ei aliquid caritatis impendere, et eum inquantum possumus, ut eripiatur, adjuvare. Vade itaque, et ab hodierna die *diebus triginta continuis* offerre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non immoletur. Qui protinus abscessit, et dictis paruit. Nobis autem alia curantibus, atque dies evolutos non numerantibus, idem Frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cum vidisset, inquisivit, dicens: Quid est, frater, quomodo es? Cui respondit: Nuncusque male fui, sed jam modo bene sum; quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens protinus indicavit Fratribus in monasterio. Fratres verò sollicite computaverunt dies, et ipse dies extiterat quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta. Cumque Copiosus nesciret quid pro eo Fratres agerent, et Fratres ignorassent quid de illo Copiosus vidisset, uno eodemque tempore dum cognoscit ille quid isti egerant, atque isti cognoscunt quid ille viderat, concordante simul visione et sacrificio, *res aperte claruit, quia Frater qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam evasit supplicium* ». *Opera omnia,* ed. Benedictina (Parisiis, 1705), T. II, col. 468.

(3) *De Sacrosancto Missæ Sacrificio,* Lib. III, cap. XXIII, n. 2. Cf. ejusdem *Instit.* XXXIV, n. 21.

Missarum usus dimanavit, qui a Sancto Gregorio nuncupantur... Fideles omni sæculo eamdem consuetudinem pariter receperunt ».

Porro S. C. Indulg. decreto diei 15 Martii 1884 ad 1m declaravit quod « fiducia qua Fideles retinent, celebrationem triginta Missarum, quæ vulgo *Gregorianæ* dicuntur, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinæ Misericordiæ ad animæ a Purgatorii pœnis liberationem *pia sit et rationabilis, atque praxis easdem Missas celebrandi sit in Ecclesia probata* ».

Quoad efficaciam hujus praxeos hæc notare juvat: quidam putarunt praxim hanc *etiam vivis* suffragari posse, quatenus nimirum, durante adhuc vita, possent anticipari suffragia; sed S. C. Indulg. decreto diei 24 Augusti 1888 (1) ad 4m declaravit quod Missæ Gregorianæ *pro vivis celebrari non valeant;* alii autumarunt, et hoc interdum legitur in foliolis quæ sparguntur, efficaciam Tricenarii esse infallibilem: « Pro certo tamen haberi non potest quod Tricenarium semper obtineat realiter liberationem animæ »; idque erui potest ex consuetudine idem Tricenarium etiam pluries iterandi et ex analogia cum Indulgentia plenaria, de qua certum infallibiliter non est eam de facto in sua integra extensione applicari (2).

Neque constat ipsis Missis Gregorianis adnexam fuisse a Summis Pontificibus indulgentiam (decr. cit. 24 Augusti 1888, ad 2m); attamen quæstio est de nomine, cum omnes conveniant Tricenarium esse efficax ad animam a Purgatorio liberandam (3).

---

(1) Cf. *Acta S. Sedis*, XXI, 254; *Nouv. rev. théol.*, T. XXI, p. 130.

(2) Cf. *Votum consultoris* synoptice relatum apud *Acta S. Sedis*, XVI, p. 516; Beringer, *Les indulg.* (3e éd. 1905), T. I, p. 601. — Adhuc minus constat de revelatione in qua Christus dedisset S. Gregorio privilegium prorsus singulare liberandi animam statim ac Tricenarium fuerit celebratum, imo statim ac eleemosyna pro triginta missis fuerit soluta.

(3) *Votum cit.*, p. 515; *Nouv. rev. théol.*, T. XXI, p. 122.

Specialis efficacia harum Missarum videtur tribuenda potissimum meritis et intercessioni S. Gregorii, ita ut effectum producant *per modum impetrationis*. Res ita explicari potest: ex quo S. Gregorius aspexerit Deum excepisse preces pro anima Justi monachi, eumdem exoravit in terra et exorat in cœlo ut eàdem misericordia uti dignetur pro aliis quorum favore hoc suffragium applicatur (1). Quod bene congruit verbis decreti suprà relatis: *ex beneplacito et acceptatione divinæ Misericordiæ,* et decreti infrà citandi 14 Januarii 1889, ad 3m.

Notat Consultor in *Voto*, quod præcessit decretum 15 Martii 1884, differre Tricenarium a triginta missis celebratis etiam eodem die, in hoc quod hæ citius suffragium áfferant, sed a Purgatorio non liberent animam, in supposito quod indigeat suffragiis majoribus efficacià ordinarià triginta missarum; dum Tricenarium « etsi tardius agat, tamen ad ejus exitum animam liberat » (2).

Quod *conditiones* attinet requisitas ut vere efficax sit Tricenarium Gregorianum, attendi debet præsertim decretum S. C. Indulg. 14 Januarii 1889 (3): np. Missæ celebrari debent *diebus triginta continuis sine interruptione* (ad 4m) *et pro ea anima debent applicari, cujus liberatio a pœnis Purgatorii a divina misericordia imploratur* (ad 3m); non debent necessario celebrari *ab eodem Sacerdote* (ad 2m), aut *in eodem altari* (ad 5m), aut *in memoriam S. Gregorii* (ad 1m). Series non censetur interrupta, si intra trigesimum numerum occurrant *postremi tres dies Majoris Hebdomadæ* (4).

Utrum debeat celebrari missa *de Requiem*, quoties per rubricas permittitur, res est dubia: neque ex usu

---

(1) Cfr. *Votum l. cit.*, p. 514; Beringer, *l. cit.*, p. 601.

(2) *l. cit.*, p. 516.

(3) *Nouv. rev. théol.*, T. XXI, p. 131.

(4) Bened. XIV, *De S. Missæ Sacrif.*, *l. cit.*, n. 3; *Instit.* XXXIV, n. 22; Beringer, *l. cit.*, p. 600; *Nouv. rev. théol.*, T. XXI, p. 123; Mocchegiani, *Collectio indulg.* (1897), n. 1111; *Votum, l. cit.*, p. 513, nota.

neque ex decisionibus Ecclesiæ colligi potest istud esse necessarium. Practice nulla inde difficultas : nam certo convenit celebrare missam *de Requiem,* cum debeat specialis fructus missæ applicari pro anima ipsa, cui intenditur applicari specialis efficacia Tricenarii (1).

H. Mahieu.

(1) Cf. *Votum l. cit.*, p. 513, nota ; Beringer, *l. cit.; Nouv. rev. théol.*, T. XXIV. p. 333

Decretum Commissionis Pontificiæ de re biblica circa « citationes implicitas » in S. Scriptura contentas.

Cum ad normam directivam habendam pro studiosis S. Scripturæ proposita fuerit Commissioni Pontificiæ de re biblica sequens quæstio, vid.:

« Utrum ad enodandas difficultates quæ occurrunt in » nonnullis S. Scripturæ textibus, qui facta historica referre » videntur, liceat Exegetæ Catholico asserere agi in his de » citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non » inspirato conscripti, cujus adserta omnia auctor inspiratus » minime adprobare aut sua facere intendit, quæque ideo » ab errore immunia haberi non possunt? »

Prædicta Commissio respondendum censuit:

« Negative, excepto casu in quo, salvis sensu ac judicio » Ecclesiæ, solidis argumentis probetur: 1° Hagiographum » alterius dicta vel documenta revera citare; et 2° eadem nec » probare nec sua facere, ita ut jure censeatur non proprio » nomine loqui ».

Die autem 13ª Februarii an 1905, Sanctissimus, referente me infrascripto Consultore ab Actis, prædictum Responsum adprobavit atque publici juris fieri mandavit.

Fr. David Fleming, O. F. M.
Consultor ab Actis.

Adnotatio. I. *Ratio et momentum quæstionis propositæ Commissioni Pontificiæ*. Cùm libri sacri seu canonici Deo inspirante conscripti sint, atque divinæ inspirationi nullus error subesse possit, consequitur in locis authenticis S. Scripturæ *nullum auctoris inspirati judicium* erroneum reperiri posse, quodvis habeat objectum: sive doctrinale, sive morale, sive philosophicum, sive scientificum, sive historicum (1). Dicitur: nullum auctoris inspirati judicium. Etenim cùm sacer scriptor citat seu refert alicujus verba, sermonem, epistolam aliudve

(1) Cf. Encycl. Leonis XIII *Providentissimus* ap. *Collat. Brugen.*, 1903, p. 293 ss.

documentum, inspiratus quidem est ad citandum, non verò eo ipso et solo inspirata sunt citata seorsim sumpta. Tunc enim solùm inspirata sunt citata et relata quando, omnibus inspectis, exhibent sensa et judicia ipsius auctoris principalis, Dei, instrumentalis, hominis. Ad dijudicandum autem utrum, in casu particulari, auctor inspiratus citata faciat sua, omnia adjuncta inspicienda sunt, in specie natura citatorum, scopus et modus citationis, genus litterarium et compositio libri (1). Quodsi probaretur auctorem proprium circa citata non efferre judicium, adeoque citata quædam non esse inspirata, ad ea S. Scripturæ inerrantia non foret extendenda.

Quæritur autem utrum hæc principia applicari possint « *citationibus tacitis seu implicitis* » juxta mores litterarios variorum temporum ab auctoribus inspiratis forsan in S. Scriptura admissis. A priori enim non repugnat et a posteriori demonstrari videtur, auctores sacros quandoque documenta ab auctore non inspirato conscripta adhibuisse, eaque sive verbotenus, sive libera citatione, tacito tamen nomine scriptoris atque documenti, scripto inspirato inseruisse. Si autem aliunde probaretur « adserta omnia » in citatione tacità auctorem inspiratum « minime adprobare aut sua facere », hoc modo forsan enodari possent « difficultates quæ occurrunt in nonnullis S. Scripturæ textibus, qui *facta historica* referre videntur ».

II. *Responsum Commissionis*. Per se et regula generali præsumi non potest auctorem sacrum tacito modo citare, et, eo quod tacito modo alterius dicta vel documenta citat, inserta minime probare aut sua facere. Præsumptio stat contra citationem implicitam, et, citatione admissa, præsumptio suadet auctorem citata sua fecisse, adeoque citata esse inspirata et ab errore immunia (2).

---

(1) Cf. *Ill*s *ac Rev*s WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, 1903, p. 144 ss.
(2) Cf. *Collat. Namurc.*-1903, p. 284 ss.

Attamen *Commissio* citationes implicitas absolute non rejicit, earum potius possibilitatem admittit, pariter non negat fieri posse ut hujusmodi citata non sint inspirata. At vero, in casu particulari jure merito requirit ut *utrumque factum* solidis argumentis probetur; hæc tamen argumenta in specie non indicat. Quoad factum existentiæ citationis implicitæ, varia argumenta catholico exegetæ suppeditare poterit v. g. comparatio textus biblici cum documentis profanis, tùm etiam critices interna, uti aiunt, rite adhibita (1), quæ omnia adjuncta tam ad scriptum ipsum, quam ad scriptorem spectantia, mature perpendit atque dijudicat.

Priori hoc facto solide demonstrato, antequam citata dici possint non necessario ab errore esse immunia, solidis argumentis alterum factum probandum est, sc. hagiographum alterius dicta vel documenta tacite relata, nec probare nec facere sua. Quæ argumenta, uti pro citationibus explicitis, maxime, ut videtur, desumi debent ex omnibus adjunctis simul inspectis, sc. ex genere litterario et compositione libri (2) de quo agitur, ex methodo auctoris, ex natura citatorum, necnon ex modo ac scopo citationis.

In hac tamen materia semper salvari debet *sensus ac judicium Ecclesiæ*. Quocirca scitè animadvertit *Revue théologique française* (p. 261). « Si donc une définition dogmatique, l'enseignement universel de l'épiscopat, l'intelligence traditionnelle ou la pensée commune de l'Église attribuent à un passage de l'Écriture Sainte la valeur d'une affirmation historique et estiment que *comme telle* elle fait partie du dépôt de la foi, il ne sera pas loisible à l'exégète de la révoquer en doute sous prétexte de citation implicite. Nous disons *comme telle*. Il y a, en effet, des opinions assez généralement

(1) Ut notat « *Revue théologique française* » Laval-Paris, Mai 1905, p. 262.

(2) Cf. F. v. Hummelauer, S. J. *Exegetisches zur Inspirationsfrage*. Mit besonderer Rücksicht auf das A. T. Freiburg 1904.

enseignées ou admises, mais qu'on n'enseigne ou qu'on n'admet pas nécessairement pour cela comme points de foi. Il faut donc distinguer exactement dans le sentiment de l'Église la valeur respective qu'elle-même donne à ses diverses assertions ».

A. Camerlynck.

Libri dijudicantur.

Geo. Edw. Howe. **Le catéchiste expliquant la doctrine catholique.** Traduit de l'Anglais par M. l'abbé J. De Breyne. Paris, Bloud & Cie ; Hazebrouck, De Breyne-Looten, 3 vol. gr. in-8°. Prix : 3,50 le vol.

Ce nouvel exposé de la doctrine catholique, publié par G. Edw. Howe et traduit par M. l'abbé De Breyne, comprend trois volumes : T. I : *Le symbole des Apôtres ;* T. II : *Les commandements ;* T. III : *Les Sacrements, les vertus, les vices.* Voici la méthode que suit l'auteur : Une question, une réponse courte, nette, précise, puis une explication de chaque partie, souvent même de chaque mot de la réponse. Un grand nombre de textes et d'exemples tirés de l'Ecriture Sainte, des histoires nombreuses servent à prouver ou à expliquer les vérités. Prenons comme exemple la première question (T. I, p. 1) :

1. *Qui vous a fait ?* — C'est Dieu qui m'a fait.

Dieu :

I. L'Etre infini (Q. 17).

II. Le commencement et la fin de tout.

« Toutes choses furent faites par lui ». *S. Jean*, I, 3.

« Je suis l'Alpha et l'Oméga, le commencement et la fin ». *Apoc.* I, 8.

III. L'Auteur de notre être :

« Dieu a créé l'homme et l'a fait » *Eccli.* XVII, 1.

A fait :

I. De quelque chose existant déjà.

II. Mon corps (dans la personne d'Adam).

III. Avec toutes ses perfections.

Les yeux... les oreilles... le cœur... la chair... les os... etc.

IV. Du limon de la terre : *Gen.* II, 7 ; *Eccli.* XVII, 1.

V. Le sixième jour de la création, après les anges, après l'univers. (Q. 19).

A créé:

I. De rien.

II. Mon âme.

III. Avec ses merveilleuses facultés.
Mémoire... intelligence... volonté...

IV. Chaque âme est une création nouvelle de la part de Dieu. (*Summa* I, q. 118, 2).

Moi:

I. Individuellement.

II. De préférence à des milliers d'autres qu'il aurait pu créer.

III. Une âme spéciale pour chaque corps.
Ame et corps s'appartiendront exclusivement et pour toujours.

IV. Providence et amour immense de Dieu pour moi !

V. Reconnaissance etc.

« *Le Catéchiste* », l'original comme sa traduction, a reçu les éloges les plus flatteurs, comme on peut en juger par les lettres d'approbation et de félicitation reproduites en tête de chaque volume. Nous avons parcouru les trois volumes et force nous est de dire qu'il y a des réserves formelles à faire et *quant à la manière d'expliquer* et *quant à la doctrine.*

Tout d'abord *l'explication.* Il y a quelque chose de fastidieux dans cette série de canevas, dont l'enchaînement est souvent si peu logique; plus d'un exposé est confus ou incomplet ou peu opportun. Voici quelques exemples.

Dieu a fait l'homme à son image et à sa ressemblance. Cette ressemblance se voit même dans le corps de l'homme. Voici comment (T. I, p. 12):

a/ Adam n'eut pas de père:	Le Père éternel n'a pas de naissance.
b/ Eve fut formée d'Adam:	Le Fils éternel est engendré du Père.
c/ Les enfants d'Adam et d'Eve naissent des deux:	Le St-Esprit procède du Père et du Fils.

Du même genre les 14 « images faibles » de la S. Trinité, qui se trouvent partout dans la création : p. e. « XIII. La famille a trois éléments : le père, la mère, l'enfant (T. I, p. 68-69).

Pour expliquer aux enfants l'Immaculée Conception, il semble peu opportun de proposer l'opinion de Suarez, qui prétendait que Marie *a péché dans Adam,* dont elle descendait (T. I, p. 260).

Dans la 2e partie : *les commandements,* l'espèce morale des différents péchés est souvent indiquée d'une façon confuse ou erronée : Ainsi p. 214, le vol est contraire à la loi naturelle, à la justice, à la charité, à la loi positive ; p. 200, les péchés d'impureté sont « très opposés à la Sainteté de Dieu », abominables aux yeux de Dieu, « contre le corps qui appartient à Dieu », contre la religion etc. ; au T. III, p. 261, il est dit simplement que la luxure est « très directement opposée à la Sainteté de Dieu ».

Définition du péché véniel : péché « qui fait plus ou moins de tort à l'âme » (T. I, p. 252, coll. p. 269).

Raisons qui dispensent de la loi du jeûne : « c. le travail manuel : ouvriers, domestiques ; d. le travail intellectuel : les professeurs » (T. II, p. 272).

Confession annuelle : Explication des mots « *une fois l'an :* I. Un an après la dernière confession faite ; II. Ordinairement au temps de Pâques. Comme préparation à la communion pascale. III. Quand l'année est passée, l'obligation existe toujours » (T. II, p. 280).

Dans la 3e partie : *Les Sacrements* etc., on voudrait voir plus souvent la distinction entre la validité, la licéité, la fructuosité.

Pour le baptême de désir : « Il faut en même temps désirer le baptême et *regretter le péché* » (T. III, p. 30). — Quelle contrition faut-il ?

Ce qui est plus grave, c'est que la *doctrine* elle-même n'est pas toujours sûre. Que le lecteur en juge :

T. I, p. 31 Dieu est infini, scil. « sans limite, quant à *l'étendue* » ; p. 51 : « Ceux qui font le mal sont de simples instruments dans la main de Dieu » ; p. 57 : « Dieu voit l'acte parce qu'il sera fait. *Ceci s'explique par l'éternité et l'immensité de*

Dieu »; p. 87: « *Le Verbe* (s'est fait chair): I. Le produit de l'esprit humain, c'est la pensée. II. L'expression extérieure de la pensée, c'est le langage, la parole, le verbe »; p. 88, il est dit que c'est *par la nature divine* que le Christ fit ses nombreux miracles: cependant il est communément admis en théologie « Christum *secundum humanitatem* fuisse causam miraculorum (1) »; p. 127: La liturgie du Vendredi Saint « comprend » l'Adoration de la Croix ». *Ce n'est pas de l'idolâtrie:* Abraham *adora* les anges Gen. XVIII, 2 ». Et le culte de latrie relatif? — P. 257: La faute du péché originel est « mortelle, *jusqu'à un certain point.* Elle exclut de la vision de Dieu »; p. 264: Le péché mortel « mérite l'enfer pour tous les maux qu'il cause: a/ La peine des sens, *pour le corps, dans chaque membre;* b/ la peine du dam ». Ici, rien n'est ajouté.

T. II, p. 133 définition du blasphème: « Toute pensée, parole, désir ou acte injurieux à Dieu »; p. 134 gravité du blasphème: « a/ Péché mortel, en lui-même, ou, quand il est une habitude que l'on ne regrette pas; b/ Péché véniel, s'il est proféré sans pleine advertance, ou sans scandale »; p. 145: « les œuvres *communes* (distinctes des œuvres libérales et des œuvres serviles): *faites par toutes sortes de personnes,* p. ex.: voyager par terre ou par mer, pêche, chasse. Permises ou tolérées, *si on entend la messe....* » p. 201; le péché d'impureté « n'admet pas de légèreté de matière: a. Les péchés d'impureté sont donc toujours mortels; b. Excepté quand il n'y a pas de parfait consentement ». Ne faut-il pas restreindre cette assertion à la *delectatio venerea in se voluntaria extra conjugium?* — P. 202: La pureté (lisez: chasteté) « a/ *virginale*: gardant sans tâche (sic) l'innocence du baptême: la plus parfaite; b/ *conjugale* » etc.; p. 283: Communion pascale: « Il y a *généralement* obligation de la faire dans sa propre paroisse, *pour le bon exemple* ».

T. III, p. 60: « Nos actes faits en union avec N. S. acquièrent un mérite *infini* »; p. 63: « Jeûne naturel, abstention absolue de toute sorte *d'aliment* »; p. 117: « Pour la paix de la conscience, il est bon de déclarer (en confession) les circonstances aggravantes, p. ex.: vol de 10 francs ou de 100 francs. Scandale à une personne ou à dix personnes »;

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 443.

p. 159: Le Sacrement de l'Ordre imprime un caractère, « c'est-à-dire un signe distinctif, donné *par chaque Ordre*. On ne peut donc réitérer aucun des Ordres reçus »; p. 198: Notion de la justice distributive: « fait rendre les honneurs dus au rang, la récompense due au mérite »; p. 355: Réciter ses prières du matin « en s'habillant ou en circulant dans la maison, c'est manquer *gravement* de respect à la Divine Majesté ».

H. MAHIEU.

*
* *

Le Bonheur des familles assuré. — *Conseils pratiques aux personnes mariées, aux jeunes gens et aux jeunes filles*, par D. G. — 2e Edition, pp. 232, in 8°. — Liége, H. Dessain, (1), prix 2 frs.

En opellam optimum in finem conscriptam, ac lepido, hinc inde crudiori forsan, stylo exaratam. Imprimis *conjuges* docet pericula præcipue effugienda ac defectus eradicandos ex quibus mutuus amor signanter frigescat ac fides conjugalis in discrimen vocetur; practica suggerit consilia *parentibus* ut filios ac filias opportune dirigant et juvent in eligendo futuro conjuge; præcipua autem est tertia pars (pp. 93-182) ad *nupturientes* directa, in qua solerter monentur de variis scopulis a matrimonium ambiente sedulò attendendis.

Pag. 178 et seq. tangit, æquo concinnius, uti videtur, quæstionem valde practicam et non parum anxiam, utrum, quomodo, quousque et a quonam erudiendi sint dicti nupturientes circa naturam matrimonii ejusque primarium officium, ne vitæ statum incaute aggrediantur penitus ignotum (2):

---

(1) Prostat etiam Brugis, apud Beyaert.

(2) Quocirca qui plura desiderat adeat libellum, nuper communi opera plurium sacerdotum, medicorum et mulierum editum, in gratiam conjugum præsertim et nupturientium, uti titulus indicat: *Die Ehe — aufhlärungen und rathschläge für erwachsene, besonders für Braut und Eheleute.* — 1904 — Donauwörth — Ludwig Auer. In hoc sane libello,

Præter hæc praxim spectantia, quædam miscentur puncta doctrinæ, in quibus nonnulla minus accurate exposita occurrunt. Ita non obscure innuit A. sola sponsalia coram testibus solemniter contracta inducere publicam honestatem; notat enim p. 200-201 : « Les fiançailles contractées solennellement, c'est-a-dire devant témoins, lors même qu'elles ne sont accompagnées d'aucune cérémonie religieuse, d'aucun acte écrit, créent un empêchement diriment... ». Quod habetur p. 201, natum est lectorem in errorem ducere circa loca in quibus viget lex clandestinitatis, cum non sit absque restrictione dicendum : cette loi n'est pas en vigueur dans les pays hérétiques et schismatiques ». Pag. 202, ubi alludit ad tempus feriatum, distinguendum foret inter jus commune, solemnitates dumtaxat nuptiales, et jus particulare, in multis locis ipsum contractum proscribens. Videtur etiam, p. 207, supponere, in Hispania, matrimonium civile existere juxta matrimonium religiosum, uti apud nos, nisi quod matrimonium civile ibidem matrimonium religiosum subsequatur : legislatio autem civilis Hispanica solum matrimonium religiosum admittit pro omnibus catholicis. Cf. Lehr, *Le mariage, le divorce et la séparation de corps dans les principaux pays civilisés,* 1899, Paris, Larose.

A. De Smet.

*
* *

---

per Germaniam admodum vulgato, plurima scitu utilissima, egregie cæteroquin proposita, exhibentur pro sacerdotibus in ministerio laborantibus; non pauci tamen in dubium vocant opportunitatem illum præbendi legendum laicis signanter non conjugatis. Cf. *Revue eccles. de Metz,* 1904, p. 636; *Theol. prakt. Quartalschrift,* 1904, p. 842; *Pastor Bonus,* 1904, p. 514-519; *De Katholiek,* 1904, p. 290 et p. 303; *Nederl. kathol. stemmen,* 1904, p. 282 et seq., 1905, p. 57.

J. Loosveldt. **Une mutualité de Retraite à Bruges.** *Monographie de la Société mutualiste : « Lijfrentgenootschap der H. Germana »*. Bruges 1905, Van de Vyvere-Petyt, pp. X et 98 in-12. — Prix 50 cent.

M. l'abbé Loosveldt retrace dans cet intéressant opuscule les modestes débuts, les progrès constants et rapides, et la situation actuelle, particulièrement florissante, de la mutualité de retraite dont il fut le fondateur et dont il est resté l'infatigable directeur.

Nous signalons volontiers cette monographie aux hommes d'œuvres, d'abord parce qu'ils y trouveront des idées pratiques ingénieuses, qui leur seront éminemment utiles dans l'organisation et la direction d'œuvres similaires ; ensuite parce que de ce modeste journal d'une Caisse de Retraite découlent des conclusions dont l'importance n'échappera à personne. Cette monographie démontre, en effet, que dans le domaine social, plus que partout ailleurs, l'incessant labeur est l'indispensable condition du succès (1); qu'il est souverainement important pour le prêtre appelé à diriger des œuvres sociales, de choisir et de former des personnes laïques capables et dévouées qui puissent le seconder dans sa tâche souvent ingrate, et à qui il puisse peu à peu abandonner des soins matériels, que le seul désir du bien lui avait fait assumer ; enfin, que le système de la liberté subsidiée, consacré par la loi belge sur les pensions de vieillesse, peut fournir une solution très satisfaisante et définitive au problème de l'assurance-vieillesse ; que, conséquemment, toutes les initiatives particulières doivent redoubler d'efforts pour conserver un système qui fait de la prévoyance une vertu, et pour préserver le pays de l'interventionisme légal, dont l'infériorité morale est manifeste.

A. Camerlynck.

---

(1) Voir la *Préface* de M. Eug. Standaert, p. IX.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris

—

I

Expone a quonam et quo tempore conscriptus sit liber Ecclesiastici.

II

Expone an et quare *necessaria* fuerit Incarnatio.

III

Explica qua ratione, *in modo operandi gratiam*, differant ac conveniant inter se sacramentum Baptismatis et Baptismus sanguinis.

IV

Quænam dispositiones requiruntur in baptizando adulto peccatore, ad *simpliciter fructuosam* Baptismatis susceptionem?

V

Quænam dispositiones requiruntur ut *licite* baptizetur adultus peccator?

VI

Quomodo in cæremoniis baptismi parvulorum (Rit. Rom., tit. II, cap. II, nn. 3-7) facienda sunt exsufflatio, signa crucis, manus impositio, et salis benedictio ac impositio?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Explica I Tim. III, 14-16.*

R. I. **Argumentum**. In hac pericopa S. Paulus rationem tradit cur monita circa observanda in publico Dei cultu (c. II) et circa dotes in Ecclesiæ ministris requisitas (c. III) Timotheo in scriptis dederit: sc. *ut sciat Timotheus quomodo fungi debeat munere suo maximi momenti, quippe quod versatur in regenda Ecclesia Dei quæ infallibiliter docet veritatem revelatam, in specie magnum Incarnationis mysterium.*

II. **Explicatio. 14**. *Hæc* sc. monita seu præscripta de publico Dei cultu (c. II) et de ministrorum dotibus (1), *tibi*, Timothee, *scribo*, *sperans* i. e. quamvis sperem *me ad te* (Ephesum) venturum esse *cito* gr. ταχέῖον i. e. citius quam expectandum foret.

15. *Si autem* (præter voluntatem) venire *tardavero* (aut forte omnino non venero), hæc scribo *ut interim scias quomodo oporteat te* (2) *gerere in domo Dei* regenda et bonis ministris instruenda, quippe *quæ* (ἥτις) *est Ecclesia Dei vivi* (gr. viventis), *columna et firmamentum* (ἑδραίωμα: fulcimentum) *veritatis* religiosæ.

Domus Dei intelligitur (cf. III, 5) Dei familia Deo

---

(1) Pronomen *hæc* (ταῦτά) meritò non extenditur ad dicta in c. I, quod simili modo ac c. III concluditur. Cf. I, 18-20.

(2) Pronomen *te* in græco non legitur. Est enim hic Apostoli sermo non ad Timothei personam restrictus, sed absolutus, qui sic explicari potest: ut interim noveris quomodo conversari oporteat in domo Dei, id est, quales esse et quomodo vivere debeant in domo Dei qui in ejus ministerio a te constituentur, sc. episcopi et diaconi.

auctore coalescens ex fidelibus qui sunt filii Dei adoptivi. Hæc imago, christianorum congregationem significans, ex V. T. desumpta apparet, in quo populus Išrael sæpe *domus Jehovæ* vocatur. *Dei,* genitivus possessoris, innuit integram ordinationem juxta quam conversandum est in illa domo, a Deo esse repetendam.

Quam dicat domum Dei Apostolus statim apposito exponit : est nempe *Ecclesia Dei vivi.* Quamvis in concreto agatur de cœtu christianorum ephesinorum, cogitat tamen Apostolus universum (1) christianorum cœtum per totam terram dispersum seu societatem universalem et visibilem sectatorum Christi quæ comparet in omnibus epistolis Pauli, quam Christus supra Petrum ædificaturum promiserat (Mt. XVI, 18), duraturam usque ad finem sæculorum (2).

Dicitur ecclesia *Dei* (gen. possessoris *viventis,* tùm ut distinguatur ecclesia christiana a cœtibus falsorum deorum qui nec sunt nec vivunt, tùm ut appareat quantopere « conversatio » suprà c. III descripta, Deo volente, sit servanda.

Columna ac firmamentum (i. e. basis, fundamentum) *veritatis :* hæc verba appositum sunt ad verba: *Ecclesia Dei vivi* (3) eaque metaphorice illustrant. Ex hoc loco

---

(1) Gr. deficit artic. ante οἶκος et ἐκκλησία.

(2) Cf. Batiffol, *Revue Biblique,* 1896, p. 360 ss.; — Sohm, *Kirchenrecht,* T. I, (Leipzig, 1892), p. 16 ss.; — Tixeront, *Histoire des Dogmes,* T. I, (Paris 1905), p. 91. Vox illa ἐκκλησία apud LXX sæpe designat cœtum Israelitarum, populi Dei (heb. *kahal*).

(3) Verba : *columna et firmamentum veritatis* alii referunt ad Timotheum, hoc modo : ut scias quomodo tu, tanquam columna, *vel* columna existens veritatis, gerere te debeas in domo Dei quæ est Ecclesia Dei vivi ; alii ea referunt ad Deum : utraque explicatio arbitraria apparet et nexui logico idearum ac grammaticæ regulis contradicit, ut vel ipsi Protestantes jam ultro fatentur. Ità B. Weiss (*Die Briefe an Timotheus und Titus,* Göttingen 1902, p. 153) ait : « Sprachlich und sachlich unmöglich ist die Beziehung auf Timotheus... oder auf Gott ». Neque firmior, (ut notat Van Steenkiste, *S. Pauli Epistolæ,* Brugis 1899, T. II, *h. l.*) est explicatio quæ punctum post *Dei vivi* ponit et verba *columna ac firmamentum veritatis* refert ad sequentia, hoc sensu : magnum pietatis sacramen-

catholici merito probant dogma infallibilitatis Ecclesiæ. Etenim Ecclesia Dei vocatur et esse docetur « columna et firmamentum veritatis ». Itaque quemadmodum *columna* et *basis* firmitatem et stabilitatem præstant ei quod sustentant, ità Ecclesia firmam ac stabilem conservat veritatem revelatam, non quidem quoad se, ut per se evidens est, sed quoad homines (1). Atqui hoc facere Ecclesia non potest nisi sit infallibilis : nam evidenter non esset columna et basis veritatis revelatæ, si aliquem errorem in fide amplecteretur vel doceret (2).

16. *Et:* nectit cum immediate præcedentibus, explicans qualis et quanta sit veritas quam sustentat et stabilem conservat Ecclesia. Est nempe doctrina de mysterio Dominicæ incarnationis et redemptionis, non quod hoc solum doceat Ecclesia, sed quod in eo præcipue consistat religio christiana, ac proinde etiam in eo præcipue versetur Ecclesiæ doctrina.

Manifeste ὁμολογουμένως : citra controversiam, omnium consensu ; *magnum est pietatis sacramentum* (τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον) i. e. magni momenti (et ineffabile) est mysterium religionis (christianæ) seu mysterium fidei (v. 9) np. mysterium Filii Dei incarnati (3). Quod ὅς (4): qui

---

tum quod manifestatum est in carne etc., est columna ac firmamentum veritatis, i. e. primarium ac fundamentale doctrinæ christianæ caput et sacramentum manifeste magnum. Huic sententiæ non tantum obstat concors Patrum et fere omnium interpretum sensus, verum etiam grammatica et contextus, cùm S. Paulus verbis « *columna ac firmamentum veritatis* » manifeste rationem exponat quare modo proposito « conversandum sit » *in Ecclesia Dei vivi.*

(1) Seu in esse suo ab hominibus cognito et credito.

(2) Cf. CEULEMANS, *Commentarius in Epistolas S. Pauli,* Mechliniæ, 1902, *h. l.*

(3) Dicitur *mysterium pietatis* quia pietas seu religio qua Deus colitur, in hujus mysterii fide potissimum fundata est.

(4) In græco tres reperiuntur ll.: ὅς ἐφανερώθη, ὃ ἐφανερώθη, θεὸς ἐφανερώθη. Quocumque modo legatur, sensus est substantialiter idem, cùm in omni hypothesi appareat magnum pietatis mysterium esse verbum incarnatum. Critice tamen probabilior est l. ὅς quoniam majore gaudet auctoritate et difficilior est. Nam præcise propter difficultatem videtur ab aliis ΟΣ mutatum fuisse in Ο, ab aliis in ΘΣ (abbreviate pro ΘΕΟΣ). Verbum ἐφανερώθη et seqq. omni generi servire possunt.

(*Christus* subauditur) *manifestatus est* (1) (hominibus) *in carne* i. e. in humana natura (quam assumpsit), *justificatus* (2) *est in spiritu:* qui comprobatus est (per miracula et resurrectionem) in spirituali (seu divina) natura; *apparuit angelis*: visus est (ὤφθη) angelis (cœlicolis) (3) tanquam Deus-homo, (jam his in terris sed maxime postquam in cœlos ascendit), *prædicatus est* tanquam Messias-Redemptor Apostolorum ministerio gentibus i. e. terricolis seu hominibus (4); *creditus est* (tanquam Deus-homo Redemptor) *in mundo* (5) seu in terra; assumptus est (in cœlumità ut nunc sit) *in gloria* cœlesti Dei Patris.

Nota. Animadvertere licet in v. **16** sex esse breviores propositiones quæ binæ et binæità rhythmice juxta leges parallelismi (antithetici) et poetici disponuntur ut tristichon efforment, cujus singuli versus habent duo membra seu hemistichia sibi invicem opposita, hoc modo:

ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, — ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι,
ὤφθη ἀγγέλοις, — ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν,
ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ — ἀνελήμφθη ἐν δόξῃ.

Haud improbabiliter conjicitur ab Apostolo insertos fuisse versus quosdam hymni sacri tunc temporis a christianis in Christi laudem occasione sacrorum con-

---

(1) Hoc verbum φανεροῦσθαι de Christo usurpatum, divinam ejus præexistentiam innuit.

(2) ἐδικαιώθη: declaratus est justus, probus, talis qualis erat, et qualem se habere volebat. Ἐν σαρκί et ἐν πνεύματι (nota abesse articulum) manifesto invicem opponuntur.

(3) Cf. *Eph.* III, 10; *I Pet.* I, 12.

(4) Etenim non cogitantur gentiles quatenus opponuntur Judæis, ut sæpe alibi in N. T. sed, deficiente articulo (ἐν ἔθνεσιν), designantur omnes gentes seu genus humanum quatenus opponitur cœlicolis (ἀγγέλοις absque articulo).

(5) κόσμος i. e mundus hominum, orbis terrarum, non autem universitas hominum perversorum, a Deo alienorum et causæ Christi infensorum, uti sæpe in N. T., quod immerito contendit von Soden (*Hand-Kommentar Z. N. T.* 1893, III, 1) *h. l.*

ventuum decantati. Quæ hypothesis eo probabilior videtur quod usum psallendi hymosque decantandi christiani a Judæis mutuati fuerint, quod Eusebius (Hist. Eccl. V, 28) testatur: « ab initio exstitisse inter christianos psalmos et odas a fidelibus conscriptas, quibus Christus, Verbum Dei, tanquam Deus celebratur ». Cui concinit Plinius junior, quando ad Trajanum de christianis scribit quod essent « soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem ». Ad hujusmodi cantica alternantia (ἀντίφωνας) hic locus referri posse videtur (1).

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone quomodo intelligendum sit hoc theologorum assertum: peccato originali homo fuit* vulneratus in naturalibus.

R. Non unica est hac in re theologorum sententia et ad responsum, quantum fieri potest, adæquatum tradendum requiritur ut ulterius variæ distinguantur quæstiones.

I. Imprimis omnes, ut videtur, conveniunt in hoc quod *ex ipsa ablatione* donorum *præternaturalium* recte dicatur homo vulneratus *in naturalibus*. Dona enim *præternaturalia* sanabant naturam a defectibus alioquin *naturalibus* et naturam perficiebant perfectione quidem indebita, sed tamen inter limites ordinis naturalis, nec elevabant naturam ad *genus perfectionis* ipsi simpliciter indebitum (2). Et sane mors et morbi, concupiscentia,

(1) Cf. Van Steenkiste et Ceulemans *ll. cc.* Si stropha hæc incipiebat per pronomen masculinum ὅς, facile intelligitur cur Paulus hoc loco illud servaverit. Cæterum *pietatis sacramentum* in mente Apostoli est Filius Dei incarnatus, ideoque per masculinum ὅς pergere potuit.

(2) Cf. Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, T. II, Œniponte 1896, n. 394, p. 323.

carentia scientiæ sunt defectus *naturales :* illi auferebantur donis præternaturalibus et consequenter homo vitam agebat immunem ab ærumnis et morbis, dominabatur perfecte appetitum, sensibus rite dispositis poterat sine impedimentis acquirere scientiam suæ rationi naturali consonam et etiam sine interiori pugna vivere secundum ordinem rationis seu colere naturales virtutes. Porro sublatis *præternaturalibus* donis homo eo ipso fit obnoxius morti ac morbis, concupiscentiæ tum sensibili tum rationali, consequenter ignorantiæ et infirmitati ad bonum volendum. Inde « omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo *naturaliter* ordinantur ad virtutem ; et ipsa destitutio *vulneratio naturæ* dicitur » (1).

II. Quidam theologi non solum hanc vulnerationem naturæ, provenientem ex sola præternaturalium ablatione, statuunt, sed insuper hoc contendunt quod homo nunc sit ad bonum operandum debilior quam fuisset in statu *naturæ puræ*, nempe in statu in quo homo non fuisset elevatus ad statum supernaturalem nec ornatus fuisset donis supernaturalibus vel præternaturalibus.

Antequam de hac sententia judicium feramus, animadvertendum est hîc duplicem exsurgere quæstionem : *prima* est utrum homo per peccatum originale factus sit

(1) S. Thomas, I-II^{æ}, Q. LXXXV, a. 3. Cf. Jungmann, *De Deo Creatore*, nn. 317-319 ; Ills ac Rev^{s} Waffelaert, *Meditationes Theologicæ* in *Collat. Brug.*, T. II, p. 116. — Etiamsi admittatur hominem quatenus spoliatum donis *simpliciter supernaturalibus*, nempe gratia sanctificante et virtutibus infusis, *eo ipso* etiam in naturalibus vulnerari, quia illa dona sunt *congrua* naturæ, tamen hîc attendendum est omnino diversam esse vulnerationem, quam suprà descripsimus, provenientem ex ablatione donorum *præternaturalium*. Nam per ablationem donorum *præternaturalium* aufertur homini vigor quo perficiebatur natura ad bonum *proportionatum* naturæ rationali, et ideo fit homo debilior ad operandum secundum quod *exigit* sua ipsius natura, et ideo *sensu stricto* dicitur vulneratus in *naturalibus*. Sed per dona *simpliciter supernaturalia* formaliter elevatur homo ad ordinem perfectionis *nullo modo proportionatæ suæ naturæ* et non acquirit vigorem ad operandum secundum quod *exigit* sua ipsius natura. Cf. Cajetanus, in I-II^{æ}, Q. CIX, a. 2, n. VI.

intrinsece h. e. quoad suas operandi facultates in se spectatas, debilior ad bonum naturale operandum quam fuisset in statu naturæ *puræ; secunda* est utrum homo factus sit debilior *extrinsece* h. e. utrum majora sint ad bonum impedimenta vel minora sint auxilia ad illa vincenda, quam fuissent illa omnia in statu naturæ puræ.

1. Quoad *primam* quæstionem duo statuenda videntur.

a/ *Vi solius peccati originalis et effectuum qui immediate ex illo sequuntur,* (1) *cæteris omnibus paribus, humana natura non facta est intrinsece debilior quam fuisset eadem humana natura in statu naturæ puræ.*

Etenim si consideratur peccatum personale ipsius Adami, hic solus actus non potest intrinsece debiliorem reddere humanam in Adamo naturam quam ad posteros transmisit. Nam ille actus in tantum redderet intrinsece debiliorem naturam in quantum induceret inclinationem ad iterum peccandum. Sed *unus* actus non gignit habitum in anima, nec in corpore: unde si Adam hunc solum actum peccati commisisset, generatione non transmisisset materiam, carnem, infectam aliqua mala dispositione; animæ vero hominum immediate a Deo creantur; nec possunt illæ intrinsece debiliores creari quam essent in statu naturæ puræ, quia sic specificam differentiam subiissent.

---

(1) Bene nota hic dici *vi solius peccati originalis* et effectuum qui immediate ex illo sequuntur: consideramus nempe ipsum actum peccati in Adamo et demonstramus ex hoc actu non *connaturaliter* sequi naturam fuisse intrinsece debiliorem factam in Adamo, nec in posteris. Attamen non repugnat ut Deus propter peccatum personale Adami ipsi inflixisset positive aliquam pœnam. v. gr. morbum, qui in Adamo humanam naturam intrinsece debiliorem reddidisset et consequenter etiam in posteris. Utrum Deus hoc fecerit nescimus. Sed attendamus: 1° si admittatur prædicta læsio intrinseca in naturalibus, inde non consequi lapsum humani generis per originale peccatum ratione seu veluti experientia demonstrari posse; 2° si contrà non admittatur intrinseca hujusmodi in naturalibus læsio, inde non consequi necessitatem moralem revelationis supernaturalis in præsenti statu demonstrari non posse. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, op. c., p. 119.

Præterea, ut antea (1) explicuimus, originale peccatum in Adami posteris nullam *positivam* inordinationem moralem importat, neque actualem, neque habitualem, sed tantum privationem sanctitatis supernaturalis, inde etiam nulla facultas operativa naturalis vel ablata vel quocumque modo in se læsa fuit; nec etiam aliqua pœna positive crucians fuit inflicta; ideoque vi solius peccati originalis et ejus pœnæ immediate consequentes nec corpus humanum factum est infirmius, nec concupiscentia facta est intensior quam fuissent illa, si homo nunquam recepisset dona supernaturalia et præternaturalia (2).

Imo assentiendum videtur sententiæ S. THOMÆ cui *impossibile* videtur ut *propter originale peccatum* homines fiant intrinsece debiliores quoad illa quæ ad naturam spectant: « Quod detrimentum aliquod patiatur aliqua persona in his quæ sunt supra naturam potest contingere vel ex vitio naturæ, vel ex vitio personæ; quod autem detrimentum patiatur in his quæ sunt naturæ, hoc non videtur posse contingere nisi propter vitium proprium personæ » (3). Etenim ipse actus peccati Adami non potest inferre aliquem habitum malum in posteris, nec ablatio donorum indebitorum potest intrinsece lædere operativas facultates quà *naturales* sunt, nec convenit ut a Deo infligatur posteris Adami aliqua pœna quæ sit contra bonam habitudinem ipsius naturæ (4): ideoque, ut videtur, impossibile est ut imme-

(1) Cf. COLLAT. BRUG., T. IX, p. 434 et p. 689.

(2) Ita docent major pars theologorum inter quos CAJETANUS, in I-IIe, Q. LXXXV, a. 3 et Q. CIX, a. 2; SOTO, *De natura et gratia*, L. I, c. 13; SUAREZ, *De Gratia*, proleg. IV, c. 8; BELLARMINUS, *De gratia primi hominis*, c. 5; BILLUART, *De Gratia*, Dissert. II, a. 3; PALMIERI, *De Deo creante*, Romæ, 1878, thes. 78; JUNGMANN, op. c., n. 320; HURTER, op. c., l. c.; LAMBRECHT-HAELTERMAN, *De Deo Creatore*, Gandavi, 1893, p. 753; DE BAETS. *De ratione ac natura peccati originalis*, Lovanii, 1899, p. 97.

(3) *De Malo*, Q. V, a. 2; ita docet etiam SCHEEBEN, in *adnotationes* in libro *Casinii: Quid est homo*, p. 55.

(4) Cf. COLLAT. BRUG., T. IX, p. 690.

diate *ex ipso originali peccato* fiat homo intrinsece debilior quoad naturalia (1).

b/ *Non repugnat ut propter peccata actualia eorumque sequelas, nunc homines sint intrinsece debiliores ad bonum operandum quam fuissent in* **aliquo** *statu naturæ puræ.*

Etenim peccatis actualibus, præsertim peccandi habitibus, reddi potest corpus infirmius, concupiscentia intensior, mens minus apta ad spiritualia intelligenda, voluntas debilior in volendo: hæc porro mala augeri possunt a generatione in generationem; ideoque fieri potest ut homines in statu naturæ lapsæ, sive parvo, sive longo tempore post primum peccatum, facti sint intrinsece debiliores quam fuissent in aliquo statu naturæ puræ: non enim repugnat status naturæ puræ in quo homines minus peccavissent quam in statu naturæ lapsæ (2).

Quod autem, remanentibus omnibus naturæ facultatibus, homines esse et fieri possint plus vel minus perfecti intrinsece, præclare exponit Casinius. « Etsi naturæ creatæ aliæ aliis, suis quæque terminis circumscriptæ sint et finitæ, est tamen uniuscujusque is ambitus atque modus, intra quem majus minusve perfici, nec supra nec contra naturam dicendum est. Sic in equis, alius est alio perfectior, quin propterea, perfectus qui minus est, in statu sit violento, qui magis, supra equi naturam assurgat. Et in aliis quidem naturis eorum, quæ adesse et abesse naturaliter possunt, gyrus forte est paulo angustior. In hominis vero natura, quæ animo et cor-

---

(1) Licet possibile sit ut Deus in *aliquo* statu naturæ puræ creavisset hominem perfectiorem, quoad naturalia, quam fuerit Adam, et licet, in hac hypothesi, Adam, privatus donis indebitis, esset intrinsece imperfectior quam homo in illo statu naturæ puræ, tamen hæc major imperfectio non proveniret *ex ipso peccato originali.*

(2) Notemus peccata actualia non esse *immediatas* sequelas peccati originalis, sed *remotas* tantum, quatenus per concupiscentiam, quæ *nunc* viget *propter peccatum originale,* voluntas impellitur ad peccandum. Cf. Soto, op. c., l. c. Ideo possibilis est aliquis status naturæ, etiam lapsæ, in quo tamen minus peccavissent homines quam nunc peccant.

pore continetur, tam late patet, ut ille, cui negetur id omne, quod negari homini potest sine ulla vi atque injuria, et ille, qui contra cumulatissime accipiat, homini quidquid inesse naturaliter potest, vix in eadem specie et natura positi esse videantur » (1).

2. Quoad *secundam* quæstionem, utrum scilicet homo sit *extrinsece* debilior quam fuisset in statu naturæ puræ, duo sunt consideranda, impedimenta et auxilia.

a) Causæ extrinsece impedientes facultatem bene operandi reducuntur ad duo, scilicet *mundum* et *dæmonem*. « Sub *mundo* autem comprehenduntur et pravi homines, et mala eorum consilia vel exempla, et cœtera objecta sensibilia concupiscentiam excitantia. De hoc autem toto capite nihil est quod dicamus, nam ex illo præcise spectato, et secluso alio de infestatione dæmonis, nulla differentia potest inter statum puræ naturæ et lapsæ cum fundamento constitui. Nam in puris etiam naturalibus futuri essent pravi homines, eorumque prava consilia et exempla. An vero in hoc statu major fuerit morum corruptio, majorve Dei ignoratio, quam futura in statu purorum naturalium, nullus potest, nisi divinando, affirmare. Quia nec revelatum est, nec probabili conjectura potest definiri » (2).

Quoad *dæmonem*, « licet permissio tentandi hominem non sit dæmoni facta ratione peccati, antea enim illum tentavit, nihilominus quia illum tentando vicit, jus quoddam, vel potius licentiam obtinuit liberius tentandi illum, et homo in pœnam justam, quoad hoc, etiam potestati dæmonis traditus seu permissus est » (3). Attamen etiam in statu naturæ puræ, possibilis fuisset impugnatio dæmonum, quum tunc etiam potuissent angeli peccare et post peccatum in homines agere sicut nunc faciunt: nec fundamentum adest dicendi permis-

---

(1) *Quid est homo,* art. IV, § VI, p. 184, cit. ab Illmo ac Rev^mo WAFFELAERT, op. c., p. 118.

(2) SUAREZ, op. c., c. 9, n. 14.

(3) SUAREZ, op. c., l. c., n. 17.

sionem a Deo providente dæmoni concessam esse latiorem quam fuisset in statu naturæ puræ.

b/ Quoad gratiæ auxilia : in se spectata sunt excellentiora quam fuissent in statu puræ naturæ, quum in præsenti statu sint *supernaturalia*. Præterea quoad influxum, quem habent illa dona, præsertim gratiæ actuales, ad movendum hominem in bonum operandum, videtur gratiæ auxilia plura ac efficaciora esse in statu naturæ lapsæ quam fuissent auxilia naturalia in statu quolibet puræ naturæ : etenim causa meritoria gratiæ, in præsenti ordine, est ipse Christus, Unigenitus scilicet Dei, qui pro nobis homo factus, passus est et mortuus : si igitur consideratur mira circa nos Dei pietatis seu misericordiæ dignatio et inæstimabilis dilectio caritatis qua ut servum redimeret, Filium tradidit, et si consideratur Christi dignitas ejusque operis intrinsecus valor, videtur dicendum Christum generi humano obtinuisse auxilia multo abundantiora quam fuissent in statu puræ naturæ in quo nec talis nec tantus adfuisset Redemptor.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Ostende quomodo gula et luxuria sint vitia capitalia.*

R. Vitia quædam « dicuntur *capitalia*, quia ex eis ut frequentius alia oriuntur » (S. Thom., 1-2, q. 84, art. 4, ad 5), quasi ex capitibus et fontibus. Origo autem vitiorum ex capitalibus attenditur « *præcipue secundum rationem causæ finalis* » (*Ibid.*, in corp. et art. 3 in corp.). Quod ut recte intelligatur, notamus duo : dicendo *præcipue*, satis indicat Angelicus (1) vitia ex capitali oriri etiam secundum aliam rationem, np. causæ efficientis aut dispositivæ. Quod expresse docet de ira, ex qua

(1) Item de avaritia 2-2, q. 118, art. 8 in corp.

multa vitia procedere possunt, non solum ex parte sui objecti seu secundum rationem causæ finalis, sed etiam « ex suo impetu, quo mentem præcipitat ad inordinata quæcumque agenda » (2-2, q. 158, art. 6 in corp.). Deinde, capitalia dicuntur causæ aliorum peccatorum *secundum rationem causæ finalis*, in quantum sc. habent finem multum appetibilem : unde ex ejus appetitu homines provocantur multipliciter ad peccandum (2-2, q. 148, art. 5 in corp.), sive alia vitia ordinentur tamquam media ad finem, sive appetantur tamquam permissa vel acceptata ex appetitu finis, ita quod homo ex affectu vitii capitalis paratus sit alia incurrere, dummodo intentum finem assequatur (1).

Hisce præmissis, jam videamus quomodo gula et luxuria sint vitia capitalia.

I. *Gula*. Vitium capitale, ut diximus, illud est, ex quo alia vitia oriuntur, in quantum habet finem multum appetibilem, ex cujus amore alia peccata passim committuntur. Atqui gula habet finem multum appetibilem. Ergo. Prob. min. Ex hoc aliquis finis redditur multum appetibilis, quod habet aliquam de conditionibus felicitatis, quam omnes naturaliter appetunt. Jamvero gula habet unam de conditionibus felicitatis, np. delectationem, sine qua non est felicitas : versatur enim circa delectationes tactus, quæ sunt præcipuæ inter alias. Ergo (2). Adde cibum ipsum esse maxime appetibilem, quum habeat tamquam finem conservationem vitæ, quæ est valde appetibilis : unde concupiscentia cibi dicenda est homini connaturalis (3).

Porro quænam sint vitia quæ consequuntur ex im-

---

(1) Cfr Sylvius, in 2-2, q. 153, art. 4 ; Billuart, *Tract. de temperantia*, Diss. V, art. 3 ; Cajetanus, in 2-2, q. 148, art. 5-6 ; Ills ac Revs Waffelaert, *Tract. de prudentia, fortitudine et temperantia* (Brugis 1889), p. 197.

(2) S. Th., 2-2, q. 148, art. 5 in corp. Cf. Billuart, *l. cit.*, Diss. II, art. 12.

(3) S. Th., *l. cit.*, ad 1m.

moderata delectatione cibi et potus seu quænam sint *filiæ gulæ*, pulchre ostendit, ad mentem S. Gregorii *Moral.* XXXI, S. Thomas in art. 6. Possunt accipi vel ex parte animæ vel ex parte corporis. *Ex parte animæ:* primò, quantum ad rationem, cujus acies hebetatur ex immoderatione cibi et potus propter fumositates ciborum perturbantes caput, et quantum ad hoc ponitur *hebetudo mentis,* quæ non est secundum se peccatum, sed pœna peccati; quatenus tamen est voluntaria, erit peccatum; secundò, quantum ad appetitum ponitur *inepta lætitia:* « Cum enim mens hebetata altiora non percipiat, et carnalibus delectabilibus immergatur, quasi in parte felicitatis exultat, et exterius diffunditur per alia lætitiæ signa, ut sunt ludi illiberales et theatrici, choreæ, tripudia, omnesque sive lasciviæ sive indecentiæ in verbis, gestibus et factis » (1); tertiò, quantum ad inordinatum verbum, ponitur *multiloquium*, « hoc est sermo superfluus, qui et in se peccatum est, quatenus a recta ratione discordat, et sæpe occasio gravius peccandi, puta detrahendi, secreta revelandi, præsentibus irridendi, de rebus divinis irrisorie et impie loquendi: unde illud vulgatum Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum* » (2); quartò, quantum ad inordinatum actum, ponitur *scurrilitas*, « id est jocularitas seu excessus in jocis et facetiis commoventibus alios ad risum, proveniens ex defectu rationis, quæ sicut non potest cohibere verba, ita nec gestus » (3). « *Ex parte* autem *corporis* ponitur *immunditia:* quæ potest attendi sive secundum inordinatam emissionem quarumcumque superfluitatum, vel specialiter quantum ad emissionem seminis » (4).

---

(1) Billuart, *l. cit.*

(2) Billuart, *l. cit.*

(3) Billuart, *l. cit.* — Quantum sit peccatum scurrilitas quærit Cajetanus citatus apud Ill^m ac Rev^m Waffelaert, *op. cit.*, p. 198.

(4) S. Th., hoc art. 6, in fin. corp. — Præter hic indicata, utilia valde reperiet concionator apud Ill^m ac Rev^m Waffelaert, *op. cit.*, p. 215 sqq.:

Nota illa vitia oriri ex gula secundum rationem causæ finalis, non quidem sic quasi appetantur propter gulam, tamquam media ad finem, sed quia appetuntur velut permissa vel etiam acceptata ex desiderio gulæ tamquam finis; quatenus gulosus est ita ventri deditus, ut, modo gulæ satisfaciat, non curet incurrere damna hebetudinis, ineptæ lætitiæ etc. (1).

II. *Luxuria.* Facile ostenditur cum S. Thoma eam esse vitium capitale: habet enim, sicut gula, finem multum appetibilem. Nam finis luxuriæ « est delectatio venereorum, quæ est maxima: unde hujusmodi delectatio est maxime appetibilis secundum appetitum sensitivum, tum propter vehementiam delectationis, tum etiam propter connaturalitatem hujusmodi concupiscentiæ » (2-2, q. 153, art. 4 in corp.).

In art. 5 ejusdem quæstionis ostendit S. Doctor convenienter enumerari a Gregorio *octo filias luxuriæ:* Quando, ait, inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad sua objecta, consequens est quod superiores vires impediantur et deordinentur in suis actibus. Inde fit ut per luxuriam, per quam appetitus inferior, sc. concupiscibilis, vehementer intendit suo objecto, sc. delectabili, propter vehementiam passionis et delectationis, maxime deordinentur superiores vires, nempe ratio et voluntas. Jamvero quatuor sunt deordinationes in actibus rationis et totidem in actibus voluntatis:

a) *Rationis* quatuor sunt actus in agendis: primo, simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum, et quantum ad hoc ponitur *cæcitas mentis*, qua luxuriosus a fine debito aberrat, et alium finem indebitum sibi constituit; secundo, consultatio de mediis ad finem, et quantum ad hoc ponitur *præcipitatio,*

Scholion de laude abstinentiæ et sobrietatis, necnon de incommodis oppositorum vitiorum. Cf. etiam *De christelijke deugden*, Krick-De Jonghe, T. II, p. 230 sqq.

(1) Cf. Cajetanus et Sylvius, in *h. l.;* Billuart, *l. cit.;* Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, p. 197.

quæ importat subtractionem consilii, deliberationis; tertio, judicium de agendis, et sic ponitur *inconsideratio*, qua fit ut homo deficiat in seligendis mediis inter plura ad finem aptioribus; quarto, imperium rationis circa agenda, quod impeditur per *inconstantiam*, qua fit ut homo non exequatur id quod decrevit esse faciendum.

b/ Ex parte autem *voluntatis* consequitur duplex actus inordinatus, quorum unus est circa finem, np. appetitus finis, et quantum ad hoc ponitur *amor sui*, quatenus homo carnem suam et ejus voluptates ita amat, ut in eis ultimum suum finem constituat; et per oppositum ponitur *odium Dei*, in quantum prohibet et punit delectationem concupitam. Alius actus voluntatis est appetitus eorum quæ sunt ad finem, et quantum ad hoc ponitur *affectus præsentis sæculi*, in quo vellet manere ut frui posset voluptatibus, et per oppositum *horror et desperatio futuri sæculi* (1).

De origine secundum rationem causæ finalis heic valent omnino quæ notavimus supra de gula. Et adverte luxuriam non dici proprio sensu filiam gulæ, quatenus scil. gula esset finis luxuriæ; hoc utique verum est immunditiam corporalem, ut diximus, esse filiam gulæ, et luxuriam ex gula oriri materialiter, quatenus ex ea corpus physice disponitur ad luxuriam seu, ut dicit S. Thomas, quatenus « gula ministrat materiam corporalem luxuriæ » (2-2, q. 153, art. 4, ad 1m).

IV

Q. *Ad mentem S. Thomæ expone notionem virginitatis, ut est virtus specialis.*

R. Virginitas, ut optime prænotat Cajetanus (2), sumitur dupliciter: 1. *Naturaliter*, pro naturali integri-

---

(1) Cf. Billuart, *Tract. cit.*, Diss. V, art. 3.

(2) In 2-2, q. 152, art. 1. Cf. Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, p. 228. Vide etiam Billuart, *Tract. cit.*, Diss. IV, art. 2.

tate membrorum genitalium in utroque sexu, quæ tamen potissimum attenditur in sexu fœmineo, cum in eo solo inveniatur signum integritatis corporis, np. hymen (1). 2. *Moraliter*, et hoc iterum dupliciter, vel pro statu castitatis virginalis vel pro speciali virtute virginitatis, distincta a castitate communi. Cum hæc specialis virtus supponat statum illum virginalis castitatis, de hoc nihil nunc addimus, sed statim exponimus notionem virginitatis, ut est virtus specialis, de qua agit S. Thomas in 2-2, q. 152.

I. Virginitas mere corporalis seu « *integritas corporalis membri per accidens se habet ad virginitatem* » (art. 1, ad 3m, coll. corpore art.). Non est materia essentialis virtutis, cum virtus non consideretur per se, nisi secundum ea quæ sunt animæ (*ibid.*, in corp.), sed accidentalis tantum, cum a natura ipsa destinata sit significare virtutem et ordinarie remaneat integritas in membro corporeo, per hoc quod ex proposito voluntatis abstinet quis a delectatione venerea (*ibid.*, ad 3m). « Unde si contingit quod per alium modum aliquo casu [puta per saltationem, medicationem, improvisum tactum], membri integritas corrumpatur, non magis præjudicat virginitati quam si corrumpatur manus aut pes » (*ibid.*, ad 3m); et contra, etiamsi maneret hymen intactum post copulam voluntariam aut libidinosam penetrationem, virginitas foret amissa (2).

II. « *Materiale autem in virginitate est integritas carnis absque omni experimento venereæ delectationis* » (art. 3, in corp., coll. art. 1). Hic signat S. Doctor statum physicum, « scilicet integritatem carnis immunem ab experimento venereorum » (*ibid.*, ad 1m), seu virginita-

(1) Inde est quod S. Thomas, *l. cit.* in corp , dicat in delectatione venereorum tria esse consideranda. « Unum quidem, quod est ex parte corporis, scilicet *violatio signaculi virginalis* ». Item in IV Sent., Dist 33, q. 3, art. 1.

(2) Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 229; ESCHBACH, *Disputationes physiologico-theologicæ*, ed. altera (Romæ, 1901), p. 487.

tem *naturalem*, id est qualem habent homines a natura : « Homines *ex sua nativitate* habent id quod est materiale in virginitate » (*ibid.*) (1). Illa immunitas non est virtus, sed est *materia virtutis:* « nam sensibiles passiones sunt materia moralium actuum » (art. 1 in corp.). Experiri autem venerea est pati, est passio partis sensitivæ (2). Sed passiones non sunt materia virtutis, nisi quatenus subjacent imperio voluntatis. Unde virginitas naturalis ex hoc habet rationem virtutis, quod homines « habeant propositum servandi hujusmodi integritatem propter Deum » (art. 3, ad 1m). Ex quo deducitur delectationem mere passivam, quæ in somno contingit cum seminis effusione, et non voluntariam non esse materiam virtutis adeoque non obstare virginitati (3). Ulteriorem explicationem invenies in responso sequenti.

III. « *Ipsum autem propositum perpetuò abstinendi a tali delectatione, se habet formaliter et completive in virginitate* » (art. 1, in corp., coll. art. 3 in corp.). Nimirum virginitas *moralis,* ut est virtus specialis, supponit statum castitatis virginalis, sed huic statui superaddit, sicut formale et completivum, propositum vel et votum perpetuò manendi in castitate virginali.

A/ *Supponit statum castitatis virginalis.* « Virginitas, ut est status castitatis, requirit duas conditiones. Primo, quod persona non sit voluntarie polluta [id est, quod voluntarie non admiserit usum completum membrorum genitalium, per copulam vel pollutionem sine copula,

---

(1) Hujusmodi virginitatem celebrat Ecclesia in Officio SS. Innocentium.

(2) Sic non est solius corporis, ut virginitas mere corporalis, sed compositi. Unde S. Thomas in IV Sent., Dist. 33, q. 3, art. 1, distinguit triplicem corruptionem, quæ accidit in actu generationis : « Alia *corporalis tantum,* in hoc quod claustra pudoris franguntur ; alia *spiritualis et corporalis simul,* ex hoc quod per decisionem et motum seminis, in sensu delectatio generatur ; tertia *spiritualis tantum,* ex hoc quod ratio huic delectationi se subjicit ».

(3) Cf. Ills ac Revs WAFFELAERT, *op. cit.*, p. 229; ESCHBACH, *op. cit*, p. 488.

aliis verbis, quod voluntarie servaverit id quod est materiale in virginitate]. Secundo, quod sit in proposito sic se servandi, nisi matrimonio jungatur: et hoc modo puellæ nubiles castæ dicuntur virgines » (1).

B/ *Addit saltem propositum perpetuò abstinendi a delectatione venerea,* et hoc dicit S. Thomas esse in virginitate *sicut formale et completivum*, id est hujusmodi propositum est propria et formalis ratio complens essentiam virginitatis, sicut forma naturalis dicitur complere essentiam rerum naturalium, quasi earum essentialis perfectio. *Rationem* cur sic habeatur virtus specialis, exhibet S. Doctor in art. 3: Ubi est specialis materia boni habens specialem excellentiam, ibi invenitur specialis ratio virtutis. Hoc autem quod est se conservare immunem ab *omni* experimento voluntario delectationis venereæ, ut in virginitate, habet quamdam excellentiam laudis supra hoc quod est conservare immunem, quod fit in castitate communi, ab usu *inordinato* delectationis venereæ. Et ideo virginitas est quædam specialis virtus, distincta a castitate.

Hic movetur quæstio utrum S. Thomas requirat ad virginitatem propositum *voto firmatum.* Affirmat Cajetanus (2), sed negat communior et verior sententia. Doctrina Angelici ex sequentibus textibus satis apparet: In IV Sent., Dist. 33, q. 3, art. 2: « Unde si virginitas pro sui completa ratione, ut dictum est, accipiatur, sic virginitas est specialis virtus; sic enim *nihil aliud importat quam electionem conservandi incorruptionem;* et hæc electio, si sit perfecta, ex aliquo habitu virtutis procedere debet ». Et mox in solutione ad 4^{m} magis determinat hanc electionem seu hoc propositum: « Sed completa ratio virginitatis, prout est virtus, non est nisi in illis qui habent electionem conservandi integritatem

(1) Cajetanus, in. q. 152, art. 1, relatus ap. Ill^{m} ac Rev^{m} Waffelaert, *op. cit.*, p. 228.

(2) In q. 152, art. 1 et 3. Cf. Ill^{s} ac Rev^{s} Waffelaert, *op. cit.*, p. 228 sqq.

usque in finem, sive sine voto, vel cum voto ». Et similiter Dist. 49, q. 5, art. 3. « Utrum ratione virginitatis debeatur aureola » : « Unde alii dicunt, quod aureola debeatur statui, et non actui ; ut illæ tantum virgines aureolam mereantur, quæ in statu virginitatis perpetuæ servandæ per votum se posuerunt. Sed hoc etiam non videtur conveniens ; quia aliquis ex pari voluntate potest servare virginitatem non vovens, sicut alius vovens. Et ideo aliter potest dici, quod meritum omne actui virtutis debetur a caritate imperato. Virginitas autem secundum hoc ad genus virtutis pertinet secundum quod perpetua incorruptio mentis et corporis sub electione cadit, ut patet ex his quæ dicta sunt, 33 dist.; et ideo illis tantum virginibus aureola proprie debetur quæ propositum habuerunt virginitatem perpetuo conservandi, *sive hoc propositum voto firmaverint* (*Al.* servaverunt) *sive non* ». — In Summa theolog. q. 152, ubi ex professo agit de virginitate, art. 1 et 3 docet S. Thomas formale et completivum in virginitate esse *propositum* perpetuo abstinendi a delectatione venerea, et non dicit requiri votum.

At Cajetanus allegat ex q. 152, art. 3, responsum ad 4^{m}, ubi S. Thomas dicit « quod virginitas secundum quod est virtus, importat propositum *voto firmatum* integritatis perpetuò servandæ », et contendit eum hic correxisse quæ, « minus tunc sciens », scripserat in IV Sent. — Hoc autem non videtur admittendum. Regula enim est universim recepta doctrinam S. Thomæ esse quærendam in corpore articuli, non vero in responsis ad argumenta objecta. Hoc utique verum est sententiam compleri et illustrari posse ex dictis in solutione difficultatum, sed nemo admittet doctrinam, in corpore articuli et in præcedenti opere constanter traditam, fuisse emendatam in aliqua responsione ad difficultatem, nisi S. Doctor expresse indicet intentionem corrigendi. Jamvero heic nihil insinuat correctionem factam ; contra, in corpore utriusque articuli resumitur simpli-

citer doctrina exposita in IV Sent., uti conferenti utrumque locum patet: notatim insistendo fit in art. 3 comparatio facta in IV Sent. inter castitatem et virginitatem ex una parte et liberalitatem et magnificentiam ex alia parte. Unde responsum illud ad 4^{m} haberi debet tamquam difficultas in doctrina S. Thomæ, at de hujus mente non videtur esse ambigendi locus.

Ceterum, non deest aliqualis solutio illius difficultatis: np. vel S. Thomas loquitur de perfectissimo gradu virtutis; np. de statu virginitatis, ad quem requiritur votum perpetuum, utpote conferens stabilitatem, vel, melius forsan, loquitur practice, quatenus np. ordinarie propositum virginitatis firmatur voto, in religione elicito (1).

Hæc de mente S. Thomæ. Ulterius quæri posset utrum merito dicatur « minus sciens », tempore quo asserebat votum non requiri. Etenim si admittatur virginitatem esse virtutem specie distinctam a simplici castitate, et quidem *sub eodem genere temperantiæ*, quomodo potest dici distinctionem sumi formaliter ex solo voto, quod est aliquid extrinsecum temperantiæ?

V

Q. *Determina quandonam perdatur irreparabiliter virginitas moralis.*

R. *Virginitas moralis perditur irreparabiliter ubicumque, voluntate causante vel consentiente, realiter vel æstimative perit materiale virtutis* (2).

Hæc propositio valet etiam de virginitate, quatenus una cum castitate virtus est seu applicatur tum virtuti speciali virginitatis tum castitati virginali, quam supponit virginitas, ut supra diximus. Agendo nunc de sola virtute speciali, dicitur:

---

(1) Cf. Eschbach, *op. cit.*, p. 494 sq.
(2) Cf. Eschbach, *op. cit.*, p. 500 sqq.

I. *Voluntate causante vel consentiente.* Sane, ubi voluntas non intervenit, virginitas, quatenus est virtus, non quatenus est status physicus, manet integra; quod pluries insinuat S. Thomas art. 1 et 3, ut ostendimus supra.

Voluntas autem intervenit vel *causando* vel saltem *consentiendo*, seu corruptio, qua censetur perire virginitas, est vel *voluntaria,* in se aut in causa, vel saltem *volita,* si np. consentiat in delectationem seminationis, quæ incœpit præter voluntatem: in utroque casu perditur virginitas irreparabiliter. Quod si quis invitus eam expertus fuerit, sed de ea postea gaudeat, non perdit virtutem nisi mentaliter et reparabiliter: tunc enim voluntas non attingit materiale virtutis, sed formale ejus, quatenus np. deficit a proposito requisito ad virtutem virginitatis (1).

II. *Ubicumque realiter vel æstimative perit materiale virtutis.* « Materiale autem in virginitate est integritas carnis absque omni experimento venereæ delectationis » (art. 3 in corp.). Intelligit S. Thomas delectationem veneream completam seu satiativam, « quæ consistit, ait, in seminis resolutione » (art. 1 in corp.), quæ scil. nata est sequi seminis resolutionem. Unde *realiter* perit materiale virginitatis, ubi homo veram experitur seminis resolutionem, quæ nata est causare plenam ac satiativam delectationem veneream: ita per copulam conjugalem consummatam, necnon per peccata consummata juxta vel contra naturam. Diximus: *quæ nata est causare...*; non enim requiritur quod actu sentiatur delectatio, sed sufficit quod per se sequatur, quamvis per accidens desit.

Additur: *vel æstimative perit:* quando nimirum homo realiter non est passus seminis decisionem, sed tales

---

(1) Huc pertinet responsum B. Luciæ ad Paschasium tyrannum dicentem: « Jubebo te ad lupanar duci ». Cui virgo: « Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam » (Off. ad 13 Dec.).

actus libidinosos admisit, quos per se et in natura sana sequitur communiter corruptio. Hoc in casu effectum non produci censetur contigisse per accidens: physice quidem integritas carnis non est corrupta, sed *æstimatur*, censetur corrupta, et cum ea virginitas ipsa, quia moralia ex communiter contingentibus judicantur. Ceterum, si diceretur numquam ruere virginitas, nisi per veram seminationem, hoc admittendum esset absurdum: in cœlo posse coronari aureola virginitatis eos qui, postquam etiam copulam admiserint, sed ob frigiditatem vel infirmitatem ad ultimum corruptionis et delectationis gradum non pervenerint, pœnitentia rite expiati fuerunt (1).

Ex dictis deduces non destruere virginitatem commotiones membrorum genitalium, quæ ad pollutionem non pertingunt, nec ipsam distillationem in viro, prout contradistinguitur a seminatione, quia ista non sunt usus completus membrorum genitalium, quamvis secundum mentem et reparabiliter a virginitate deflectere possint (2); item deduces in impuberibus saltem pueris (3) nec æstimative perire integritatem, cum, non per accidens, sed per se incapaces sint seminationis (4). Unde dicit S. Thomas in IV Sent., Dist. 33, q. 3, art. 1, ad 5m: « Si autem luxuria contra naturam tempus perfectæ ætatis præveniat, cum non adsit seminis decisio, et per consequens nec delectatio completa mentem suffocans, non amittitur virginitas quantum ad id quod est materiale in ipsa ».

III. *Perditur irreparabiliter*. Si enim deficit materia virtutis, deficit ipsa virtus. Porro ubi semel defecerit integritas, quæ est materia virginitatis, jam redire

---

(1) Cf. Eschbach, *op. cit.*, p. 502; Billuart, *Tract. cit.*, Diss. IV, art. 3; Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, p. 230.

(2) Cf. Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, p. 229-230.

(3) Cf. Cajetanus, in q. 152, art. 1 relatus ap. Illm ac Revm Waffelaert, *op. cit.*, p. 230.

(4) Cf. Cajetanus, *l. cit.*; Billuart, *l. cit.*; Eschbach, *l. cit.*

nequit etiam per miraculum: quia semel factum jam infectum fieri nequit (1). Apposite S. Thomas (2-2, q. 152, art. 3, ad 3m): « Circa materiam autem virginitatis est aliquid quod miraculose reparari poterit divinitus, scilicet integritas membri; quam dicimus accidentaliter se ad virginitatem habere. Aliud autem est quod nec miraculose reparari potest; scilicet quod qui expertus est voluptatem veneream, fiat non expertus. Non enim Deus potest facere ut ea quæ facta sunt, non sint facta... » « Qui virginitatem peccando amisit, per pœnitentiam non recuperat virginitatis materiam, sed recuperat virginitatis propositum » (*ibid.*), et ita potest adhuc habere virginitatem *mentaliter*, seu « potest id quod est formale in virginitate habere, ut scilicet habeat in præparatione mentis prædictæ integritatis conservandæ propositum, si hoc sibi competeret » (*ibid.* in corp.).

Ex his sponte deducere est, irrecuperabiliter perire virginitatem cum jure ad aureolam, prima copula perfecta vel pollutione libere admissa, vel consensu in eam dum contingit, pollutione etiam nocturna, voluntaria in causa, demum quibuscumque actibus libidinosis per se in natura sana ad producendam pollutionem aptis; non autem perire eamdem virtutem in virgine sine ullo consensu oppressa, etiamsi postea pariat, nec pollutione involuntaria; et non irreparabiliter perire posteriori complacentia de pollutione involuntaria habita (2).

H. Mahieu.

---

(1) Cf. Eschbach, *op. cit.*, p. 503. — Similiter uno peccato mortali perit irrecuperabiliter innocentia, quæ dicit animam numquam peccato mortifero contaminatam. Lessius, *De Just.*, l. IV, c. II, n. 116.

(2) Cf. Eschbach, *l. cit.*

VI

Q. *Les conseillers de fabrique peuvent-ils être révoqués, par qui et pour quelles causes?*

PN. 1° En Belgique (1) il n'y pas lieu de distinguer, quant à la question présente, entre la révocation collective de tout le conseil et la destitution d'un conseiller de fabrique.

---

(1) En France, l'ordonnance du 12 Janvier 1825, a statué dans son art. 5, que « *sur la demande de l'évêque et de l'avis du préfet*, le ministre des cultes peut révoquer un conseil de fabrique, pour défaut de présentation du budget ou de reddition de comptes, lorsque le conseil requis de remplir ce devoir a refusé ou négligé de le faire, ou pour toute autre cause grave » (Cf. DE CHAMPEAUX, *Recueil général de droit civil ecclésiastique français*, 2e édit., 2 vol., T. II, p. 497-498; *le Mémorial belge*, 1861, T. V, col. 139-142). Une circulaire ministérielle adressée à messeigneurs les archevêques et évêques, au 30 Janvier 1825, disait: « L'art. 5, qui a pour objet de déterminer les formes à suivre pour la révocation d'un conseil de fabrique, lorsqu'elle sera jugée nécessaire, *remplit une lacune qui existait dans le décret de 1809.* » (ANDRÉ, *Dictionnaire alphabétique et pratique de droit canon*, 2 vol., T. II, col. 60, Paris, 1846). Nous tenons pour abusive, l'interprétation de ces auteurs, qui soutiennent que cette révocation *collective* du conseil peut être provoquée par tout citoyen, et que le ministre, suffisamment éclairé, est en droit de la prononcer d'office, même en l'absence d'une proposition de l'évêque (cf. CAULET, *L'avocat du clergé*, p. 435, Paris, 1897). Nous croyons aussi avec ANDRÉ, *Cours alphabétique et pratique de législation civile ecclésiastique*, 3 vol., V° *Fabrique*, T. II, p. 133, Paris, 1850; PROMPSAULT, *Dictionnaire raisonné de droit et de jurisprudence civile ecclésiastique*, 3 vol., Vis *conseil de fabrique*, § 10, T. I, col. 1102-1103, et *membres de la fabrique*, § 6, T. II, col. 904-905 que le ministre n'a pas le droit de révoquer *individuellement* les membres du conseil, mais qu'il est obligé de se conformer étroitement aux termes de la concession qui lui a été faite. Voir en sens contraire; *Journal français des conseils de fabriques*, T. I, p. 176-177; CAULET, o. c., p. 437-438; DUBALLET, *Cours complet de droit canonique et de jurisprudence canonico-civile*, T. XIII, *Traité théorique et pratique des conseils de fabrique*, p. 19, n° 34 ss., Paris, 1896. Le même auteur p. 262-263, n° 698 combat cette interprétation. Il y est amené par l'examen de l'art. 7 du décret du 27 Mars 1893 portant, pour la France, règlement d'administration publique sur la comptabilité des fabriques. Cet article, qui donne certains droits de révocation au ministre des cultes au regard des comptables et seulement au point de vue des fonctions comptables, semble lui refuser ces droits au regard des autres fabriciens. Reste la question de savoir, si cette destitution individuelle pourrait être prononcée par le chef de l'État. En sens affirmatif PROMPSAULT, *o. c.*, v° *membres de la fabrique*, col. 904.

2° On entend par révocation l'acte, par lequel un fonctionnaire *légalement capable* est privé *pour cause d'indignité* et par le pouvoir exécutif compétent de l'emploi qu'il occupe. Ainsi l'inconduite notoire ou une négligence grave sont des causes d'indignité.

R. I. L'absence en Belgique de toute disposition législative formelle à ce sujet a donné occasion à une controverse qui dure toujours. La plupart des auteurs (1) reconnaissent au chef de l'État le droit de dissoudre un conseil de fabrique ou de révoquer un de ses membres, pour des motifs dont la gravité est laissée à l'appréciation du Roi. Ils se basent sur un argument d'une portée générale.

En Belgique, le pouvoir exécutif, qui a pour caractère l'unité, s'incarne tout entier dans la personne du Roi (2). Or, il est de l'essence de ce pouvoir, que celui qui en a la plénitude puisse révoquer les agents, auxquels il en a délégué l'exercice, à moins que la loi n'ait prévu cette révocation ou consacré l'inamovibilité des fonctionnaires.

Or, les fabriques étant des établissements publics, les membres de leurs conseils exercent une fraction du pouvoir administratif, telle qu'elle leur a été déléguée par le pouvoir exécutif suprême, et aucune loi n'a

---

(1) *Journal belge des conseils de fabriques*, 1842, T. I, p. 13; DELCOUR, *Traité de l'administration des fabriques d'églises*, p. 66-68, Louvain, 1846; LAUWERS, *Code de droit civil ecclésiastique*, p. 113-114, Bruges, 1859; *le Mémorial belge* 1861, T. V, col. 139-142 et 1872, T. XVI, col. 205; DE FOOZ, *Le droit administratif belge*, 5 vol., T. IV, p 466, Paris-Tournai, 1866; BRIXHE, *Dictionnaire des fabriques d'églises*, 2e édit, Vis. *destitution* et *démissmission* Liége, 1874; VERSLUYSEN, *Handboek der Kerkfabrieken*, p 20, Louvain, 1877; PILETTE, *Traité de l'administration des fabriques d'églises*, p. 40, Bruxelles, 1886; GIRON, *Dictionnaire de droit administratif et de droit public*, 3 vol., V° *Fabriques*, n° 14, Bruxelles, 1895; MOULART, *Des fabriques d'églises*, 9e édit., p. 248 s, Louvain, 1899; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can. civ. compend.* 7a edit., T. II, p. 298-299, n° 1006, Bruges, 1903.

(2) GIRON, *Le droit adminisratif de la Belgique*, 3 vol., T. I, p. 81, Bruxelles, 1886

déclaré ces mandataires inamovibles, ni réglé les formes et conditions de leur destitution. Donc, il appartient au chef de l'État de prononcer, suivant les circonstances, soit la dissolution du conseil, soit la révocation individuelle des conseillers de fabriques (1). Toutefois les convenances exigent que le Roi prenne l'avis de l'évêque diocésain, si celui-ci ne provoque pas la destitution (2).

Certains auteurs refusent d'admettre cette argumentation et s'en tiennent à l'opinion contraire (3) qui s'appuie sur les motifs suivants :

a/ D'abord on peut, avec M. de Corswarem, révoquer en doute le principe qu'en Belgique, le droit de révocation est de sa nature inhérent au pouvoir exécutif.

L'article 29 de la Constitution attribue au Roi le pouvoir exécutif, tel qu'il est réglé par la Constitution. Or, aux termes de l'article 78, le Roi n'a d'autres pouvoirs que ceux que lui attribuent formellement la Constitution et les lois particulières portées en vertu de la Constitution même. Comme chef du pouvoir exécutif, le Roi a pour mission d'exécuter les volontés des assemblées délibérantes et de réaliser en fait les lois et les règlements qu'elles ont décrétés ; son pouvoir est par conséquent limité par les lois qu'il exécute, il ne peut en principe ni les suspendre, ni en dispenser, ni les outrepasser, ni combler les lacunes qu'elles contiennent, ni ajouter une sanction à une loi qui est dépourvue de pénalités (4).

Or il s'agit ici, non d'exécuter les dispositions d'une

---

(1) *Journal belge des conseils de fabriques*, l. c ; De Brabandere-Van Coillie. *l. c.*

(2) Brixhe, *o. c.*, V° *Destitution ;* Lauwers, *o. et l. c.*

(3) de Corswarem, *Uitlegging der wetten en dekreten over de Kerkfabrieken*, p. 64, Hasselt, 1894 ; le même dans *Het Vlaamsch Bestuur*, 1897, T. VIII, p. 125 s. ; du même, *Fabriques d'églises*, p. 256 s., n° 228 ; Hasselt, 1904 ; les *Pandectes Belges*, V^is^ *conseil de fabrique*, n° 155 ss. et *fabrique d'église*, n° 308 ss.

(4) Giron, l. c.

loi existante, mais de combler une lacune du décret de 1809, d'ajouter sans délégation spéciale du législateur une sanction à la loi et de disposer souverainement du personnel composant le conseil de fabrique (1).

Ce qui prouve encore que le droit de révocation n'est pas compris dans le pouvoir exécutif, c'est que les lois règlent minutieusement dans quels cas et d'après quelles formes la destitution peut être prononcée contre les membres des corps administratifs électifs (2).

b/ Même si l'on admet la connexion nécessaire entre le droit de nomination et celui de révocation, il appert que ce dernier, étant de stricte interprétation ne peut s'appliquer qu'aux fonctionnaires publics strictement dits.

On appelle fonctionnaires publics, ces individus en qui l'autorité législative, judiciaire ou administrative se personnifie, pour agir au nom de la société et en vertu d'un pouvoir qu'elle délègue à cette fin (3).

Or cette définition ne s'applique nullement aux conseillers de fabriques. Les fabriques étant des établisse-

---

(1) Voir dans Tielemans et De Brouckere, *Répertoire de l'administration*, v° fabrique d'église, T. VII, p. 260 ss. une réponse du ministre de la justice au ministre de l'intérieur, dans laquelle il lui fait observer que les articles 6, 7, 8 du décret contiennent des dispositions législatives (notamment les pouvoirs reconnus à l'évêque en matière d'élection, de nomination) et qu'il serait par conséquent illégal *d'établir en faveur du Gouvernement* le droit de dissoudre les conseils de fabriques.

(2) Loi commun. a. 84, 1°, § 3 quant à la révocation des membres du bureau de bienfaisance; a. 56, § 1 et 2 quant à celle des bourgmestre et échevins. Cet article constitue le résultat d'une transaction entre les opinions extrêmes: celle du Gouvernement qui croyait nécessaire le droit de révocation pure et simple et celle de plusieurs représentants qui n'admettaient pour aucun motif la révocation des magistrats élus. Les discussions qui eurent lieu à la Chambre en 1834, 1835, 1836 démontrent que la législature entendait maintenir *dans les plus strictes limites*, limites qu'elle trace elle-même, le droit de révocation de ces autorités communales. Cf. Willquet, *La loi communale, commentaire pratique*, 2e édit., Frameries, 1900, p. 56 ss., n° 132 ss.

(3) Giron, *Dictionnaire de droit administratif* v° fonctionnaire.

ments ecclésiastiques, possédant et administrant au nom de la société religieuse qu'elles représentent, les fabriciens ne sont nullement des mandataires agissant au nom et dans l'intérêt de l'État et gérant une branche de l'administration générale. Il est vrai, qu'eu égard à leur caractère d'établissements publics, les fabriques sont placées quant à certains de leurs actes, sous la tutelle des autorités administratives supérieures ; mais autre chose est un rapport de contrôle et de surveillance, autre chose un rapport de dépendance et de délégation (1).

D'ailleurs, qu'on veuille bien le remarquer, la législation fabricienne ne fut point créée sous un régime de séparation absolue de l'Église et de l'État, mais sous le régime du Concordat de 1801 qui contient la reconnaissance de l'existence de l'Église, de son organisation et de ses droits essentiels (2). C'est pourquoi, le décret de 1809, tout en étant l'œuvre exclusive du pouvoir civil, a dans son esprit et dans son texte reconnu les droits propres des évêques dans l'administration des biens de leur diocèse, d'une façon qui pour être beaucoup trop restreinte, n'en est pas moins suffisamment explicite (3). Parmi ces droits, viennent entre autres, les pouvoirs très étendus des évêques en matière d'élection et de nomination (a. 6, 8, 18). Or, qui ne voit qu'un pouvoir absolu de révocation, existant dans le chef de l'État serait d'après le Concordat, le décret de 1809 et la Constitution une atteinte aux prérogatives de la puissance spirituelle dont les fabriciens sont les délégués.

c/ Nous avons vu plus haut (4) que les fabriques sont

---

(1) *Coll. Brug.* 1904, T. IX, p. 638 ss.; 1905, T. X, p. 36 ss.

(2) Avis de l'évêque de Liége, relatif au projet de loi sur le temporel des cultes. *Chambres des représentants, Documents, Sess.* 1864-1865, p. 318 ss.

(3) Delcour, *o. c.*, p. 72; De Brabandere-Van Coillie, o. c., T. II, p. 269, n° 965; *Coll. Brug.* 1905, T. X, p. 37-38.

(4) *Collat. Brug.*, T. X, p. 40.

des administrations *sui generis,* en grande partie souveraines maîtresses de leur action et que si elles refusent d'obtempérer aux désirs du pouvoir civil, celui-ci se trouve impuissant à les contraindre. D'importants documents et faits prouvent que le moyen de contrainte qui consisterait dans la révocation en masse ou individuelle ne peut être employé contre ces administrations.

L'article 22 du *projet de loi sur le temporel du culte* portait : « Les membres électifs pourront pour des causes graves et après avoir été entendus, être révoqués par le Gouverneur, sur la proposition ou de l'avis conforme soit de l'évêque soit d'une administration intéressée ». Et *l'exposé des motifs* disait : « Le décret de 1809 ne prévoit pas le cas, où il peut devenir nécessaire d'empêcher un membre électif de continuer un mandat dont par sa conduite, il se serait rendu indigne. »

« L'article 22 du projet attribue dans ce cas le droit de révocation au gouverneur, mais pour autant seulement que le recours à cette mesure extrême soit provoqué ou approuvé par l'évêque ou par les administrations intéressées, c'est-à-dire, par le conseil de fabrique ou par l'administration communale et après avoir entendu la Députation permanente... » Il ne s'agit là que de révocation individuelle; quant à une dissolution du conseil, il ajoute : « Nonobstant le silence du décret de 1809, les auteurs n'ont pas hésité à reconnaître au Gouvernement le droit de dissolution. Cependant *il n'a point paru nécessaire de consacrer ce droit par la nouvelle loi,* en présence de la révocation individuelle, en présence des élections périodiques et en présence du contrôle que l'autorité supérieure peut exercer sur les actes des conseils de fabriques » (1).

Cet article, comme toute la première partie du projet, à été retiré par le Gouvernement. Dans les discussions qui, dans la suite, eurent lieu aux chambres relativement à la loi du 4 Mars 1870, on n'a pas songé à recourir à ce moyen de contrainte et le mot de révocation n'a

(1) *Chambre des représentants, Documents,* Sess. 1864-1865, p. 257.

pas même été prononcé. Bien plus, on a reconnu implicitement que ce droit n'existait pas, en admettant comme unique sanction, la privation des subsides, decrétée à l'article 15 de la loi et en proclamant ultérieurement l'indépendance des fabriques récalcitrantes (1).

d/ En fait, le Roi n'a jamais usé de la prérogative qu'on prétend lui attribuer.

II. Ceux qui s'en tiennent à la première opinion, reconnaissent exclusivement au chef de l'État le droit de prononcer la révocation par arrêté royal. Rien ne s'oppose cependant, à ce que le Roi délègue, dans les mêmes formes, ce pouvoir à une autorité civile et administrative subalterne (2). Il faut noter aussi, que le Roi ne pourrait révoquer les membres de droit du conseil. Ceux-ci restent nécessairement conseillers aussi longtemps que durent leurs fonctions (3).

III. Les *causes* de la destitution doivent être graves ; mais n'étant déterminées par aucune loi, elles sont laissées à l'appréciation du Roi. On pourrait citer comme causes graves de révocation *individuelle:* la négligence affectée à se rendre aux séances ou à accomplir ses devoirs de conseiller, une inconduite notoire, des altercations graves avec le curé, le mépris de l'autorité du président etc.; — de révocation *collective*: le refus de se conformer aux mesures décrétées par l'autorité supérieure, l'adoption d'actes contraires aux intérêts de la fabrique, un refus opiniâtre d'exécuter la loi etc. (4).

A. De Meester.

---

(1) Textes cités dans les *Coll. Brug*, l. c, *Pand. Belges*, v° *Conseil de fabrique*, n° 158-163.

(2) Brixhe, *o. c*, v° *Destitution*.

(3) Brixhe, o. et l. c.; *Pand. Belges*, v° *Fabriques d'églises*, n° 319-321.

(4) Delcour, *o. c.*; Moulart, *o. c.*

Miscellanea

I

Circa Quinquennalium Renovationem.

Die 26 et die 20 Junii 1905 respective renovatæ sunt *facultates quinquennales,* a S. C. de Prop. Fide et a S. Pœnitentiaria concedi solitæ Episcopo Brugensi, necnon reliquis Episcopis Belgii. Quocirca juvat quædam notare, signanter indicando mutationes præcipuas, introductas in tenore hucusque usurpato, quem relatum habetis in *Libro Manuali,* ed. 1ª, p. 174 et seq., et, ed. 2ª, p. 20 et seq. (1).

I/ **Quinquennalia S. C. de P. F.**

1°/ Indulta S. C. de P. F. alia sunt ordinaria, numero decem, quæ notantur: *Formula* I, II etc., alia sunt extraordinaria quæ indicantur: *Extr.* A, B, etc. Præsens indultum notatur F. III.

2°/ Inscribitur concessio facta *R. P. D. Gustavo Josepho Waffelaert, Episcopo Brugensi.* Qua non obstante inscriptione censentur facultates impertitæ *Ordinario* Brugensi, juxta decreta C. S. O. 24 Nov. 1897 (2), 20 Apr. 1898 (3), 22 Junii 1898 (4) et 5 Sept. 1900 (5),

---

(1) Qui desiderat commentarium integri indulti, tum S. C. de P. F. tum S. Pœnitentiariæ, adeat PUTZER, *Commentarius in Facultates Apostolicas*, Neo-Eboraci, 1898.

(2) Cf. *R. th. fr*, 1898, p. 17 et seq.

(3) Cf. textum apud *Collat. Brugen.*, T. III, p. 495 et apud *R. th. fr*, 1898, p. 455; inter alia expresse statuitur: « facultates omnes habituales in posterum committendas esse Ordinariis locorum. »

(4) Cf. *R. th. fr.*, 1899, p. 19.

(5) Ad quæsitum: « Par décret du 20 Avril 1898, le Saint Office a déclaré que dorénavant toutes les facultés habituelles du S. Siège, doivent êtres adressées aux Ordinaires des lieux.... Par un autre décret du 22 Juin 1898, le même Stᵉ Office a accordé que même les facultés données aux Evêques antérieurement au décret cité du 20 Avril 1898, doivent s'entendre dans le sens de ce décret. On demande présentement à savoir si, après le décret précité du 20 Avril 1898, les facultés accordées non pas à l'Ordinaire, mais nominativement à l'Evêque, doivent également s'entendre dans le sens de ce décret », respondetur: « affirmative ». Cf. *N. R. th.*, XXXIII, p. 91.

vi quorum decretorum omnes facultates *habitualiter* concessæ Episcopis, intelliguntur elargitæ *Ordinariis:* quæ disciplina applicatur indultis jam ante annum 1897 acceptis, necnon indultis quæ in posterum dirigentur nominatim Episcopo, uti contingit in casu. Non est autem dubium hic agi de facultatibus *habitualiter* concessis, licet ad definitum tempus restringuntur adhibenda. Cf. decr. C. S. O. 3 Maii 1899 (1).

Porro appellatione *Ordinariorum* veniunt, uti ipsa S. Congr. pluries declaravit, et signanter in decretis 20 Febr. 1888 et 20 Apr. 1898, Episcopi, Administratores seu Vicarii Apostolici, Prælati seu Præfecti habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarii in spiritualibus generales, et Sede vacante, Vicarius Capitularis vel legitimus administrator.

Mirum sane videbitur inscriptionem non conformari præcitatis Instructionibus C. S. O. et signanter decisioni 20 Apr. 1898.

3°/ Sub articulo 2°, quo indulgetur facultas tenendi et legendi libros prohibitos, idque concedendi aliis, limitatur potestas id concedendi iis sacerdotibus et laicis, « quos doctrina, pietate, fideique zelo præstantiores esse perspectum habeat »; antea dicebatur: « iis sacerdotibus sive laicis « quos præcipue idoneos atque honestos sciat ».

4°/ Sub art. 6°, quo traditur facultas dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, excipitur non tantùm cognatio spiritualis oriens inter levantem et levatum, seu inter patrinum et matrinam ex una parte et prolem baptizatam vel confirmatam ex altera parte, sed insuper *expressis verbis* seponitur impedimentum existens « *inter baptizantem et baptizatum* ». Hæc altera

(1) Cf. *R. th. fr.*, 1899, p. 650. Ex responso C. S. O., ad 1m et 3m liquet sub nomine facultatis *habitualis* venire indulta « quibus utuntur (Episcopi) quoties voluerint, licet ad præfinitum tempus », necnon illa « quibus dumtaxat uti valent pro determinato casuum numero ».

exceptio passim jam admittebatur, utpote *implicite* contenta in priore, quam doctrinam confirmavit C. S. O., in decreto 3 Dec. 1902, in quo simul decernebatur id « in posterum expresse in formulis edicendum. » Cf. *Collat.*, VIII, p. 399 et seq., ubi etiam interpretatio proponitur totius articuli.

5°/ Sub art. 19° solita traditur facultas « dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum, et lacticiniorum tempore jejuniorum et præsertim quadragesimæ; non tamen per generale indultum, sed in casibus particularibus ».

Præter quam facultatem notum sit omnes Ordinarios, vi decreti C. S. O. 5 Dec. 1894, gaudere etiam indulto « anticipandi die sibi benevisa, atque, ob gravissimas causas, etiam dispensandi *super lege jejunii et abstinentiæ,* quando *festum* sub utroque præcepto servandum Patroni principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum, item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in *ferias sextas aut Sabbata* per annum, excepto tempore quadragesimæ, diebus quatuor temporum, et vigiliis per annum jejunio consecratis ; atque ut eadem anticipandi, seu etiam, gravissimis de causis, dispensandi potestate uti possint pro diebus quibus *nundinæ* extraordinariæ, magno item populorum concursu, habeantur » (1).

6°/ Sub art. 20° recurrit tenor anterior : « communi-

(1) In hoc igitur indulto *duplex* fit concessio : *una* quæ spectat casum quo festum Patroni vel solenme aliquod festum frequenti concursu populi celebrandum occurrit in feriam VI vel sabbatum, et *altera* quæ spectat casum quo occurrunt nundinæ extraordinariæ ac frequentes. Vi *prioris* concessionis potest Ordinarius anticipare vel dispensare super *sola* lege *abstinentiæ,* uti constat ex exceptis diebus quadragesimæ, quatuor temporum et vigiliis jejunio consecratis; vi *alterius* concessionis potest idem Ordinarius anticipare vel dispensare *tum in lege abstinentiæ tum in lege jejunii,* adeo ut exceptio quæ apponitur priori concessioni non applicetur huic alteri, nec ab hujus facultatis exercitio seponendi sint dies quadragesimæ vel quocumque titulo jejunio consecrati; in hunc saltem sensum interpretandum ducimus relatum tenorem cæteroquin nonnihil obscurum.

candi has facultates in totum vel in partem, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et præsertim tempore sui obitus; ut, Sede vacante, sit qui possit supplere donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit, per delegatos, aut unum ex eis, alio modo provideat ».

Jamvero dispositio de communicandis hisce facultatibus *tempore obitus,* ad abundantiam est addita, cum, attentis decretis sub 1°/ allatis, dictæ facultates ipso jure competant, Sede Vacante, Vicario Capitulari vel legitimo administratori; uterque enim venit nomine Ordinarii, cui facultates sunt commissæ.

Aliunde, expressis verbis, discretioni relinquitur Ordinarii facultates quinquennales S. C. de P. F., intra limites temporis assignatos, *communicandi* sacerdotibus idoneis, in conversione animarum laborantibus. Cæteroquin, ex ipsa dispositione juris, potest Ordinarius, utpote delegatus Principis, facultates *jurisdictionales* (absolvendi et dispensandi) *subdelegare* (1), quousque et in quantum id in tenore indulti non prohibetur neque subdelegandi jus pro aliquibus tantum coarctatur. Cf. decr. 14 Dec. 1898, apud *Collat.*, VI, p. 127, collato decr. C. S. O., 1 Julii 1904, apud *Collat.*, IX, p. 675.

7°/ Tandem quæ olim distinctis articulis 21 et 22 notabantur, in præsenti tenore, breviori formula et absque numero sequuntur: « Prædictæ facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur, ad quinquennium et in diœcesi sibi commissa tantùm ».

Ex quibus attentione digna sunt ultima verba: « *in diœcesi sibi commissa tantum* ». Hac namque clausula restringitur exercitium potestatis Ordinarii vi indulti procedentis. Quod præprimis in dispensationibus ma-

(1) Circa distinctionem inter communicationem et subdelegationem cf. PUTZER, op. cit., nn. 29-31, collato DE BECKER, *De Sponsalibus et matrimonio*, p 316, cum nota.

trimonialibus natum est difficultatem creare, illasque periculo nullitatis exponere.

Et sane, quemadmodum apud *Collat.*, V, p. 478 et seq., exposuimus, ad tramites decreti C. S. O., 2 Maii 1877 (1), potest quidem Ordinarius, posita dicta clausula, facultatibus uti erga subditos, et in specie dispensare valet super impedimentis matrimonii, licet *ipse* versetur extra diœcesim, sed requiritur *ut qui dispensandi sunt infra fines diœceseos existant* (2), momento quo dispensatio conceditur: quod momentum nota non esse illud quo instrumentum dispensationis in forma gratiosa accipitur a parocho vel oratoribus communicatur, sed illud quo fulminationis decretum in ipsa Officialitate Episcopali subsignatur.

Quæ sufficit attendere ut illicò appareat discrimen cui exponitur valor dispensationis, nostro præsertim tempore quo videmus homines, signanter operarios, tam facile transire de uno loco in alium, utque omnibus pateat quam opportunum fuisset hanc restrictionem in tenore S. C. de P. F. omitti, quemadmodum eam omittendam censuit S. Pœnitentiaria, uti infrà dicetur.

***

II. **Quinquennalia S. Pœnitentiariæ.**

A/ Præmittimus **procemium** *Pagellæ* non parum mutatum præ formula antea usurpata: « Tibi Dilecto in Christo Ordinario Brugen. infrascriptas communicamus facultates tum absolvendi a censuris, non obstante Constitutione *Apostolicæ Sedis*, tum dispensandi, ad quinquennium

(1) *Collectan.*, n. 158. Cf. etiam decr. C. S. O., 22 Nov. 1865 (*Collectan.*, n. 1432), ubi docetur dictam clausulam « non subintelligi in facultatibus quæ Episcopis ab Apostolica Sede conceduntur, nisi fuerit expressa, vel aliter constet de mente S. Pontificis, vel nisi subjecta materia eam requirat ».

(2) Satis tamen est, quotiescumque agitur de impedimento utrique parti communi, quod *alterutra* pars in diœcesi versetur. Cf. *Collat.*, V, p. 476 et seq.

duraturas, quibus pro foro conscientiæ, etiam extra sacramentalem confessionem et etiam extra diœcesim, quatenus vel ipse vel subditus, vel uterque extra diœcesim fueritis, pro grege tibi commisso, ex speciali Sedis Apostolicæ auctoritate Tibi delegata uti valeas; quasque intra fines diœcesis tantum canonico pœnitentiario necnon vicariis foraneis, pro foro pariter conscientiæ ac in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si Tibi placuerit, aliis vero confessariis, cum ad Te in casibus particularibus pœnitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri possis, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a Te specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio tuo statuendum, illas communicare judicabis ».

Quibus attente perlectis notatur:

1°/ Secus ac in indulto S. C. de P. F., facultates committuntur, ad tramites decreti C. S. O. 20 Apr. 1898, *Ordinario* Brugensi; antea inscriptio erat: « Vobis venerabili in Christo Patri, Gustavo Josepho Waffelaert, Episcopo Brugensi » (1).

2°/ Sublata est, hucusque inserta et a S. C. de P. F. etiamnum retenta, clausula requirens pro exercitio facultatum præsentiam subditi intra fines diœceseos; imo expressis verbis permittitur Ordinario ut indulto utatur « *etiam extra diœcesim*, quatenus vel ipse vel subditus vel uterque extra diœcesim fueritis »: satis est quod ille qui absolvitur vel dispensatur ab Ordinario hujus subditus sit seu ratione domicilii vel quasi-domicilii pertineat ad gregem Indultario commissum (2).

---

(1) Eo ipso omittitur in tenore præsenti mentio, antea facta, quatenus indulto possit uti Episcopus, per se vel per Vicarium in spiritualibus generalem.

(2) Hac ratione vitantur difficultates quibus suprà alludimus, quæque tam facile oriri poterant signanter in dispensationibus matrimonialibus concedendis in forma gratiosa, quæ forma usurpari solet in nostra diœcesi etiam pro foro interno; et ideo jam nulla videtur esse ratio cur præferatur forma commissoria, qualis in nonnullis diœcesibus est in usu pro foro interno, cum aliunde non exigua timenda sint incommoda in hac forma commissoria adhibenda, uti monuimus apud *Collat.*, VI. p. 127 nota (3).

3°/ Restringitur, quemadmodum antea, facultas subdelegandi, quam de se, ex ipsa juris dispositione, vidimus competere Ordinario, qua delegato Principis. Nimirum a/ non potest Ordinarius alios subdelegare nisi pro *foro sacramentali* tantum, licet ipse possit procedere extra actum sacramentalis confessionis;

b/ urgetur pro subdelegandis clausula: *intra fines diœceseos;* cujus cæteroquin clausulæ observatio passim postulatur ex eo quod exercitium facultatum pro ipsis limitatur ad actum sacramentalis confessionis, quam excipere non valent confessarii, præterquam parochi pro parochianis, nisi in ipsa diœcesi Ordinarii eos approbantis. Sponte etiam patet, ex ipsa indole fori sacramentalis, præsentiam requiri utriusque, subditi scil. et subdelegati, licet formula « intra fines diœceseos », de se non afficiat nisi subditum solum, uti dictum est suprà.

c/ discretioni relinquitur Ordinarii canonicum pœnitentiarium et vicarios foraneos subdelegare etiam *habitualiter;* reliqui vero confessarii generatim non sunt subdelegandi nisi *in casibus particularibus*, in quibus singulis recursus est habitus: cui regulæ non est derogandum nisi *ob peculiares causas*, ob quas *aliqui*, *specialiter* eligendi, deputari possunt per tempus arbitrio Ordinarii statuendum. Ipsa autem S. Pœnitentiaria, sub fine *Pagellæ*, dictæ normæ derogat, permittendo ut *parochi habitualiter* subdelegentur ad dispensandum, in ordine ad matrimonium contrahendum, super affinitate illicita.

B/ Quod spectat **ipsas facultates:**

Duplex species facultatum conceditur: absolvendi nempe a casibus et censuris ac dispensandi super nonnullis impedimentis matrimonii. Porro hujus alterius speciei facultates vix aliquam mutationem subierunt, et eodem ac antea ordine recensentur. Contrà facultates absolvendi ordine invertuntur, auctæ sunt ac varia ratione moderatæ:

1°/ Ita disponuntur variæ facultates absolvendi ut conformentur ordini inter censuras Constitutionis *Apo-*

stolicæ Sedis servato, quem ordinem accurate sequuntur; et ita tribus prioribus articulis absolvi permittuntur tres censuræ *specialiter* reservatæ S. Pontifici, quinque autem sequentibus articulis, quinque censuræ *simpliciter* reservatæ, idque juxta successionem in memorata Constitutione occurrentem. Quibus accedit, sub art. 10°, facultas absolvendi a casu absque censura reservato muneris a religiosis accepti.

2°/ *Nova* facultas inseritur sub art. 3ᵢᵒ: « absolvendi a censuris impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, sive interni sive externi fori et ad hoc recurrentes ad forum sæculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præstantes, injunctis tamen de jure injungendis ».

3°/ Præcipuæ *mutationes* introductæ huc redeunt:

a/ sub art. 1°, olim 3°, inseritur absolvenda censura contracta: « ob defensionem et favorem præstitum hæreticis et eo quod ipsis crediderint ». Pro conditione autem a pœnitente exigenda ad absolutionem, de denuntiatione scilicet facienda, jam non sunt denuntiandi *complices* sed *magistri* dumtaxat ex professo falsæ doctrinæ, si quos noverint pœnitentes.

b/ Sub art. 2°, olim 5°, pro absolutione a censura ob retentionem vel lectionem librorum prohibitorum contracta, urgetur quidem adhuc obligatio tradendi libros sed jam nonnisi disjunctive: tradendi scilicet « vel saltem comburendi seu destruendi ».

c/ Art. 4ᵐ, olim 1ᵐ, in hunc sensum moderatur: « Absolvendi a censura simpliciter reservata eos qui quomodocumque violentas manus, suadente diabolo, injecerunt in clericum vel utriusque sexus monachos (1), etiamsi casus sit publicus (2), non tamen morte secuta (3),

(1) Antea habebatur: « sive in clericos sive in regulares »; tenor præsens est ipse tenor Constitut. *Apostolicæ Sedis*

(2) Hucusque conditio apponebatur: « dummodò casus ad forum Ordinarii deducti non fuerint ».

(3) Olim non tantum excipiebatur casus secutæ mortis sed etiam mutilationis, seu lethalis vulneris aut ossium fractionis.

dummodo scandalum removeatur, ac parti læsæ atque Ecclesiæ, prout oportet, satisfiat, injuncta pro gravitate criminis congrua pœnitentia » (1).

d/ Ad art. 6m, olim 7m, non jam fit mentio expressa nisi de secta massonica, omissa explicita mentione sectæ carbonariæ; et inseritur a contracta censura absolvi posse, etiamsi nomen dantes sectæ publice cognoscantur.

e/ Tandem art. 9°, olim 6°, indulgetur facultas absolvendi a casu munerum a regularibus acceptorum, sed cum hoc moderamine ut jam non sit prævie exigenda restitutio ejusve promissio, nisi quando constat munera fuisse data de propriis bonis religionis vel superasse valorem *viginti* scutatorum, (prius satis erat excedi valorem *decem* scutatorum). Insuper sublata est clausula reincidentiæ antea lata in promissam restitutionem non exequentes. Ex alia parte restringitur facultas absolvendi ab hujusmodi casu ad solum actum sacramentalis confessionis.

Ab interpretatione facultatum abstinemus, pro illa remittentes ad prælaudatum Putzer, op. cit., et commentatores Constitut. *Apostolicæ Sedis*, inter alios, P. Piat, in 3io vol. editionis quam dedit operis Pii Vandevelde, *Principia theologiæ Moralis*, necnon De Brabandere-Van Coillie, *Jus Canonicum*, tom. II, n. 1438 et seq.

A. De Smet.

II

De humana Christi scientia.

Scholasticorum de humana scientia Christi doctrinam, vel saltem argumenta quibus illam propugnabant,

(1) Hucusque dicebatur: « injunctis de jure injungendis et præsertim ut parti læsæ competenter satisfiat ».

impugnavit *Schell* (1); deinde etiam a *Loisy* (2) inaudita quædam asserta fuerunt de cognitione quam Christus habebat de sua dignitate. Quum autem sæculo sexto exstiterit secta cujus fautores vocati sunt *Agnoëtæ* (3), eo quod contendebant ignorantiam esse agnoscendam in Christo, quumque illi damnati fuerint propter hanc opinionem, merito inquiritur utrum hæretica censenda sit sententia omnis asserens in Christo fuisse ignorantiam.

Huic quæstioni, postquam varia Ecclesiæ documenta diligentissime perpenderit, responsum dat SCHMID (4), cujus conclusiones hîc breviter exponemus.

1. Qui Christum *ut hominem* aliquid ignorasse, seu nescivisse, assereret eorum quorum scientiam quovis modo habere homo potest, non esset hæreticus (5): ratio hujus asserti præcipua est quia documenta contra Agnoëtas non ita clare loquuntur ut certo constet omnem ignorantiam excludi *ab ipsa humanitate* Christi (6). Præterea quidam Patres, agentes contra Arianos, videntur concessisse teneri posse sententiam asserentem Christum ut hominem nescivisse quædam (7).

---

(1) *Katholische Dogmatik*, T. I, p. 140.

(2) *L'Evangile et l'Eglise*, p. 48.

(3) Cf. FUNK (Trad. Hemmer) *Histoire de l'Eglise*, Paris, 1899, T. I, p. 237; HERGENRÖTHER, *Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte*, Vierte Auflage, neu bearbeitet von Dr KIRSCH, Freiburg i. Br. 1902, T. I, p. 619; VACANT, *Dictionnaire de la Théologie catholique*, art. *Agnoëtes*.

(4) *Zeitschrift für katholische Theologie*, Innsbruck, 1895, pp. 651-680, *Die Lehre der Agnoëten und ihre Verurtheilung*.

(5) Hæc conclusio, et secunda, quam exponemus, desumuntur ab ALEXANDRO NATALI, *Historia Ecclesiastica*, Ad sæculum VI, Dissert. 7.

(6) Agnoëtæ enim erant *monophysitæ, unam* scilicet *naturam* ex divinitate et humanitate in Christo agnoscentes; proinde ignorantia, quam in Christo, ratione humanitatis, ponebant, afficiebat etiam Ejus divinitatem; ergo condemnatio Agnoëtarum non eo ipso extendi potest ad sententiam ejus qui in sola humanitate Christi, realiter distincta ab Ejus divinitate, admitteret ignorantiam.

(7) Cf. PETAVIUS, *De Incarnatione*, L. XI, c. I, n. 5. Attamen pleraque illa testimonia recte, ut videtur, explicantur hoc sensu quod Christus *ex* natura humana plura nescivisset quæ tamen *in* humana natura cognovit propter supernaturalem cognitionem. Cf. VACANT, op. c., l. c

2. Absque errore dici non potest Christum, ut hominem, diem judicii et alia, quorum scientiam a Deo consequi mens creata potest, ignorasse (1).

Attamen hæc generalis propositio diversimode determinari seu restringi potest. Propositio quæ assereret Christum ut hominem in quolibet vitæ suæ spatio, revera quædam *ignorasse* h. e. nescivisse quædam quorum cognitio, inspecta ejus ætate et missione, ipsi *debita* esset, foret saltem in theologia catholica inaudita et piarum aurium offensiva (2).

Si quis vero contenderet nescientiam v. gr. diei judicii, pro quodam vitæ Christi spatio non esse *privationem* cognitionis, scilicet non esse carentiam perfectionis debitæ et consequenter non esse positive imperfectionem in Christo, hic dissentiret a doctrina plerorumque Patrum qui scripserunt de cognitione ultimi judicii in Christo.

Deinde distingui possunt varia Christi vitæ spatia. Nemo certe, qui Christianus esse velit, sive sit Arianus, vel Monophysita, vel Agnoëta, inveniretur qui animæ Christi denegaret cognitionem de die ultimi judicii et de aliis hujusmodi *pro tempore vitæ ejus gloriosæ* in cœlis: qui vero tale assertum propugnaret ut hæreticus tenendus foret.

Quoad tempus vitæ *publicæ* Christi hac in terra, humano intellectui ejus, sine aliqua saltem temeritate, denegari non posset cognitio de die ultimi judicii, aliarumque rerum hujuscemodi.

Quoad *infantiam* Christi, duplex tantum sententia, secundum opinionem Auctoris, defendi potest: vel

---

(1) Hæc propositio nimis vaga est, præsertim hoc incisum: quorum scientiam a Deo consequi mens creata potest.

(2) Ut videtur, hæc nota insufficiens est. Etenim licet nulla hac de re sit definitio Ecclesiæ, nec talis sit Traditio ut hæretica dicenda foret sententia admittens in humano Christi intellectu *ignorantiam* proprie dictam, tamen si Ecclesiæ sensus inspicitur et theologorum doctrina, *erronea* dicenda videtur talis sententia et contradictoria theologice certa.

animæ Christi, in primis vitæ humanæ annis, deneganda est omnis usus rationis et æquiparandus est sub hoc respectu Christus aliis hominum filiis, vel a primo instanti existentiæ humanæ agnoscenda est in Christo perfecta scientia qualis fuit tempore ejus vitæ publicæ. Ratio hujus disjunctionis hæc est: qui admittit internum, realem et simpliciter dictum progressum in humana Christi cognitione, hic consequenter denegare debet animæ Christi in utero matris et in primis vitæ humanæ annis usum rationis. Qui vero tenet Christum, etiam in utero matris, habuisse plenum rationis usum, nullam jam inveniet rationem ut in humana Christi cognitione, per decursum vitæ mortalis, admittat verum et simpliciter dictum progressum. Negari porro nequit modum loquendi Patrem, saltem a tempore quo exorti sunt Agnoëtæ, huic sententiæ favere quæ non admittit in Christo internum et simpliciter dictum progressum (1).

Ex illis conclusionibus constat non multis propositionibus circa humanam Christi scientiam attribui posse certam quamdam notam theologicam, variasque adhibendas esse distinctiones ad solvendam quæstionem de ignorantia vel nescientia in Christo, hanc tamen quæstionem non esse illis accensendam quæ relinquuntur liberis theologorum disputationibus.

Prælaudatus auctor agit de *objecto* cognitionis Christi, non de *principio subjectivo* cognitionis Ejus, scilicet utrum admittenda sit triplex in Christo scientia, beata, per se infusa, acquisita. Hæc sententia ab omnibus

(1) Sermo est de progressu simpliciter dicto, nempe de transitu intellectus a nescientia alicujus rei ad ejusdem cognitionem primo habitam. Qui Scholasticorum doctrinæ adhæret et in Christo triplicem agnoscit scientiam, scilicet beatam, per se infusam, acquisitam, potest admittere progressum secundum hanc ultimam cognitionis speciem: sed hic non est progressus simpliciter dictus in cognitione Christi, quum Ipse jam cognoscat aliis scientiis id quod acquisita scientia cognoscit: est novus modus videndi rem jam cognitam; est aliquis progressus *secundum quid*, non simpliciter dictus.

Scholasticis et omnibus fere theologis catholicis docetur, non tamen propugnatur ut dogma revelatum, sed ut scientifica explicatio perfectionis Christi et fundatur in rationibus summæ *convenientiæ*. Existentia *visionis beatificæ* in humano Christi intellectu a primo instanti conceptionis propugnatur ut *certa* a plerisque theologis. — De opinione quam emisit Loisy specialiter agemus in responsione postea danda.

J. Van der Meersch.

III

Indulgentia « toties quoties » in festo SS. Rosarii.

In *elencho indulgentiarum SS. Rosarii* approbato et confirmato a Leone Pp. XIII (S. C. Indulg., 29 Augusti 1899) sic refertur sub n. 62: « *Indulgentia plenaria toties quoties in festo SS. Rosarii, sacramentis refecti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei ipsius*, in memoriam victoriæ super Turcas apud Echinadas insulas ope Rosarii reportatæ, *capellam* (*vel effigiem B. M. V. in ecclesia expositam*: S. C. Indulg. 25 Jan. 1866) *visitant ibique ad intentionem Summi Pontificis orant* (S. Pius V, *Salvatoris*, 5 Mart. 1572; S. C. Indulg. 5 April. 1869; 7 Jul. 1885).

Hæc indulgentia, quæ vocatur *Portiuncula dominicana*, est concessa *in festo SS. Rosarii*, scil. dominica prima Octobris; eam lucrari valent *omnes fideles*, etiam Confraternitati non adscripti; non tantum in ecclesiis Ordinis Prædicatorum, sed *in omni ecclesia in qua canonice erecta est Confraternitas SS. Rosarii;* et applicari potest per modum suffragii animabus purgatorii (*Elench. cit.*, n. 65).

Conditiones: A/ *Confessio*. Non requitur *specialis*, sed sufficit confessio hebdomadaria, imo, ubi specialiter

concessum est, ut in nostra diœcesi (1), singulo spatio duarum hebdomadarum institui solita (*Decr. auth.*, n. 364, ad 1m; *Rescr. auth.*, n. 363; S. C. Indulg. 5 Dec. 1893).

Hæc confessio ab omnibus poterit anticipari *feria sexta* immediate præcedenti festum SS. Rosarii (Leo XIII, Rescr. S. C. Indulg. 19 Aug. 1899, in *elencho cit.*, ad n. 62); imo in Belgio *feria quinta,* ex speciali concessione (2).

B/ *Communio.* Hæc institui potest in quacumque ecclesia (*Raccolta* (1898), p. XIII); et valet communio facta *pridie*, in sabbato, sicut et confessio (*Decr. auth.*, n. 426) (3); non tamen potest fieri communio, sicut confessio, feria sexta vel quinta.

C/ *Visitationes et preces*: 1/ debent fieri *infra tempus statutum*, scil. *a primis vesperis*, hoc est ab hora circiter secunda pomeridiana (4), *usque ad occasum solis diei ipsius*, id est usque ad crepusculum (*Raccolta*, p. XVI) et quidem integrum (Bened. XIV, in bulla Jubilæi 5 Maii 1749); 2/ visitari debet capella seu altare vel effigies B. M. V. in ecclesia exposita, np. in ecclesia in qua canonice erecta est Confraternitas SS. Rosarii (5): ad hoc sufficit ut quis sit in tali loco ecclesiæ e quo videri potest capella, altare vel simulacrum (6); 3/ visi-

---

(1) Hoc privilegium fuit pro diœcesi Brugensi renovatum ad *triennium* per rescriptum de die 11 Martii 1904. Cf. *Calendarium liturg.* anni 1905, p. 3.

(2) S. C. Indulg. 10 Sept. 1895. Cf. textum apud De Busschere, *Le Rosaire de Marie*, Bruges, 1901, p. 371. — Hoc privilegium notetur in *Libro Manuali*, ed. alt., p. 62.

(3) Sedulo notetur hæc regula pro confessione et communione: valet pro omnibus indulgentiis, nisi exceptio expresse ponatur in concessione. At aliæ conditiones impleri debent tempore præscripto (*Decr. auth.*, n. 426 et 434, ad 2m).

(4) Cf. Beringer, *Les indulgences*, 3e éd. (1905), T. I, p. 105.

(5) Curent igitur parochi ut hujusmodi Confraternitas quamprimum erigatur, si desit in loco. Regulas servandas invenient apud De Busschere et Liekens, *op. cit.*

(6) De Busschere, *op. cit.*, p. 373; Liekens, *Liber manualis rectoris Confrat. Rosarii*, Mechliniæ 1904, p. 63, coll. p. 59.

tationes debent esse distinctæ per egressum et regressum, et in singula visitatione fundantur oportet preces ad intentionem Summi Pontificis.

Ne prætermittatur privilegium singulare, pluribus tamen ignotum, quod continet *Elenchus cit.* in nota ad n. 31 : « *Moniales in clausura viventes, juvenes utriusque sexus in collegiis, seminariis, conservatoriis degentes, omnesque demum personæ viventes in institutis ex quibus ad libitum egredi non possunt, imo et membra societatum catholicarum*, omnes indulgentias pro quibus præscriberetur visitatio capellæ seu ecclesiæ confraternitatis — dummodo huic rite adscripti sint — lucrari possunt visitando propriam ipsorum ecclesiam, seu capellam, sive oratorium (S. C. Indulg. 11 Aug. 1871; 8 Febr. 1874).

Hæc concessio est omnino generalis, a qua proinde non excluditur magna indulgentia toties quoties ; at adverte eam non suffragari, nisi illis qui sunt confraternitati SS. Rosarii rite adscripti (1).

H. Mahieu.

(1) A Magistro Generali Ordinis Prædicatorum sacerdotes obtinere sat facile possunt facultatem personalem recipiendi fideles in societatem SS. Rosarii, necnon benedicendi rosaria. Ordinarie, ad modum taxæ, imponitur obligatio celebrandi duas missas. Scribatur v. g. ad R. P. De Busschere, conventus Ostendani, via dicta *christina*. Fideles ita recepti *statim* indulgentias lucrari possunt, postea tamen, data opportunitate, in registro alicujus Confraternitatis canonice erectæ inscribantur.

Fabriques d'église

Séance légale du mois d'Octobre.

Les conseils de fabrique s'assembleront en séance ordinaire le 1er dimanche d'Octobre.

La convocation doit se faire le dimanche *précédent*, au prône de la grand'messe ; faite au prône le jour de la réunion, elle est insuffisante (a. r. 15 Juillet 1881).

Le conseil pourvoira, s'il y a lieu, au remplacement des membres du conseil et du bureau, décédés ou démissionnaires ; puis il délibérera sur les objets qui lui seront proposés. L'ordre du jour de la séance aura été fixé et préparé dans la réunion que le bureau tiendra au mois de Septembre.

Quant à l'obligation qu'ont les conseillers de fabrique et spécialement le trésorier, de faire au commencement de l'automne la visite des bâtiments affectés au service du culte, voir les *Collationes Brugenses* : T. I, p. 130-135 ; II, p. 92 ; IV, p. 482-483 ; X, p. 175-177.

E Sacra Congregatione Rituum

I

De musicorum instrumentorum usu in sacris functionibus.

COMPOSTELLANA.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Josephus M. de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus, ad Sacram Rituum Congregationem mittens elenchum tum festorum quæ in sua ecclesia Cathedrali solemniter celebrantur cum musica vocali et instrumentali, vulgo *orquesta;* tum instrumentorum quibus musici utuntur in iisdem solemnitatibus: atque insuper interpretationem authenticam habere desiderans super iis quæ Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in *Motu proprio* super musica sacra statuit, nempe: « Aliquoties, servatis servandis, admitti possunt alia musica instrumenta, sed annuente Episcopo, ut Cæremoniale Episcoporum præcipit », eidem Sacræ Congregationi sequentia dubia enodanda reverenter proposuit, videlicet.

I. An, et in quibus festis permitti possit usus instrumentorum, quæ (vulgo *violines, violas, violoncello, contrabajo, flauta, clarinetes, fagots, trompas*) in elencho recensentur?

II. An permitti possit usus instrumentorum in Officio et Missa defunctorum?

III. An proscribendus sit in ecclesiis parochialibus et conventualibus usus organi dicti *harmonium* in Officio et Missa defunctorum?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis super Musica et Cantu sacro, rescribendum censuit:

Ad I. « Ad primam partem *Affirmative;* ad secundam partem, in illis functionibus et temporibus, in quibus sonus organi aliorumque instrumentorum non prohibetur a Cæremoniali Episcoporum, a prædicto *Motu proprio* et a Decretis S. R. C. uti in *Pisana* 20 Martii 1903, et in *Compostellana* 8 Januarii 1904 super Triduo Majoris Hebdomadæ; verum juxta prudens Ordinarii arbitrium in singulis casibus cum dispensatione a lege et praxi communi adhibendi in sacris

functionibus cantum gregorianum vel musicam polyphonicam aut aliam probatam ».

Ad II. « In Officio *Negative;* in Missa et Absolutione post Missam, prouti in responso ad I et servatis servandis, ita ut sonus organi aliorumque instrumentorum tantum ad sustinendas voces adhibeatur et sileant instrumenta cum silet cantus, juxta Cæremoniale Episcoporum, lib. I, cap. 28, n. 13 ».

Ad III. « Provisum in præcedenti ».

Atque ita rescripsit, die 15 Aprilis 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotationes. — Illa authentica interpretatio eorum quæ SS. Dnus noster Pius Papa X in *Motu proprio* super musica sacra decrevit, maxime pertinet tum ad musicorum instrumentorum usum et delectum in ecclesiis, tum ad functiones et tempora, quibus illa, servatis servandis, adhiberi permittuntur.

I. Legislatio Ecclesiæ tam universalis, quam particularis de usu instrumentorum, quæ præter organum ad voces sustinendas in templis admitti possunt, varia fuit variis temporibus.

In editionibus *Cæremonialis Episcoporum* anterioribus editione typica, auctoritate Leonis XIII anno 1886 recognita, legebatur: « Cavendum autem est, ne sonus organi sit lascivus.....; nec alia instrumenta musicalia præter ipsum organum addantur » (1). Nihilominus, usu contrario invalescente, ipse Benedictus XIV in celeberrima Encyclica *Annus qui* d. d. 19 Februarii 1749 pro Statu pontificio, musicalia instrumenta intra certas limites et de licentia episcopi, ad cantum adhiberi permisit; (2) et hæc disciplina in Ordinatione

(1) Cf. *Cæremoniale Episcoporum* Benedicti PP. XIV jussu editum et auctum, Lib. I, cap. 28, nº 11, editio 1ª Mechliniensis, 1858.

(2) *Bullarium Benedicti XIV*, editio Mechliniensis, T. VII, p. 76, § 11.

S. R. C. 24 Sept. 1884 pro cantu sacro in Italia moderando (1), modo magis determinato simulque magis extenso fuit recepta (2).

Proinde, jam intelligitur cur in editione typica *Cæremonialis Episcoporum* anni 1886, textus hucusque receptus in sequentem fuerit mutatus: « Cavendum autem est ne sonus organi sit lascivus.....; nec alia instrumenta musicalia addantur, *nisi de consensu episcopi.* » Lib. I, cap. 28, nº 11.

Quam dispositionem *Cæremonialis*, modo solemni interpretatus est SS. Dnus noster Pius Papa X in præfato *Motu proprio* (3) de musica sacra, art. 15: « Quamvis musica Ecclesiæ propria solummodo vocalis sit, licet tamen musicam organo moderari. Speciali ratione (*italice* in qualche caso speciale), debitis terminis, servatisque tutelis servandis, alia musica instrumenta adhiberi poterunt, nunquam vero *sine speciali venia* Ordinarii, juxta *Cæremonialis Episcoporum* præscripta » (4).

His attentis præscriptionibus juris universalis, simulque articulis 3, 4, 5, 6 ejusdem *Motu proprio*, circa varia musicæ sacræ genera, concludi potest quod, hodierna die, lex et praxis in Ecclesia vigeat adhibendi in sacris functionibus cantum gregorianum vel musicam polyphonicam vel aliam probatam (5) et quod ideo usus

---

(1) *Acta Sanctæ Sedis*, 1884, T. XVII, p. 340 ss.

(2) Juxta epistolam circularem Cardinalis Vicarii Patrizi in Urbe 20 Nov. 1856, pro singulis casibus quibus instrumenta musicalia præter organum essent adhibenda, requirebatur expressa et scripta licentia. WERNZ, *Jus Decretalium*, T. III, *Jus administrationis*, p. 486, nº 494, Romæ, 1901.

(3) Textus originalis italicus simul cum versione latina officiali invenitur ap. *Ephemerides liturgicæ*, 1904, T. XVIII, p. 129 ss. Illam versionem latinam exhibet etiam Rdus adm. Canonicus DUCLOS, *Sa Sainteté Pie X et la musique religieuse*, p. 124 ss., Rome-Tournai, 1905. Versio gallica reperitur ap. *Coll. Brug.*, 1904, T. IX, p. 111 ss.

(4) Cf. epistolam pastoralem Emi Card. Sarto patriarchæ Venetorum 1 Maii 1895, nº 5-7; ap. *Musica Sacra*, bulletin de la société de Saint Grégoire établie en Belgique, 23e année, 1903-1904, p. 3 ss.

(5) Musicam aliam probatam, intelligo illam de qua sermo est in a. 5 et 6, *Motu proprio*. Cf. DUCLOS, *Sa Sainteté Pie X et la musique religieuse*, p. 49-66.

musicæ vocalis simul et instrumentalis sit derogatio legis, quæ tantum juxta prudens Ordinarii arbitrium, in singulis casibus, dispensatione legitima reputetur.

Illa instrumenta musicalia « adhibeantur solummodo advim quamdam verborum cantui quodammodo adjiciendam, ut magis audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem et erga Deum divinarumque rerum amorem incitentur » (1). Musica vero vocalis et instrumentalis, quam Ecclesia reprobat ea est, quæ ratione typi originarii, sive formæ quam induit, nata est auditorum animis in ecclesia, quæ domus orationis est, distrahendis (2).

II. Præsens decretum dilucidat aliam quæstionem sat controversam et pro praxi, magni momenti locum obtinentem, nimirum : Qualia musica instrumenta juxta superius dicta permittantur?

Ante promulgatam Instructionem Pii X de musica sacra, nulla nifallor lege generali hac de re existente, ad hujus rei solutionem principia generalia imprimis attendenda erant; simulque unusquisque tutissime sequi poterat normas, quas jus particulare circa hanc materiam statuerat.

Juxta præfatam epistolam encyclicam *Annus qui*, § 11 permittet episcopus instrumenta vulgo dicta : *les violons*, *altos, violoncelles*, *contrebasses et bassons* (3), vetabit vero ea quæ gallice vocantur : *les timbales*, *cors de chasse*, *trompettes*, *hautbois*, *flûtes*, *petites flûtes, harpes*, *mandolines* aliaque quæ musicam theatralem efficiunt. Arti-

---

(1) Benedictus XIV, cit. Encycl. *Annus*, § 12; *Instructio* S. C. R. 7-21 Jul. 1894, P. I, a. 6, 9, *Acta S. Sedis*. 1894-1895. T. XXVII, p. 42 ss ; *Motu proprio*, a. 16.

(2) S. C. R. 25 Sept. 1884, a. 4.

(3) Textus latinus habet : *barbiton*, tetracordon majus, tetracordon minus, monaulon pneumaticum, fidiculas et lyras tetracordes. Le barbiton était un instrument à cordes et à archet, de la catégorie des violes, peut-être la basse de viole.

culo 12 S. R. C. Instructionis anni 1884, interdicuntur musica instrumenta nimis *fragosa strepentiaque* cujusmodi sunt, lingua vernacula : *la grosse caisse, le tambour, les cymbales* et alia similia, *le clavecin ou piano ;* permittuntur vero : *les trompettes, flûtes, timbales,* aliaque id genus quibus populus Israeliticus in divinis laudibus canendis olim utebatur..... dummodo perite graviterque, præsertim in canendo hymno *Tantum ergo*, quum Venerabilis Sacramenti benedictio impertitur, adhibeantur. »

Sed illa instructio, multis gravibusque de causis, ad actum in pluribus diœcesibus Italiæ plene redigi non potuit. Ideo anno 1894, mandatis Leonis XIII obsequens, novam in lucem protulit SS. R. Congregatio ordinationem, quæ in vulgus edita et significata Rmis Italiæ ordinariis, acta omnia hac de re præcedentia abrogavit (1). Jam vero, illa jam nihil in specie determinat circa delectum instrumentorum, imponitque tantum onus Ordinariis ut opportunas edant præscriptiones, præsertim in Synodis diœcesanis, normis et principiis datis apprime conformes (2).

Pius X, ut praxis magis magisque principiis sese accomodaret, quædam addidit præscriptis *Cæremonialis*, exemplum secutus antecessoris sui Benedicti XIV, sed in benigniorem sensum. Loquendo de instrumentis musicis tum consociantibus, tum præ-vel interludentibus, prohibuit in ecclesia usum instrumenti, cui vulgo nomen *pianoforte* inditum est, tum instrumentorum omnium nimium strepitum edentium aut non satis gravium (*italice*, strumenti fragorosi o leggeri ; *gallice*, instru-

---

(1) S. C. R. 21 Julii 1894, *Act S. Sedis*, 1894-1895, T. XXVII. p. 47 ; S. C. R. 6 Julii 1894, P. II, nº IV.

(2) S. C. R. 6 Julii, P. II, n. I. Hæc præ oculis habens, Concilium plenarium Americæ latinæ, in Urbe anno 1899 celebratum, in a. 444, modo omnino generali decrevit : Musica instrumenta adhiberi possunt, dummodo etc. (*Acta et Decreta C. plen. Am. latinæ*, p. 197, Romæ, 1901.)

ments bruyants ou fantaisistes) (1), ut *tympanorum cujusvis formæ et molis* (2) (*italice*. il tamburo, la grancassa), *crotalium* (cymbales) *tintinnabulorum* (sonnettes) et similium (3). (*Motu proprio* a. 19).

Quamvis, cum aliquo fundamento, ad ulteriorem hujus articuli interpretationem, epistola pastoralis Emi Card. Sarto afferri posset (4), tamen attendendum erat multo largius patere verba Pii X quam præscripta Patriarchæ Venetorum ; quod omnino confirmat decretum nuperrime prolatum et cujus textus superius in promptu habetur (5).

Etenim ad petitum : « An permitti possit usus instrumentorum quæ vulgo *violines*, *violas* (altos), *violoncello*, *contrabajo* (contrebasse), *flauta* (flûtes), *clarinetes*, *fagots* (bassons), *trompas* (cors) ? responsum fuit, affirmative. Nec ille elenchus, meo judicio, ut exclusivus habendus est.

Ex illa interpretatione authentica jam apparet, quam benignissima sit tota illa legislatio de musica sacra a Pio X feliciter instaurata et in codicem redacta.

---

(1) Sub hac voce *leggeri* veniunt les *harpes*, *mandolines*, *guitares*, utpote quæ musicam theatralem efficiunt.

(2) Prohibentur etiam le *gong* ou *tam-tam* cf. Duclos, *o. c.*, p. 78, note 2. Quid censendum de instrumento vulgo *les timbales* dicto. Inspiciendo textum latinum videtur prohiberi ; cum tamen in exemplari italico non expresse nominetur, cumque, dummodo ad effectus theatrales non adhibeatur, non necessario comprehendatur sub vocibus *strumenti fragorosi*, usus ejus, salvo meliori judicio, non prorsus prohibitus censeri debet. Cf. supra citatam Instructionem S. C. R. 1884, in qua expresse permittitur.

(3) *Carillon, triangle.*

(4) Cf. Duclos *o. c.*, p. 79.

(5) En verba Em. Card. Sarto, a. 5 : « Quoique la musique purement vocale soit à proprement parler la musique de l'Église, on peut cependant admettre des compositions avec accompagnement d'orgue et même, moyennant la permission expresse de l'Ordinaire, suivant les prescriptions du *Caeremoniale Episcoporum* avec accompagnement d'orchestre. Ce dernier devra être limité aux instruments à corde, à l'exclusion des instruments légers ou bruyants, comme le tambour, les grosses caisses, les trombones, les carillons et autres semblables (*Musica sacra*, l. c., p. 6-7).

III. Musica vocalis consociantibus instrumentis (avec accompagnement d'orchestre) permittitur in iis functionibus et temporibus, in quibus sonus *organi* non prohibetur a *Cæremoniale episcoporum*, a prædicto *Motu proprio* et a decretis S. C. R. uti in *Pisana* 20 Martii 1903 et in *Compostellana* 8 Januarii 1904 super Triduo Majoris Hebdomadæ (1). Verum, in singulis casibus requisita dispensatio remittitur prudenti arbitrio episcopi, qui attentis loci adjunctis et servatis principiis hac in re statutis, hanc permittet derogationem a lege et praxi communi adhibendi in sacris functionibus cantum Gregorianum, musicam polyphonicam vel aliam probatam.

Consequenter permitti etiam potest usus instrumentorum in *Missa defunctorum* (2) et in absolutione post Missam de requie (3), non vero in *Officio defunctorum*. Si vero hæc musica adhibeatur, sileant instrumenta cum silet cantus (4).

A. De Meester.

II

De hora divini Officii recitandi.

PLACENTINA IN HISPANIA.

Hodiernus Rev^mus^ Episcopus Placentinus in Hispania Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit:

Ex controversia abhinc paucis annis exorta circa horam qua Matutinum pro insequenti die incipi possit, asserentes quidam talem horam esse secundam pomeridianam, negantes alii, eamque protrahentes ad dimidietatem vesperæ, prout in Directoriis diocesanis præscribitur, quandam anxietatem

(1) Cf. Duclos, *o. c.*, p. 89 ss. n. 73 ss., p. 94 s., n° 78 s. Decretum in *Compostellana* legitur ap. *Coll. Brug.*, IX, p. 465.

(2) *Statuta diœcesana*, P. II, tit. IV, a. 2, § 1.

(3) Qui ritus consideratur ut appendix Missæ.

(4) *Cæremoniale episcoporum*, Lib. I, cap. 28, n° 13.

non parvipendendam oriri inter obstrictos ad Divinum Officium. Quapropter idem Rev^mus Episcopus sequentia dubia solvenda subjecit:

I. Utrum in privata recitatione Matutinum pro insequenti die incipi possit hora secunda pomeridiana, aut standum sit tabellæ Directorii diœcesani omni tempore?

II. Utrum etiam in publica seu chorali recitatione officium incipi possit hora secunda pomeridiana?

III. Utrum hora recitandi Matutinum annumerari queat indiscriminatim ex meridiano circulo locali, aut ex meridiano circulo officiali dicto *Greenwich*, qui quidem anticipat horam circuli localis per tertiam horæ partem plus minusve?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, reque mature perpensa respondendum censuit:

Ad I. Consulantur probati auctores.

Ad II. *Negative*, nisi habeatur Indultum.

Ad III. Ad libitum.

Atque ita rescripsit. Die 12 Maii 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Præfectus*.
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotanda. De dubio primo jam duo prodierunt S. R. C. responsa. Decr. 16 Martii 1876, *De Zachatecas*, n. 3391: « Quanam hora liceat incipere privatam recitationem Matutini cum Laudibus vespere diei præcedentis? » Resp.: « Privatam recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi posse quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum ». Ad dubium vero « an prædicta responsio ita intelligenda sit ut ille non satisfaceret obligationi suæ, qui Matutinum cum Laudibus vespere diei præcedentis recitaret, priusquam sol medium cursum teneret inter meridiem et occasum? » S. R. C. respondit in una *Petrocoricen*, diei 13 Julii 1883: « Consulantur probati auctores ». Verum, in ultima editione authentica decretorum S. R. C. admisso sub n. 3391 priori responso, non fuit insertum præfatum decretum anni 1883. Unde conjicere

potuisset quis aliquatenus reprobrari sententiam eorum qui tenent recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi posse hora secunda pomeridiana (1), omni tempore, etiam iis in locis ubi talis consuetudo non existit. Sed rursus nunc proposito dubio, sub forma omnino generali, respondet S. C. iisdem verbis: « Consulantur probati auctores ».

Ad tertium dubium quo confirmatur doctrina recepta, cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 62-64.

C. CALLEWAERT.

III

Color violaceus adhibendus in missa votiva de Fidei propagatione.

SOCIETATIS PARISIENSIS MISSIONUM AD EXTEROS.

Rev^mus P. Petrus Xaverius Cazenave, Procurator Generalis Societatis Parisiensis Missionum ad exteros, SS. Rituum Congregationi ea quæ sequuntur humiliter exposuit, nimirum:

Die 5 Martii 1787 approbata fuit Missa votiva de Fidei Propagatione pro omnibus et singulis Missionariis ubique gentium existentibus, et die 21 Aug. 1841 concessa fuit etiam Diœcesibus, in quibus adest Societas Propagationis Fidei in Gallia instituta. Nunc autem ambigitur et quæritur: Quinam sit color paramentorum in prædicta Missa votiva adhibendus?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis die 29 Novembris hoc vertente anno ad Vaticanum habitis, re sedulo perpensa una cum voto Commissionis Liturgicæ, rescribendum censuit: « *Adhibendum esse colorem violaceum* ». Atque hanc Sacri Consilii resolutionem SS^mus D^nus noster Pius PP. X ratam habuit et probavit, die 14 Decembris 1904.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Præfectus.*
† D. PANICI, Archiep. Leodicen., *Secret.*

(1) Circà illam sententiam cf. Ill^mi ac Rev^mi WAFFELAERT, apud *Nouv. rev. theol.*, T. XIX et XX; DIGNANT, *De Virtute Religionis*, n. 108.

Libri dijudicantur.

A. Vermeersch, S. J. **Méditations sur la Sainte Vierge** *à l'usage du clergé et des fidèles*. T. I. *Fêtes de Marie, Mois de Marie*, Bruges, Beyaert, 1905. In-18, XXIV-392 p. Prix: 3 fr. les 2 vol.

Les fêtes du cinquantenaire de la proclamation dogmatique de l'Immaculée Conception ont ravivé dans les âmes la si salutaire dévotion envers la très Sainte Vierge. Comme le disait Sa Sainteté Pie X dans l'encyclique du Jubilé *Ad diem illum*, la vraie dévotion envers la Mère de Dieu ne comporte pas seulement quelques pratiques extérieures, elle est avant tout un culte intérieur, un culte d'amour et d'imitation. Or ce culte intérieur suppose la connaissance: on n'aime et on n'imite que ce qu'on connaît. Quiconque, par conséquent, voudra faire sienne cette résolution, que répétait sans cesse Saint Jean Berchmans: « Je veux aimer Marie », devra, comme lui, s'appliquer à connaître Marie, devra méditer sur la Sainte Vierge.

Ce travail de méditation sera aisé, si l'on veut bien s'aider du livre que vient de publier le R. P. Vermeersch. Voici le plan de l'ouvrage: il se divise en trois parties principales. La première contient des méditations pour *les fêtes de Marie:* l'auteur a eu l'heureuse idée de préparer chaque méditation par une courte introduction sur l'origine et le sens des différentes fêtes. A noter spécialement un chapitre substantiel et original sur l'évolution dogmatique et l'infaillibilité pontificale à propos du dogme de l'Immaculée Conception. — La seconde partie, *Mois de Marie*, étudie la Mère de Dieu et des hommes dans les traits que le Nouveau Testament nous rapporte de sa vie. — Le second volume contiendra la troisième partie, dans laquelle l'auteur tâchera « d'exposer plus méthodiquement les gran-

deurs, les vertus et les gloires de la Sainte Vierge, concurremment avec les lois directrices de l'ascétisme catholique » (p. IX).

Dans le développement des sujets de méditation, l'auteur a évité la trop grande sobriété, que d'aucuns ont reprochée à son excellent petit livre « Il m'a aimé ! », tout en se gardant de vouloir tout dire, ce qui arrêterait le travail personnel de celui qui médite ; il s'est d'autre part attaché à donner, en même temps que la doctrine, des corollaires pratiques : on oublie trop souvent que la méditation n'est pas seulement une étude, mais aussi et avant tout une oraison ; la considération doit produire des affections et des résolutions pratiques. C'est assez dire qu'à notre avis l'auteur, comme il l'espère, plaidera efficacement la cause de la prière mentale. Son ouvrage n'est pas un livre de lecture, c'est un livre de méditation : pour le goûter, il faut le méditer.

Le R. P. Vermeersch destine son livre aux prêtres et aux fidèles : « Les prêtres comme les fidèles y trouveront, sous une forme pieuse, un traité solide de Mariologie, une nourriture substantielle de leur piété et de leur confiance envers la Mère de Dieu. Les prêtres auront à leur disposition une mine féconde pour prêcher les gloires de Marie, et pour inculquer de plus en plus au peuple chrétien la vraie dévotion, si salutaire et si nécessaire, envers la très Sainte Vierge » (Approbation de S. G. Mgr Waffelaert, Évêque de Bruges).

H. Mahieu.

***

Dom Bruno Destrée, O. S. B. **Une mystique inconnue du XVIIe Siècle. La Mère Jeanne de Saint-Mathieu Deleloë.** Bruges, Desclée, 1905. In-12, 327 p. Prix : 3,50.

A ne considérer que les évènements extérieurs qui la composent, cette vie tient en quelques lignes. Jeanne Deleloë, née en 1604 à Fauquembergues, en Artois,

y entre en religion à l'âge de 16 ans chez des Sœurs Bénédictines ; la guerre entre la France et l'Espagne force la communauté à émigrer en 1635 ; Mgr Gillot, prélat de l'abbaye de Saint-Bertin, met à la disposition des Sœurs une maison qui lui appartenait à Poperinghe. Elue prieure peu de temps après, la Mère Jeanne de Saint-Mathieu meurt à Poperinghe le 13 Avril 1660.

Cette vie si simple mérite cependant d'attirer l'attention : car sous les dehors de cette existence ordinaire et uniforme se cache une vie peu commune, dont toute la beauté et la grandeur sont intérieures. Omnis gloria ejus ab intus. Grâce au *Journal*, que cette sainte âme rédigea sur l'ordre formel de son directeur spirituel, il nous est donné de pénétrer au plus intime de cette vie cachée. Ce Journal, avec quelques autres pièces intéressantes, est pieusement conservé dans les archives du couvent des Bénédictines à Poperinghe. Dom Bruno Destrée a eu l'heureuse idée de le publier et de l'arranger : il a voulu ainsi élargir l'influence bienfaisante que cette vie semble destinée à exercer sur les âmes.

Son ouvrage constitue un nouveau chapitre dans l'histoire de la mystique chrétienne ; il nous montre l'humble bénédictine s'élevant graduellement, à travers les épreuves et les souffrances, à ce bonheur des noces mystiques, à partir desquelles elle ne vivait plus que pour son Bien-Aimé : « Je l'aimais souvent sans y penser », dit-elle. Elle est, il est vrai, encore bien éloignée de cette mystique transcendante, que l'on admire dans une Thérèse, dans un Jean de la Croix, mais, si elle est moins admirable, elle est sans doute plus imitable : sa vie est un exemple. Les âmes éprises de perfection sont le plus souvent arrêtées par deux obstacles : la dissipation et le manque d'abandon à la volonté divine ; les exemples de continuel recueillement en Dieu de la Mère Deleloë, de même que son entier abandon au bon vouloir divin ne peuvent manquer de

les instruire et de les encourager. Faire apprécier, rechercher et aimer davantage l'oraison et la vie intérieure : tel sera le fruit principal de cette lecture.

Outre cette utilité générale, il en est une autre plus spéciale, qui concerne la dévotion au Sacré-Cœur. Cette dévotion fut par excellence celle de la Mère Deleloë : si elle n'en devint pas l'universelle propagatrice, — ce rôle fut confié, plusieurs années plus tard, à la Bienheureuse Marguerite-Marie — elle dut en être tout au moins l'initiatrice pour ceux qui furent en rapport avec elle ou purent consulter son Journal. La lecture des « Communications », qui lui furent faites, et rappellent si bien les révélations de Paray-le-Monial, est de nature à confirmer les âmes dans la dévotion au Sacré-Cœur.

On le voit, cet ouvrage est avant tout un livre de spiritualité : rarement il nous a été donné de lire quelque chose de plus attachant et de plus instructif. Cette lecture est à recommander à toutes les âmes avides de perfection : qu'elles se mettent sérieusement à l'école de ce petit livre, et en peu de temps elles parviendront à cette vie d'union, qui faisait dire au grand Apôtre : « Je vis, non, ce n'est pas moi qui vis, c'est le Christ qui vit en moi ». Les prêtres en particulier trouveront un modèle de direction dans Dom Martin Gouffart, qui fut le guide spirituel de la Prieure de Poperinghe pendant les dernières années de sa vie ; le zèle peu éclairé de certains confesseurs, qui ont précédé Dom Gouffart, leur sera en même temps un avertissement et une leçon.

H. Mahieu.

***

C. Sentroul. **L'objet de la Metaphysique selon Kant et selon Aristote.** — Louvain, Institut supérieur de philosophie, 1905. — In-8°, 240 pp. Pr. 3,50 frs.

In historia philosophiæ non infimum locum occupat Kantius (1724-1804) cujus influxus, pessimus quidem,

nostris etiam diebus est late diffusus. Multa jam scripta fuerunt in quibus agitur de accurate discernenda sententia germanici philosophi circa varias quæstiones et de logica connexione deprehendenda inter diversas ejusdem opiniones: ad hunc duplicem finem perutilis erit lectio operis egregii, cujus titulum suprà dedimus.

Ex celeberrimo Kantii opere *Kritik der reinen Vernunft*, A. synthesim confecit de opinione Kantii circa ea quæ præcipue pertinent ad objectivam certitudinem cognitionis humanæ, inquirendo successive quid, secundum Kantium, sit veritas, realitas, scientia ejusque objectum, tandem metaphysica ejusque objectum: quæ omnes quæstiones, uti per se patet, intime cohærent. Deinde indicat A. quænam fuerit Aristotelis doctrina circa eadem argumenta. Quæ collatio utilis est non solum ad historiam philosophiæ conficiendam sed etiam ad varias notiones elucidandas, pluraque asserta penitius scrutanda.

Licet prælaudati operis lector desideraret forsitan majorem in exponendo claritatem et in dicendo brevitatem, tamen ultro fatebitur accuratam simul et altam ac amplam ibi inveniri expositionem de subtili ac obscura Kantii mente deque simplici ac perspicaci Aristotelis intuitu circa objectivum humanæ cognitionis valorem.

Nonnulla hic breviter adnotamus ut de quibusdam in specie aliquam notionem præbeamus. In cap. I agit A. de doctrina Kantii in genere et inter alia recte exponit Kantium non directe nostræ cognitionis certitudinem impugnavisse, nec, sicut Cartesius fecit, dubium universale præmittendum esse omni scientificæ inquisitioni censuisse, sed supponendo cognitionem nostram esse certam et inquirendo cur hæc certa sit, huic quæstioni ita respondisse ut in merum *subjectivismum* laberetur, ideoque omnem veram certitudinem pessumdaret (pp. 4-8): hæc conclusio per totum librum explicatur et demonstratur.

In cap. II (pp. 19-40) bene ostendit A. apparentem *antinomiam* inter tritam veritatis definitionem : *adæquatio rei et intellectus* ac assertum quod *in judicio tantum formaliter veritas invenitur*. Ostendit porro A. quomodo illa definitio, licet ab ipso Aristotele non fuerit enunciata, tamen ipsius doctrinæ conformis est.

(Cap. III) Kant antinomiam prædictam perspexit, et rationem *formalem veritatis* constituit in *rectitudine* judicii *ad leges* secundum quas agere debet intellectus humanus etiamsi judicio nihil objectivi responderet (v. pp. 72-74).

Kant admittit *existere res* : sed explicando *cur* sciamus res existere iterum incidit in subjectivismum : acute ostendit A. quomodo refutatio de idealismo quam confecit Kantius revera nihil valeat (cap. IV).

Subtiliores quæstiones quæ in cc. V et VI exponuntur hîc omittimus. Dissertationem, quam A. ad *Cooptationem* in scholam D. Thomæ Aquinatis conscripsit, cum fructu legent illi quos profundum philosophiæ studium delectat.

J. Van der Meersch.

*
* *

Kanonik De Weerdt, S. T. L. — **Onderwijzingen over de Christelijke Leering naar den Mechelschen Catechismus.** — Eerste deel. — Mechelen, Paul Ryckmans, 1905. — Prijs der twee deelen : 5 fr., verbonden, 6,50 fr.

Quum fides sit humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, non solum acquirendæ sed etiam conservandæ ac augendæ, res summi est momenti fideles docere ea quæ sunt credenda ut ad ea quæ sursum sunt intellectus eleventur et voluntates. Sed nunquam magis quam nostris diebus ursit necessitas rite exponendi christianis veritates credendas illasque quæ sunt preambula fidei : nunquam enim magis acriter et

universaliter quam hodie impugnata fuerunt hæc omnia ab adversariis Christi ejusque Ecclesiæ (1).

Oportet igitur ut christiani rectam habeant notionem dogmatum, persuasumque habeant se rationabiliter adhærere veritatibus quas credendas proponit Ecclesia, et prudenter præmuniantur contra objectiones quæ ubique sparguntur. Hoc consideret qui curam habet animarum ne unquam in concione satis ducat quasdam exponere exhortationes quæ nihil definitum continent, nec solido nituntur fundamento.

Sanæ autem instructionis necessitas maxime valet pro his fidelibus quibus non alia occasio addiscendi veritates religiosas obvia est quam hæc Catechismi explicatio quæ fit infra Missas, die dominica. Tales *Instructiones* conscripsit cl. Auctor in opere cujus suprà dedimus titulum. Hic liber est optimum complementum explicationum Catechismi pueris tradendarum quas antea confecit A. et quæ jure merito summæ existimationis fuerunt objectum (2).

Opus nuper editum complectitur 58 *Instructiones* quarum ordo determinatur secundum lectiones novæ editionis Catechismi Mechliniensis et quæ pergunt usque ad tertii præcepti Decalogi expositionem. Dotes quibus illud opus insignitur sunt præcipue sequentes: theologiæ dogmaticæ ac moralis compendium accuratum, ordo in dicendis logicus et clarus, sermo dilucidus et fidelium mentibus accommodatus; exhortationes ex exposita doctrina connaturaliter fluentes et aptæ ad commovendos animos; *notæ* multæ in quibus inveniuntur vel exempla historica, vel ulteriores explicationes doctrinæ, vel objectionum hodiernorum refutatio: quæ omnia Sacerdos pro opportunitate vel assumet vel

---

(1) Cf. S. S Pii X Litteræ Encyclicæ de christiana doctrina tradenda, in COLLAT. BRUG., T. X, 337; Allocutio Ill^mi ac Rev^mi Domini WAFFELAERT, in COLLAT. BRUG., T. X, præsertim p. 414.

(2) Cf. COLLAT. BRUG., T. VIII, pp. 410, 689; T. IX, p. 406.

relinquet. Vitæ Christi expositio materiam optimam præbebit longioribus concionibus quæ in aliis cultus exercitiis fieri solent.

Liceat duo animadvertere: p. 23, legitur: « God heeft aan de menschen *gesproken* door J. C. Deze heeft uit eigen kennis en kracht *voorzeggingen* en *mirakelen* gedaan.... Die voorzeggingen en mirakelen zijn daadzaken.... waarin wij den vinger Gods zonneklaar erkennen, en die duidelijk bewijzen dat J. C. God is.... » Hujus ultimi consequentis non legitima apparet consequentia: etenim miracula et prophetiæ non directe ostendunt Jesum esse Deum; pura enim creatura causa instrumentalis esse potest miraculi patrandi et prophetiæ edendæ: sed miracula et prophetiæ ostendunt *veram* esse *doctrinam* Christi et Ipse *docuit se esse Deum:* sic et non aliter adhibenda sunt miracula et prophetiæ ut his demonstretur Christi divinitas.

P. 48: Non satis evolvitur demonstratio de Dei existentia, præsertim hæc propositio: « De wereld met al wat zij bevat bestaat niet noodzakelijk ».

Præterea efficacius videtur argumentum desumptum ex necessitate primæ causæ efficientis incausatæ ad hoc ut ratio sit sufficiens existentiæ rerum *viventium* quæ nos circumdant et quæ ut *causatæ* manifeste cognoscuntur: hoc, ut videtur, facilius perspicitur quam contingentia totius universi.

Hisce indicatis, quæ facili negotio corriguntur, summam utilitatem percipiendam esse censemus clericis qui librum cl. Canonici De Weerdt perlegent et ad normam ejusdem conficient *Instructiones* populo tradendas.

J. Van der Meersch.

Collationes Brugenses

Lettre Encyclique

de N. T. S. P. le Pape Pie X

aux Évêques d'Italie

SUR L'ACTION CATHOLIQUE. (1)

PIE X, PAPE.

VÉNÉRABLES FRÈRES,

Salut et bénédiction apostolique.

Le ferme propos que, dès le début de Notre Pontificat, Nous avons conçu, de vouloir consacrer toutes les forces que la bonté du Seigneur daigne Nous accorder, à la restauration de toutes choses dans le Christ, éveille dans Notre cœur une grande confiance en la puissante grâce de Dieu, sans laquelle Nous ne pouvons ni rien penser ni rien entreprendre de grand et de fécond pour le salut des âmes. En même temps, Nous sentons plus vivement que jamais le besoin d'être secondé unanimement et constamment en cette noble entreprise par vous, Vénérables Frères, appelés à participer à Notre office pastoral, par chaque membre du clergé et chacun des fidèles confiés à vos soins. Tous, en effet, dans l'Église de Dieu, sommes appelés à former ce corps unique, dont la tête est le Christ : corps étroitement organisé, comme enseigne l'apôtre Paul (2), et bien coordonné dans toutes ses articulations, et cela en vertu de l'opération propre de chaque membre, d'où le corps lui-même tire sa propre croissance et se perfectionne peu à peu dans le lien de la charité.

Tous dans l'Église doivent concourir à *restaurer toutes choses dans le Christ.*

(1) Nous traduisons de l'italien. — Cette encyclique ne concerne directement que l'Italie ; mais elle contient bien des enseignements dont les catholiques des autres pays et notamment de la Belgique peuvent faire leur profit. C'est pourquoi nous la publions intégralement.

(2) *Ephes.*, IV, 16.

Et si dans cette œuvre « d'édification du corps du Christ » (1), Notre premier devoir est d'enseigner, d'indiquer le droit chemin à suivre et d'en proposer les moyens, d'avertir et d'exhorter paternellement, c'est aussi le devoir de tous Nos très chers fils, répandus dans le monde, d'accueillir Nos paroles, de les réaliser d'abord en eux-mêmes, et de concourir efficacement à les réaliser aussi chez les autres, chacun selon la grâce reçue de Dieu, selon son état et ses fonctions, selon le zèle dont il a le cœur embrasé.

Tel est le but de l'*action catholique*.

Nous voulons seulement rappeler ici ces œuvres multiples de zèle qui tendent au bien de l'Église, de la société et des individus, désignées communément sous le nom d'*action catholique*, qui fleurissent, par la grâce de Dieu, en tout lieu, et abondent aussi dans notre Italie. Vous comprenez bien, Vénérables Frères, comme elles doivent Nous être chères, et combien Nous désirons intimement les voir affermies et développées. Non seulement, à plusieurs reprises, Nous en avons traité de vive voix avec plusieurs d'entre vous, et avec leurs principaux représentants en Italie, profitant de leur présence, alors qu'ils Nous rendaient en personne l'hommage de leur dévouement et de leur affection filiale, mais aussi nous avons publié Nous-même sur ce sujet, ou fait publier par Notre autorité, divers actes que vous connaissez tous déjà. Il est vrai que quelques-uns d'entre eux, rendus nécessaires par des circonstances douloureuses pour Nous, étaient plutôt destinés à écarter les obstacles opposés à la marche plus rapide de l'action catholique et à condamner certaines tendances indisciplinées, qui allaient s'insinuant, au grave détriment de la cause commune. Il tardait donc à Notre cœur d'adresser à tous une parole de paternel encouragement et d'exhortation, afin que sur le terrain débarrassé, autant qu'il dépend de Nous, des obstacles, on continue à édifier le bien et à l'accroître largement. Il Nous est donc très agréable de le faire à présent par Notre lettre, pour la consolation commune, avec la certitude que Nos paroles seront docilement écoutées et obéies de tous.

Objet de cette action:

Très vaste est le champ de l'action catholique; elle n'exclut, par elle-même, absolument rien de tout ce qui, en quelque

(1) *Ephes.*, IV, 12.

manière, directe ou indirecte, appartient à la divine mission de l'Église. On reconnaît sans peine la nécessité du concours de tous à une œuvre si importante, non seulement pour la sanctification de nos âmes, mais encore pour répandre et toujours mieux développer le règne de Dieu dans les individus, les familles et la société, chacun procurant, selon ses propres forces, le bien du prochain, par la diffusion de la vérité révélée, l'exercice des vertus chrétiennes, et les œuvres de charité et de miséricorde spirituelle ou corporelle. Telle est la conduite digne de Dieu, à laquelle nous exhorte saint Paul, de façon à lui plaire en toutes choses, en produisant les fruits des bonnes œuvres de toute sorte et en grandissant dans la science de Dieu: *Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei* (1).

1/ Promouvoir le bien des âmes et le règne de Dieu.

Outre ces biens, il en est un grand nombre, appartenant à l'ordre naturel, qui n'entrent pas directement dans la mission de l'Église, mais qui en découlent, comme une conséquence naturelle. Si grande est la lumière de la révélation catholique, qu'elle se répand très vive sur toute science; si grande, la force des maximes évangéliques, que par elles les préceptes de la loi naturelle s'enracinent plus profondément et se trouvent renforcés; si grande, enfin, l'efficacité de la vérité et de la morale enseignées par Jésus-Christ, que même le bien-être matériel des individus, de la famille et de la société humaine s'en trouve providentiellement aidé et favorisé. L'Église, tout en prêchant Jésus crucifié, scandale et folie pour le monde (2), est devenue la principale inspiratrice et propagatrice de la civilisation; elle la répandit partout où prêchèrent ses apôtres, conservant et perfectionnant les bons éléments des antiques civilisations païennes, arrachant à la barbarie et dressant à une forme civilisée de société les nouveaux peuples qui se réfugiaient dans son sein maternel, et donnant à la société entière, quoique peu à peu, mais d'une marche sûre et toujours progressive, cette empreinte si éclatante, qu'elle conserve encore universellement aujourd'hui. La civilisation du monde est une civilisation chré-

2/ Promouvoir la véritable civilisation et coopérer ainsi au bien temporel des individus et des nations.

(1) *Coloss.*, I, 10.
(2) *I Cor.*, I, 23.

tienne ; et d'autant plus réelle, plus durable, plus féconde en fruits précieux, qu'elle est plus nettement chrétienne ; d'autant plus décadente, pour le grand détriment du bien social, qu'elle se soustrait davantage à l'idée chrétienne. Aussi, par la force intrinsèque des choses, l'Église devint encore de fait gardienne et protectrice de la civilisation chrétienne. Et ce fait, en d'autres siècles de l'histoire, fut reconnu et admis ; il fut même le fondement inébranlable des législations civiles. Sur ce fait se basèrent les relations entre l'Église et les États, la reconnaissance publique de l'autorité de l'Église dans toutes les matières qui touchent de quelque façon à la conscience, la subordination de toutes les lois de l'État aux divines lois de l'Évangile, l'accord des deux pouvoirs, État et Église, afin de procurer le bien temporel des peuples, de façon à ce que leur bien éternel n'en eût point à souffrir.

Nous n'avons pas besoin de vous dire, Vénérables Frères, quelle prospérité et quel bien-être, quelle paix et concorde, quelle respectueuse soumission à l'autorité et quel excellent gouvernement on obtiendrait et on maintiendrait dans le monde, si on pouvait complètement réaliser le parfait idéal de la civilisation chrétienne. Mais étant donnée la lutte continuelle de la chair contre l'esprit, des ténèbres contre la lumière, de Satan contre Dieu, on ne peut espérer atteindre cet idéal, du moins dans sa plénitude. C'est ainsi qu'on arrache sans cesse quelque chose aux conquêtes pacifiques de l'Église, pertes d'autant plus douloureuses et funestes, que la société humaine tend davantage à se diriger d'après des principes opposés au concept chrétien, jusqu'à l'apostasie totale de Dieu.

Mais ce n'est pas une raison pour se décourager. L'Église sait que les portes de l'enfer ne prévaudront pas contre elle ; mais elle sait aussi qu'elle sera opprimée dans le monde, que ses apôtres sont envoyés comme des agneaux parmi les loups, que ses fidèles seront toujours couverts de haine et de mépris, comme fut rassasié de haine et de mépris son divin Fondateur. C'est pourquoi l'Église va de l'avant sans peur, et tandis qu'elle propage le Royaume de Dieu là où il n'avait pas encore été prêché, elle cherche par tous les moyens à réparer les pertes du Royaume déjà conquis. *Instaurare omnia in*

Christo fut toujours la devise de l'Église, et c'est particulièrement la Nôtre dans ces terribles moments que nous traversons. Restaurer toutes choses, non d'une manière quelconque, mais dans le Christ; *quæ in cœlis et quæ in terra sunt in ipso*, ajoute l'apôtre (1): restaurer dans le Christ, non seulement ce qui appartient proprement à la divine mission de l'Église qui est de conduire les âmes à Dieu, mais ce qui encore, comme Nous l'avons expliqué, dérive spontanément de cette divine mission, la civilisation chrétienne dans l'ensemble de tous les éléments qui la constituent.

Et pour Nous borner à cette dernière partie de la restauration désirée, vous voyez, Vénérables Frères, quelle aide apportent à l'Église ces troupes choisies de catholiques, qui se proposent précisément de réunir ensemble toutes leurs forces vives, afin de combattre par tous les moyens justes et légaux la civilisation anti-chrétienne; c'est-à-dire: réparer par tous les moyens les désordres très graves qui en dérivent; ramener Jésus-Christ dans la famille, dans l'école, dans la société; rétablir le principe de l'autorité humaine comme représentant celle de Dieu; prendre souverainement à cœur les intérêts du peuple, et particulièrement de la classe ouvrière et agricole, non seulement en inculquant au cœur de tous le principe religieux, unique source véritable de consolation dans les épreuves de la vie, mais en s'efforçant d'essuyer les larmes, d'adoucir les peines, d'améliorer la condition économique, grâce à des mesures bien comprises; s'employer à obtenir que les lois publiques soient conformes à la justice, et à faire corriger ou supprimer celles qui lui sont contraires: défendre enfin et soutenir dans un esprit vraiment catholique les droits de Dieu en toutes choses, et ceux non moins sacrés de l'Église.

L'ensemble de toutes ces œuvres soutenues et propagées en grande partie par les laïques catholiques, et diversement comprises selon les besoins propres de chaque nation et les circonstances particulières où se trouve chaque pays, est précisément ce que l'on a coutume de désigner par un terme plus spécial et assurément très noble: *action catholique* ou *action des catholiques*.

---

(1) *Eph.*, I, 10.

En tout temps, elle est venue en aide à l'Église, et l'Eglise a toujours accueilli favorablement cette aide et l'a bénie, sous les formes diverses qu'elle a revêtues, selon les époques.

Ses moyens varient selon les époques.

Remarquons ici tout d'abord qu'il n'est pas possible de refaire de la même façon tout ce qui a pu être utile, et même uniquement efficace, dans les siècles passés; si grands sont les changements radicaux que la suite des temps introduit dans la société et la vie publique, et si grands les nouveaux besoins que les changements de circonstances suscitent sans cesse.

Mais l'Église, dans la longue suite de son histoire, a toujours et partout lumineusement prouvé qu'elle possédait une merveilleuse vertu d'adaptation aux conditions variables de la société civile, en sorte que, sans sacrifier en rien l'intégrité et l'immutabilité de la foi et de la morale, ni ses droits sacrés, elle se plie et s'accommode facilement en tout ce qui est contingent et accidentel aux vicissitudes des temps et aux nouvelles exigences de la société. La piété, dit saint Paul, se prête à tout, possédant les promesses divines, tant pour les biens de la vie présente que pour ceux de la vie future: *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ* (1). De même l'action catholique, si elle change opportunément dans les formes extérieures et les moyens qu'elle emploie, reste toujours la même dans les principes qui la dirigent et la fin très noble qu'elle se propose. Et pour qu'en même temps elle soit vraiment efficace, il conviendra d'indiquer avec soin les conditions dont la nécessité découle clairement de sa nature et de sa fin bien comprises.

Conditions de son efficacité:

Avant tout, il faut être profondément convaincu que l'instrument est inutile, s'il n'est pas approprié à l'œuvre qu'on veut exécuter. Puisque l'action catholique (comme il résulte avec évidence de ce qui précède) se propose de restaurer toutes choses dans le Christ, elle constitue un véritable apostolat à l'honneur et à la gloire du Christ. Pour bien s'en acquitter, il faut la grâce divine, et celle-ci ne se donne pas à l'apôtre qui ne serait pas uni au Christ. C'est seulement quand nous aurons formé Jésus-Christ en nous, que nous pourrons facilement le redonner aux familles, à la société.

1° Ses agents doivent être des catholiques convaincus et exemplaires.

(1) *I Tim.*, IV, 8.

Aussi, tous ceux qui sont appelés à diriger le mouvement catholique ou se consacrent à le promouvoir, doivent être des catholiques à toute épreuve, convaincus de leur foi, solidement instruits des choses de la religion, sincèrement soumis à l'Église, et en particulier à cette suprême Chaire apostolique et au Vicaire de Jésus-Christ sur la terre, des hommes de piété vraie, de vertus mâles, de mœurs pures, et d'une vie tellement irréprochable, qu'ils servent à tous d'exemple efficace. Si l'âme n'est pas ainsi trempée, non seulement il sera difficile de promouvoir le bien chez autrui, mais il sera presque impossible d'agir avec des intentions droites, et on manquera de forces pour supporter avec persévérance les ennuis qu'apporte avec lui tout apostolat, les calomnies des adversaires, la froideur et le concours insuffisant de la part même, des hommes de bien parfois les jalousies des amis et des compagnons de travail, excusables, sans doute, vu la faiblesse de l'humaine nature, mais néanmoins grandement préjudiciables et causes de discordes, de conflits, de mesquines querelles intestines. Seule, une vertu patiente et ferme dans le bien, et en même temps douce et délicate, est capable d'écarter ou de diminuer ces difficultés, en sorte que l'œuvre à laquelle les forces catholiques se dévouent n'en soit pas compromise. C'est la volonté de Dieu, disait saint Pierre aux premiers fidèles, qu'en faisant le bien, vous fermiez la bouche aux méchants : *Sic est voluntas Dei ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam* (1).

2° Les œuvres dont elle s'occupe doivent avoir un caractère d'utilité sociale évidente et actuelle.

Il importe en outre de bien déterminer les œuvres pour lesquelles les forces catholiques doivent se dépenser avec toute énergie et constance. Ces œuvres doivent être d'une si évidente importance, si bien répondre aux besoins de la société actuelle, s'adapter tellement aux intérêts moraux et matériels, surtout à ceux du peuple et des classes déshéritées, que tout en inspirant la plus généreuse ardeur aux promoteurs de l'action catholique, par l'espoir des fruits importants et assurés qu'ils s'en promettent, elles soient en même temps facilement comprises et accueillies par la masse. Précisément parce que les graves problèmes de la vie sociale actuelle exigent une solution prompte et sûre, ils excitent chez tous

(1) *I Petr.*, II, 15.

le plus vif désir de connaître les diverses formes pratiques sous lesquelles se présentent les solutions. Les discussions dans un sens ou dans l'autre se multiplient toujours davantage et se propagent facilement au moyen de la presse. Il est donc souverainement nécessaire que l'action catholique saisisse le moment opportun, marche en avant courageusement, propose elle aussi sa solution, et la fasse valoir par une propagande ferme, active, intelligente, disciplinée, capable de s'opposer directement à la propagande adverse. La bonté et la justice des principes chrétiens, la morale droite que professent les catholiques, leur absolu désintéressement personnel, grâce auquel ils ne désirent ouvertement et sincèrement que le bien véritable, solide et souverain de leur prochain, enfin, leur évidente capacité de pourvoir encore mieux que les autres aux véritables intérêts économiques du peuple, ne peuvent point ne pas ouvrir l'esprit et le cœur de tous ceux qui les écoutent et ne pas grossir leurs rangs, de façon à faire d'eux un corps solide et compact, capable de résister vigoureusement au courant contraire et de tenir en respect les adversaires.

Notre prédécesseur, d'heureuse mémoire, Léon XIII, s'était pleinement rendu compte de ce besoin suprême lorsqu'il indiquait, surtout dans sa mémorable encyclique *Rerum novarum* et en d'autres documents postérieurs, l'objet autour duquel devait principalement se dérouler l'action catholique, à savoir *la solution pratique, selon les principes chrétiens, de la question sociale.* Nous inspirant de ces règles si sages, dans Notre *Motu proprio* du 18 décembre 1903 Nous avons donné à l'action populaire chrétienne, qui comprend tout le mouvement catholique social, une constitution fondamentale, qui pût être comme la règle pratique du travail commun, et le lien de la concorde et de la charité. Sur ce terrain, donc, et dans ce but très saint et très nécessaire doivent avant tout se grouper et s'affermir les œuvres catholiques, variées et multiples de formes, mais toutes également destinées à procurer efficacement le même bien social.

3° Une étroite union doit régner parmi ses promoteurs.

Mais, pour que cette action sociale se maintienne et prospère avec la nécessaire cohésion des œuvres diverses qui la composent, il est souverainement important que les catholiques agissent avec une concorde mutuelle exemplaire ; et

celle-ci ne s'obtiendra jamais, s'il n'existe chez tous une parfaite unité de vues. Que ce soit là une nécessité, personne n'en peut douter; tant sont clairs et évidents les enseignements donnés par cette Chaire apostolique, tant est vive la lumière qu'ont répandue sur ce sujet les plus remarquables écrivains catholiques de tous pays; si louable est l'exemple plusieurs fois proposé par Nous-même des catholiques d'autres nations, qui, par cette concorde et unité de vues, ont obtenu en peu de temps des fruits féconds et très consolants.

Pour assurer ce résultat, parmi les œuvres également dignes d'éloge, on a pu constater en d'autres pays la particulière efficacité d'une institution de caractère général, qui sous le nom d'*Union populaire* est destinée à grouper les catholiques de toutes les classes de la société, mais spécialement les grandes masses du peuple, autour d'un seul centre commun de doctrine, de propagande et d'organisation sociale. Elle répond à un besoin également senti presque en tout pays; sa constitution très simple résulte de la nature même des choses, telles qu'elles se rencontrent à peu près partout: aussi on peut dire que cette institution n'est pas plutôt propre à une nation qu'à une autre, mais qu'elle convient à tous les pays où se manifestent les mêmes besoins et surgissent les mêmes dangers. Son caractère populaire la rend facilement chère et acceptable à tout le monde; elle ne trouble ni n'empêche aucune institution; mais plutôt elle leur donne à toutes une force plus grande et les rend compactes, car avec son organisation strictement personnelle, elle stimule les individus à entrer dans les institutions particulières, les forme au travail pratique et vraiment efficace, et unit toutes les âmes dans un même sentiment et une même volonté.

Ce centre social étant ainsi établi, toutes les autres institutions d'un caractère économique, destinées à résoudre pratiquement et sous ses différents aspects le problème social, se trouvent comme d'elles-mêmes groupées ensemble dans le but général qui les relie, en même temps qu'elles prennent des formes différentes et emploient des moyens particuliers selon la variété de leurs besoins et les exigences du but particulier qui est propre à chacune. Et ici, il Nous

est très agréable d'exprimer Notre satisfaction pour le grand bien qui a déjà été fait dans ce sens en Italie, et le ferme espoir qu'avec l'aide de Dieu, on fera encore beaucoup plus dans l'avenir, tant pour affermir le bien obtenu que pour le développer avec un zèle toujours croissant. Sous ce rapport l'*Œuvre des congrès et comités catholiques* a rendu de grands services, grâce à l'activité intelligente des hommes éminents qui la dirigeaient, et qui ont été préposés à ces œuvres spéciales ou qui les dirigent actuellement. C'est pourquoi, ce centre ou union d'œuvres de caractère économique expressément maintenu par Nous lors de la dissolution de la susdite œuvre des congrès, devra continuer dans la suite sous l'habile direction de ceux qui y sont préposés.

4° Elle doit faire son profit du progrès de la science sociale, de l'expérience faite ailleurs et des droits civiques.

En outre, pour que l'action sociale soit efficace à tous égards, il ne suffit point qu'elle soit appropriée aux besoins sociaux d'aujourd'hui ; il convient encore qu'elle se fasse valoir par tous les moyens pratiques que fournissent le progrès des études sociales et économiques, les expériences faites ailleurs, les conditions de la société civile et la vie publique des différents États. Sinon on s'expose à aller longtemps à tâtons à la recherche de choses nouvelles et hasardées, tandis qu'on en a sous la main de bonnes et de certaines qui ont excellemment fait leurs preuves ; ou bien l'on s'expose à mettre en avant des institutions et des méthodes appropriées peut-être à d'autres temps, mais qui aujourd'hui ne sont plus comprises par le peuple ; ou bien enfin on court risque de s'arrêter à mi-chemin parce qu'on ne se sert pas, dans la mesure qui est légitime, de ces droits de citoyens que les constitutions civiles d'aujourd'hui offrent à tout le monde, et par conséquent aussi aux catholiques. Et pour Nous arrêter à ce dernier point, il est certain que la constitution actuelle des États offre à tous indistinctement la faculté d'influer sur la chose publique, et les catholiques, dans les limites fixées par la loi de Dieu et les prescriptions de l'Église, peuvent s'en servir en sécurité de conscience pour prouver que tout autant et même mieux que les autres, ils sont capables de coopérer au bien-être matériel et civil du peuple et pour conquérir de la sorte l'autorité et le prestige qui leur permettront de défendre et de promouvoir les biens plus élevés qui sont ceux de l'âme.

Ces droits civils sont divers et de différent genre; ils vont jusqu'à celui de participer directement à la vie politique du pays en représentant le peuple dans les enceintes législatives. De très graves raisons, Vénérables Frères, Nous dissuadent de Nous écarter de la règle autrefois tracée par Notre prédécesseur de sainte mémoire Pie IX et suivie ensuite par Notre autre prédécesseur de sainte mémoire Léon XIII durant son long pontificat; selon cette règle il demeure généralement défendu aux catholiques italiens de participer au pouvoir législatif. Néanmoins d'autres raisons également très graves, tirées du bien suprême de la société qu'il faut sauver à tout prix, peuvent réclamer, dans des cas particuliers, une dispense de la loi, spécialement lorsque vous, Vénérables Frères, en reconnaîtrez la stricte nécessité pour le bien des âmes et pour les intérêts suprêmes de vos Eglises et que vous en ferez la demande.

Or, la possibilité de cette bienveillante concession de Notre part entraîne pour tous les catholiques le devoir de se préparer prudemment et sérieusement à la vie politique pour le cas où ils y seraient appelés. Il importe donc que l'activité louable, déjà déployée par les catholiques pour se préparer par une bonne organisation électorale à la vie administrative des communes et des conseils provinciaux, s'étende aussi à se préparer convenablement et à s'organiser en vue de la vie politique, comme l'a recommandé fort à propos, par sa circulaire du 3 décembre 1904, la Présidence générale des œuvres économiques en Italie. En même temps, il faudra inculquer et suivre en pratique les principes élevés qui gouvernent la conscience de tout vrai catholique. Celui-ci doit avant tout être et se montrer en toute circonstance vraiment catholique, assumant et exercant les emplois publics avec le ferme et constant propos de promouvoir, de tout son pouvoir, le bien social et économique de la patrie et du peuple en particulier, selon les maximes d'une civilisation nettement chrétienne, et de défendre en même temps les intérêts suprêmes de l'Eglise, qui sont ceux de la religion et de la justice.

Tels sont, Vénérables Frères, le caractère, l'objet et les conditions de l'action catholique considérée dans sa partie la plus importante, à savoir la solution de la question sociale,

A côté de l'*action catholique*, d'autres œuvres peuvent exister et méritent encouragement sous certaines conditions.

et qui mérite par conséquent l'application la plus énergique et la plus constante de toutes les forces catholiques. Cela n'empêche point de favoriser et de développer aussi d'autres œuvres de différentes espèces, et d'organisation diverse, mais toutes également destinées à promouvoir tel ou tel bien de la société et du peuple et à faire refleurir la civilisation chrétienne sous ses différents aspects. Elles naissent le plus souvent grâce au zèle des particuliers, se répandent dans les différents diocèses et parfois se groupent en fédérations plus étendues. Or, pourvu que leur but soit louable, que les principes chrétiens qu'elles suivent soient assurés et que les moyens employés soient justes, il faut les louer elles aussi et les encourager de toutes façons. Il faudra aussi leur laisser une certaine liberté d'organisation; il n'est pas possible en effet, que là où plusieurs personnes se rencontrent, elles se modèlent toutes sur le même type et se concentrent sous une direction unique. L'organisation doit naître spontanément des œuvres elles-mêmes: sinon on aura des édifices de belle architecture, mais sans fondements et partant tout à fait éphémères. Il faut aussi tenir compte du caractère de chaque population; les usages et les tendances varient avec la diversité des lieux. Ce qui importe, c'est qu'on travaille sur une bonne base, avec de solides principes, avec zèle et constance: si on fait cela, la manière et la forme que prendront les différentes œuvres sont et restent accidentelles.

Il faut leur laisser une certaine liberté d'organisation.

Enfin, pour renouveler et accroître le zèle nécessaire dans toutes les œuvres catholiques indistinctement, pour offrir à leurs promoteurs et à leurs membres l'occasion de se voir et de se connaître, de resserrer toujours davantage entre eux les liens de la charité fraternelle, de s'animer mutuellement d'un zèle toujours plus ardent pour l'action efficace et de pourvoir à l'affermissement et à la diffusion croissante des œuvres elles-mêmes, il sera extrêmement utile de tenir de temps en temps, selon les règles déjà tracées par ce Saint-Siège, des congrès généraux ou particuliers des catholiques italiens, qui doivent être la manifestation solennelle de la foi catholique et la fête commune de la concorde et de la paix.

Il nous reste à traiter, Vénérables Frères, un autre point de souveraine importance; à savoir les rapports que toutes

les œuvres de l'action catholique doivent avoir avec l'autorité ecclésiastique. Si l'on examine bien les doctrines que Nous avons développées dans la première partie de cette Encyclique, on conclura facilement que toutes les œuvres qui viennent directement en aide au ministère spirituel et pastoral de l'Eglise et qui par suite se proposent une fin religieuse en vue du bien direct des âmes, doivent dans tous leurs détails être subordonnées à l'autorité de l'Eglise, et par suite à l'autorité des évêques, placés par l'Esprit-Saint pour gouverner l'Eglise de Dieu dans les diocèses qui leur ont été assignés. Mais même les autres œuvres qui sont principalement établies, comme Nous l'avons dit, pour restaurer et promouvoir dans le Christ la vraie civilisation chrétienne et qui constituent dans le sens développé plus haut l'action catholique, ne peuvent nullement se concevoir comme indépendantes des conseils et de la haute direction de l'autorité ecclésiastique, principalement en tant qu'elles doivent toutes être régies par les principes de la doctrine et de la morale chrétiennes ; bien moins encore est-il possible de les concevoir en opposition plus ou moins ouverte avec la même autorité. Il est bien sûr que ces œuvres, étant donnée leur nature, doivent avoir une liberté raisonnable de mouvement puisqu'elles portent la responsabilité de leur action, surtout dans lss affaires temporelles et économiques et dans celles de la vie publique, administrative ou politique, qui sont étrangères au ministère purement spirituel. Mais par le fait même que les catholiques portent toujours le drapeau du Christ, c'est le drapeau de l'Eglise qu'ils portent ; il convient donc qu'ils le reçoivent des mains de l'Eglise, que l'Eglise veille à ce que l'honneur en soit toujours sans tache, et que les catholiques se soumettent à cette vigilance maternelle, comme des fils dociles et aimants.

Nécessaire subordination des œuvres sociales à l'autorité ecclésiastique.

D'où il apparaît manifestement combien furent mal avisés ceux, peu nombreux il est vrai, qui ici en Italie et sous Nos propres yeux, voulurent assumer une mission qu'ils n'avaient pas reçue de Nous, ni d'aucun autre de Nos frères dans l'épiscopat et qui se mirent à l'exercer, non seulement sans le respect dû à l'autorité, mais même ouvertement contre ses volontés, cherchant à légitimer leur désobéisance par des distinctions frivoles. Ils disaient eux aussi qu'ils

levaient un drapeau au nom du Christ; mais ce ne pouvait être le drapeau du Christ, parce qu'il ne portait pas dans ses plis la doctrine du divin Rédempteur, qui a ici encore son application: *Qui vous écoute m'écoute; et qui vous méprise, me méprise* (1); *Qui n'est pas avec moi est contre moi; et qui ne recueille pas avec moi, dissipe* (2); doctrine d'humilité, de soumission, de respect filial. C'est avec un extrême déplaisir de Notre cœur que Nous avons dû condamner de telles tendances, et arrêter par autorité le mouvement pernicieux qui déjà se dessinait. Notre douleur était d'autant plus grande que Nous voyions imprudemment entraînés sur une voie aussi fausse bon nombre de jeunes gens qui Nous sont très chers et parmi eux beaucoup doués d'une intelligence d'élite, animés d'un zèle ardent et capables de travailler efficacement pour le bien, s'ils sont guidés dans le droit chemin.

Avertissement au clergé.

En montrant à tous la règle droite de l'action catholique, Nous ne pouvons cacher, Vénérables Frères, le danger grave auquel la condition des temps expose aujourd'hui le clergé; à savoir de donner une importance excessive aux intérêts matériels du peuple, au risque de négliger les intérêts bien plus graves de leur saint ministère.

Le prêtre, élevé au-dessus des autres hommes pour remplir la mission qu'il tient de Dieu, doit se maintenir également au-dessus de tous les intérêts humains, de tous les conflits, de toutes les classes de la société. Son champ d'action propre est l'église, où, comme ambassadeur de Dieu, il prêche la vérité et inculque, avec le respect des droits de Dieu, le respect des droits de toutes les créatures. En agissant de la sorte, il ne s'expose à aucune opposition, il n'apparaît pas comme un homme de parti, partisan des uns, adversaire des autres; il ne s'expose pas au danger de manquer à ses devoirs en dissimulant ou en taisant la vérité, par crainte de heurter certaines tendances ou d'irriter sur plus d'une question les esprits aigris; sans ajouter qu'amené à traiter bien souvent de choses matérielles, il pourrait se trouver solidairement responsable d'obligations domma-

(1) *Luc.* X, 16.
(2) *Luc.* XI, 23.

geables à sa personne et à la dignité de son ministère. Par conséquent, il ne devra jamais prendre part à des associations de ce genre si ce n'est après mûre réflexion, d'accord avec son évêque, et seulement dans le cas où son concours est à l'abri de tout danger et d'une évidente utilité.

Ce n'est point là mettre un frein à son zèle. Le véritable apôtre doit *se faire tout à tous, pour les sauver tous* (1); comme le divin Rédempteur, il doit sentir son cœur s'émouvoir de pitié, *en voyant les foules aussi tourmentées, gisant comme des brebis sans pasteur* (2). Que par la propagande efficace de la presse, par les vives exhortations de la parole, par le concours direct dans les cas exposés plus haut, il s'emploie donc aussi à améliorer, dans les limites de la justice et de la charité, la condition économique du peuple, en favorisant et en propageant les œuvres qui tendent à ce but, celles surtout qui ont pour objet de bien discipliner les multitudes contre la tyrannie envahissante du socialisme et les sauver tout ensemble de la ruine économique et de la gangrène morale et religieuse. De cette façon la collaboration du clergé aux œuvres de l'action catholique a un but hautement religieux; elle ne sera jamais un obstacle, elle sera au contraire une aide pour son ministère spirituel, dont elle agrandira le champ d'action et multipliera les fruits.

Conclusion.

Voilà, Vénérables Frères, ce qu'il Nous tardait d'exposer et d'inculquer relativement à l'action catholique, telle qu'il faut la soutenir et la promouvoir en notre Italie. Montrer le bien ne suffit pas; il faut le réaliser dans la pratique. A cela aideront grandement vos exhortations et vos excitations paternelles et immédiates à bien faire. Les commencements pourront être humbles; pourvu que vraiment l'on commence, la grâce divine les fera croître en peu de temps et prospérer. Que tous Nos chers fils qui se dévouent à l'action catholique, écoutent une fois encore la parole qui sort si spontanément de Notre cœur. Dans les amertumes dont Nous sommes chaque jour entouré, s'il peut y avoir pour Nous quelque consolation dans le Christ, si votre charité

(1) *I Cor.*, IX, 22.
(2) *Matt.*, IX, 96.

vient Nous réconforter un peu, s'il y a communion d'esprit et compassion de cœur, dirons-nous avec l'apôtre Paul (1), rendez complète Notre joie par votre concorde, votre charité réciproque, votre unanimité de sentiments, l'humilité et la soumission requise, en cherchant non point l'intérêt propre, mais le bien commun, et en faisant passer dans vos cœurs les sentiments que Jésus-Christ, notre Sauveur, nourrissait en lui-même. Qu'il soit le commencement de toutes vos entreprises: *Tout ce que vous dites ou faites, que tout soit au nom du Seigneur Jésus-Christ* (2); qu'il soit le terme de toute votre activité: *que tout absolument soit de Lui, pour Lui, à Lui; à Lui gloire dans les siècles* (3)! En ce jour heureux qui rappelle le moment où les apôtres, remplis de l'Esprit-Saint, sortirent du Cénacle pour prêcher au monde le règne du Christ, que sur vous tous descende la vertu de cet Esprit; qu'il fasse plier toute raideur de la volonté, qu'il échauffe les âmes froides, qu'il remette dans le droit sentier tout ce qui s'est égaré. *Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.*

Que le gage de ces divines faveurs et le témoignage de Notre très particulière affection soit la bénédiction apostolique que du fond du cœur Nous vous accordons à vous, Vénérables Frères, à votre clergé, et au peuple italien.

Donné à Rome près Saint-Pierre, en la fête de la Pentecôte, 11 juin 1905, l'an second de Notre Pontificat.

PIE X, PAPE.

---

(1) *Philipp.*, II, 1-5.
(2) *Coloss.*, III, 17.
(3) *Rom.*, XI, 36.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. X, pag. 349).

—

490. Quod actionem Providentiæ divinæ erga gentes attinet, ab una parte, ut supra jam advertimus, quasi sibi reliquit gentes Deus, ita ut, dum imperiis sibi succedentibus ad summum adduceretur potentia et cultura profana artium ac litterarum, qualis ad apicem deducta conspiciebatur apud Romanos, simul excresceret corruptio ac miseria moralis omnimoda, densissimæ quoque in re religiosa tenebræ fierent, adeoque regnum diaboli succresceret, cumque esset summum, a Christo everteretur, quo triumphus Christi major esset omniumque oculis pateret soli potestati ejus divinæ deberi.

Ab altera tamen parte, non ita reliquit Deus gentes, ut tribui possit perditio tantæ multitudinis hominum omnimodæ absentiæ auxilii ac misericordiæ divinæ, utque non fuerit in causa potius sola malitia hominum: vidimus enim quomodo populus Dei gentibus in signum fuerit, nominatim Ægypto, inter cæteras conspicuæ et potentissimæ genti; a sæculo autem nono mediante Israël, et uno post sæculo Juda cum imperio Assyrobabylonico commercium habuit, postea tempore captivitatis et deinceps cum Medis et Persis, cum Græcis et Romanis continuo egerunt Judæi, ita ut cultus unius verique Dei apud ipsos vigens, et exspectatio Salvatoris, non potuerint non innotescere mundo gentili.

Neque etiam ita Deus permisit regnum diaboli ad summum succrescere, ut non dederit singulis ex gentibus hominibus, lumen ac gratiam quibus, si vellent, Deum agnoscerent atque colerent, fierentque salvi. Sic, in ipsis bibliis extra populum electum citantur veri Dei cultores, Melchisedech, rex Salem et sacerdos Dei

altissimi, tempore Abrahæ; Jethro Madianites, socer Mosis, et sacerdos veri Dei; quæ in libro Job occurrunt personæ, sunt servi Dei, inter quos eminet ipse Job. Philosophi quoque antiqui apud varias gentes, præprimis græci, medio in paganismo, mirandam certe celsitudinem ac puritatem doctrinæ in re religiosa ac morali attigerunt, ita ut apostolus Paulus gentiles coarguat quod, cum Deum noverint, non sicut oportet glorificaverint. Nec sane mirum esset ad plures hujusmodi philosophos ac sapientes variarum gentium, veritatem e sacris hebræorum libris ac traditionibus dimanasse.

491. Si jam volumus in unum contrahere quæ hoc tertio articulo exposuimus, quæstioni positæ quomodo a peccato Salomonis et scissione regni Israël omnes actus divini concurrunt ad adventum et passionem Christi, sic breviter respondebimus.

Primo quidem ad *adventum* Christi proxime concurrunt actus divinæ Providentiæ, extirpando e corde Judæorum omnem inclinationem ad idololatriam, et volendo non impedire quominus interea imperium diaboli fieret summum.

Primum effecit Deus tum puniendo populum cum a Deo recederet, incipiens per abscissionem decem tribuum et finiens per captivitatem babylonicam, continua eliminatione usus, tum remunerando cum pœnitens ad ipsum rediret; præterea, et illuminando eos exterius per Prophetas, et interius per gratiam, atque illos tantum, quos e captivititate reduceret, eligendo, quorum corda tetigerat; tum ejiciendo omnes mulieres alienigenas, ne ad idololatriam redirent; tum suscitando Machabæos, qui pro Deo ac patria dimicarent usque ad plenam libertatem.

Alterum effecit Deus constituendo romanum imperium super universum pene orbem, quin auferret idololatriæ tenebras et superbiam, initium omnis peccati, ob potentiam, opes, artium litterarumque culturam ad

perfectionis apicem deductam. Hæc duo, scilicet idololatriæ extinctio apud Judæos, et summus atque universalis quasi cultus diaboli apud gentes, quibus Judæa subjecta tandem fuerat, constituebant plenitudinem temporis adventus Christi. Juvat quoque notare quomodo ad hanc plenitudinem temporis adventus Christi totum mundum præparaverit Deus, tum sub respectu materiali, tum sub respectu morali. Sub priore quidem respectu, per unitatem regiminis in imperio romano, per facilitatem viarum atque commercii inter dissitas gentes in universo quasi orbe, quo apostolis aditus quoquoversus pateret et notitia christianæ veritatis celerius diffunderetur; sub altero respectu, per desiderium liberationis ac salutis, non tantum Judæorum Messiam exspectantium, sed universi generis humani, medio in luxu paganismi tot malis oppressi ut non potuerit non aspirare ad liberatorem quemdam ac renovatorem.

492. Secundo, ad *passionem* Salvatoris concurrunt actus providentis Dei, *remote* quidem, mittendo, tempore prædicto, Christum, contra exspectationem Judæorum ipsiusque diaboli, pauperem. Primum effecit, nempe misit Christum pauperem et humilem, removendo, post reductum Zorobabel, posteritatem David ab omni spectabilitate mundana. Alterum, scilicet contra omnium exspectationem, clare prænuntiando, et prædictionem omni modo confirmando, ex progenie David oriturum redemptorem tempore definito, et omnibus omnino gentibus dominaturum; atque simul celando, usque post adventum ejus, futurum regnum ejus non esse de hoc mundo, et omnes prædictiones de passione, morte ac resurrectione esse intelligendas de eodem illo Christo Dominatore, cujus regnum in meritis præcise passionis fundamentum haberet.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris

—

I

Explica *Ecclesiastici* monita pro tentatione II, 1-6.

II

Solvatur sequens difficultas: Peccatum mortale est voluntaria aversio a Deo; satisfactio vero est principaliter conversio voluntaria hominis ad Deum; atqui honor qui Deo tribuitur per voluntariam hominis conversionem est tam æstimabilis Deo quam Ipsi odibilis est offensa illata per peccatum; ergo ipse homo potest adæquate satisfacere pro peccato mortali.

III

Indica conditiones requisitas ad validam susceptionem alicujus in Baptismo.

IV

Describe effectus validæ hujusmodi susceptionis in Baptismate.

V

Quinam generatim a munere susceptoris in Baptismate sunt removendi?

VI

Qualis debet esse natura delicti puniendi per proceduram quam dicunt *ex informatâ conscientiâ?*

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Explica Ps. CXXVI Nisi Dominus ædificaverit etc.*

R. I. **Titulus seu Inscriptio.** *Canticum graduum Salomonis.*

1/ Ps. CXIX et 14 sequentes hebr. inscribuntur *schir hamahaloth,* quod LXX vertunt ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν, S. Hier. *canticum graduum* (een gezang der trappen), dum Aquila, Theodotio et Symmachus reddunt: ἆσμα τῶν ἀναβάσεων (Ps. CXX, 1 εἰς τὰς ἀναβάσεις): *carmen ascensionum* (cantique des montées, een gezang der opgangen). Inter varias sententias ad sensum litteralem hujus tituli explicandum propositas (1), probabilior ea est quæ tenet 15 illos psalmos, distincto volumine conscriptos, fuisse decantatos ab Israelitis juxta præscriptum *Deut.* XVI, 16 ter in anno ad civitatem et templum *ascendentibus* (Cf. *I Esd.* VII, 9). Fuerit ergo istud volumen quasi liber usualis peregrinantium ad Templum. Argumentum quorumdam horum psalmorum, v. g. CXXI, CXXIII, CXXXIII, CXXXIV in dictum scopum bene quadrat, licet ex alia parte improbabile sit omnes omnino ad istum finem fuisse concinnatos (2).

2/ *Salomonis:* hæc vox abest apud LXX, occurrit tamen apud Aquilam, Symmachum, S. Hieronymum et in Targumim. Dubium est utrum Salomon hujus

---

(1) Cf. Van Steenkiste, *Commentarius in Psalmos*, Brugis 1884, T. II; — Beelen, *Het Boek der Psalmen*, Leuven 1878, II, p. 196; — Bæthgen, *Die Psalmen*, Göttingen 1897, p. XVII ss.

(2) Cf. Bæthgen, *l. c.*

psalmi auctor sit. Theodorus Mopsuestenus vers. 1 ad difficultates ædificationem templi post exilium impedientes alludere autumabat (1). Quamvis hæc interpretatio v. 1 improbabilis appareat, fieri tamen potest mentionem « domus » quam erronee Dei domum seu templum putabant, nomen Salomonis velut auctoris suasisse. — Quo tempore aut quâ occasione factus sit hic psalmus, certò dici nequit; probabilius post reditum ex Babylone.

II. **Argumentum**. Psalmus est didacticus: 1/ Nisi Dominus felicem successum concedat, inanis ac vanus est omnis labor humanus; 2/ Dominus velut hæreditatem et præmium concedit proles quæ maximum sunt beneficium (2).

III. **Explicatio. 1**. Sub duplici imagine ædificationis domus et custodiæ civitatis, exprimitur hæc generalis sententia: sine auxilio Dei nihil efficere posse humanam operam et industriam. Nomine domus non exclusive templum intelligitur sicut « civitas » non solam Jerusalem significat, cùm in textu hebræo utraque vox articulo careat. Docent quidam AA. *domum* non intelligi solummodo de ædificio materiali, sed metaphorice imprimis de familia ac bonis domesticis; similiter per *civitatem* non significari tantum urbem proprie dictam, sed universam rempublicam. Concedimus quidem vatem significare inanes esse et vanos hominis labores in universa re privata ac publica, nisi Deus felicem successum concedat. Verùm hanc sententiam non directe proponit sc. metaphorice, sed eam illustrat duplici exemplo in sensu proprio ac materiali sumendo de structura domus et de custodia civitatis per excubitores.

---

(1) Cf. Vigouroux, *La Sainte Bible polyglotte, A. T.*, T. IV (Paris 1903) p. 307.

(2) Cùm secunda hujus psalmi pars prioris partis argumento haud multum congruere videatur, conjicit Bæthgen, *l. c.* ambas has partes, primitus distincta cantica, fuisse postea in unum carmen conjuncta. Hujusmodi parva cantica sunt etiam *Ps.* CXXXII et CXXXIII: uterque sicut altera pars *Ps.* CXXVI, incipit voce *hinneh:* ecce.

2. Nisi Dominus vestro labori benedicat, *vanum est vobis ante lucem surgere* ad laborandum, hebr.: vanum est vobis *matutinantibus* seu *matutinantes* surgere; *surgite postquam sederitis,* hebr.: (vanum est vobis) *tardantibus* seu *tardantes sedere* (ad requiescendum), vobis, inquam, *qui manducatis panem doloris* i. e. panem arduo labore seu dolore (*Gen.* III, 17-19) acquisitum, *Cùm dederit* (sc. Dominus) *dilectis suis somnum* (1). *Cum* heb. cèn = sic, (quod tanta cum ærumna vobis acquirere conamini sc. victum) dat Dominus ei quem diligit, durante somno (2), i. e. sine molestia et anxietate. Est igitur tacita adhortatio, non quidem ad pigritiam et desidiam, verùm ad fiduciam in Deo ponendam, rejecta omni superflua anxietate (3).

3. *Ecce hæreditas Domini filii: merces fructus ventris. Filii* seu liberi sunt *hæreditas Domini* i. e. dono et liberalitate Jehovæ (4) hominibus contingunt, *et fructus ventris* (5) seu uteri i. e. liberi sunt *merces* ejusdem Dei (6).

4. *Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum* heb. juventutum i. e. parentum juvenum. Comparat

---

(1) Male interpuncta est Vulgata, quæ verba « cum dederit dilectis suis somnum » ad sequentia referre sinat. Debent ista verba absque ullo dubio præcedentibus annecti.

(2) Somnus non est objectum quod Deus tribuit diligenti eum, ut plures antiqui autumarunt, cùm hoc donum nullam antithesim proprie dictam cum præcedentibus exhiberet. *Somnum* igitur est accusativus temporalis, opponitur labori matutino et vespertino v. 1. Cf. Bæthgen, *l. c.;* — Beelen, *l. c.;* — Flament, *Les Psaumes traduits en français,* Paris 1898, p. 196: « En vain, êtes-vous matinals au lever, tardifs au coucher, vous qui mangez un pain de labeur; aussi bien il (le) donne à celui qu'il aime, pendant le sommeil ».

(3) Cf. *Mt.* VI, 25-34; — *Prov.* VI, 9, XXXI, 15, 27; — *Ps.* CXXVII, 2.

(4) Sunt hæreditas quæ hominibus directe a Jehova competit, quæ hæreditas implicite opponitur bonis temporalibus quæ ipsis hæreditate a parentibus obtingit. *Prov.* XIX, 14.

(5) Cf. *Gen.* XXX, 2.

(6) Sunt nempe merces concessa pro timore Dei ut dicitur *Ps.* CXXVII, 4: *Ecce sic* (v. 3) *benedicetur homo qui timet Deum.* Hic v. 3 b in integro *Ps.* CXXVII evolvitur.

filios sagittis: *Sicut sagittæ in manu* fortissimi bellatoris sunt ipsi firmissima tuitio, *ità filii* a parentibus junioribus geniti, horum potentia sunt et defensio. Dicitur: *filii juventutum,* quia hi per se robustiores sunt, et quia hujusmodi (non autem filii senectutis) parentibus ætate provectis adjutorio sunt. Significat ergo Deum suos cultores mature liberis donare.

5. *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis:* qui juxta votum suum multos habet filios. Hebræus pergit in figura de sagittis et ait: *qui implet pharetram suam ex ipsis* sc. sagittis; *non confundetur* (hebr. non confundentur sc. filii vel patres talium filiorum) *cum loquetur* (hebr. quando loquentur) *inimicis suis in porta* sc. civitatis. Ordinarie hæc verba intel iguntur hoc modo: non pudefient, sed causâ victores stabunt quando contra inimicos litigandum erit in judicio. (Tribunalia in Oriente erant ad portas urbium, *Deut.* XXI, 19). Verùm hoc exemplum minus apte selectum videtur ad utilitatem filiorum demonstrandam, neque quadrat in metaphoram sagittarum quæ bello seu pugnæ contra inimicos ad portas civitatis gerendæ (1) multo magis congruit. In hac sententia sensus foret: filii non confundentur sed futuri sunt victores in bello ad portas civitatis inimicis illato (2).

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone rationes propter quas conveniens fuerit Deum incarnari.*

R. I. Imprimis considerari potest Incarnatio *in se ipsa*, seu *absolute*, abstractione scilicet facta ab effectibus qui sequuntur ex Incarnatione et a fine ad quem

(1) Cf. *Gen.* XXII, 17; XXIV, 60.

(2) Verbum loqui (hebr. dabar) de armorum strepitu intelligi deberet, Bæthgen, *l. c.;* vel forte melius de *agendo,* sicut sæpe in Scriptura *verba* pro *gestis* sumuntur, ita ut sensus sit armis agere in inimicos = loqui inimicis.

immediate ordinatur. Inde ex eo quod Deo et Incarnationi Ejus proprium est inquiri potest utrum hæc sit conveniens (1).

Porro Incarnatio *absolute* considerata est conveniens.

Etenim unicuique rei conveniens est illud quod competit ei secundum rationem propriæ naturæ; atqui ipsa natura Dei est bonitas; ergo quidquid pertinet ad rationem boni simpliciter conveniens est Deo. Sed ad rationem boni simpliciter pertinet ut se aliis communicet; ergo Deo conveniens est ut se communicet aliis, scilicet creaturis; atqui incarnatio est quædam communicatio Dei ad creaturam; ergo absolute conveniens est Deum incarnari (2).

Declaratur *minor* primi syllogismi: Deus est per essentiam ipsum Esse subsistens, ideoque est infinitus in perfectione (3); proinde nihil esse potest, nec habere perfectionem nisi sit aliqua participatio, imitatio Dei; quum autem omnia appetant suum esse et suam perfectionem, ideo omnia, in quantum sunt, appetunt, saltem implicite, ipsum Deum: ergo Deus est per essentiam summe appetibilis, seu summum Bonum, seu ipsa Bonitas.

Declaratur minor subsumpta. Perfectio possessa appetitur seu amatur ab ipso possidente illam: proinde cognita ut *perfectiva alterius* (4) apta est de se ut moveat voluntatem ad volendum talis perfectionis communicationem (5): ideo ad rationem boni simpliciter

---

(1) Cf. CAJETANUS, in III, Q. I. a. 1.

(2) Cf. S. THOMAS, III, Q. I, a. 1; CAJETANUS, l. c.; BILLUART, *De Incarnatione*, Diss. III, a. 1; BILLOT, *De Verbo Incarnato*, Romæ, 1900, p. 19.

(3) Cf. COLLAT. BRUG., T. VII, p. 513.

(4) « Prim » et principaliter dicitur *bonum* ens perfectivum alterius per modum finis » S. THOMAS, *De Veritate*, Q. XXI, a. 1.

(5) Inde bonum dicitur *diffusivum sui:* hoc assertum primo et principaliter est intelligendum de *causalitate finis*, quatenus bonum aptum est movere ad sui communicationem. « *Diffundere*, licet secundum proprietatem vocabuli videatur importare operationem causæ efficientis, tamen largo modo potest importare habitudinem cujuscumque causæ, sicut

pertinet ut se communicet aliis. « Observandum autem quod dicta communicatio non affert perfectionem *communicanti,* sed illis solum quibus communicatur. Unde ipsa communicatio in actu non pertinet ad naturam boni quasi intrinsece constituens aut complens eam, sed solum ut congruens ei secundum abundantiam benignitatis ejus » (1). Inde Deus amando suam infinitam perfectionem et cognoscendo illam ut communicabilem creaturis, potest velle hanc communicationem, imo conveniens est ut hanc velit, sed non necessitatur natura sua ut hanc velit, quia hæc actualis communicatio non affert perfectionem ipsi Deo, sed tantum rebus quæ hac communicatione existunt vel ulterius perficiuntur.

Declaratur tertia minor. Deus humanam naturam assumendo sibi in unitate personæ, communicat *se ipsum* huic naturæ modo maxime intimo : facit enim ut hæc natura existat per ipsum esse personale Verbi Dei, consequenter existat modo nobilissimo. Ut declaretur qualis sit Dei unio ad creaturam per Incarnationem notemus tres distingui modos communicationis Dei. Primus est per creationem et gubernationem rerum. Nam per creationem res consistunt in suis propriis naturis, quæ sunt aliquales *imitationes* essentiæ divinæ. Per gubernationem vero adducuntur ad suam ultimam perfectionem, quam ab eo oportet esse participatam, qui solus est per essentiam bonus et perfectus. Verumtamen, juxta hunc primum modum, communicationes Dei in solis ejus participationibus seu deficientibus

influere et facere et alia hujusmodi. Cum autem dicitur quòd bonum est diffusivum secundum sui rationem, non est intelligenda effusio secundum quod importat operationem causæ efficientis, sed secundum quod importat habitudinem causæ finalis » S. Thomas, op. c. l. c. ad 4. Attamen ex consequenti, quum bonum sit perfectum in actu, natum est etiam *efficere* hanc sui communicationem per quam alia a se perficit et sic etiam est diffusivum sui in ratione causæ *efficientis*. Cf. Billot, *De Verbo Incarnato,* Romæ, 1900, p. 20.

(1) Billot, op. c. l. c.

imitationibus constant ; Deus autem ipse, extra et supra totum universum, solus est in sui ipsius possessione ac fruitione beatus. — Succedit itaque modus alter, idemque supernaturalis et multo excellentior, dum scilicet assumit Deus intellectuales creaturas in sui consortium per gratiam et consequentem gloriam, easque elevat ad ea quæ sunt propria naturæ suæ, videre Deum, frui Deo.... Jam igitur in hoc communicationis modo, non attenduntur amplius meræ quædam participationes seu similitudines divini boni, sed ipsa quoque divina bonitas *ut in se est* communicatur, dum essentia divina immediate unitur intellectui finito ut ejus intelligibile. — Tandem adest et tertius communicationis modus quo Deus naturam humanam traxit ad suam subsistentiam, ita ut qui ab æterno subsistebat in natura propria, hoc est divina, inciperet subsistere in natura creata. — Porro tertius ille gradus pertinet ad summum modum communicandi se. Nam in *primo* modo communicatur Deus tantum secundum creatas sui participationes ; in *secundo* communicatur quidem secundum seipsum, sed ita ut non uniatur nisi in ratione formæ intelligibilis ; in *tertio* vero communicatur uniendo sibi naturam creatam *substantialiter*, id est in unitate hypostasis seu personæ (1).

II. Si considerantur *effectus* Incarnationis, illi nempe effectus qui immediate et connaturaliter ex Incarnatione sequuntur, hæc iterum apparet conveniens.

Etenim effectus illi sunt. 1/ manifestatio divinarum perfectionum : *sapientiæ,* quia cognovit Deus talem unionem, qua summum jungebatur infimo, ejusque consectaria, necnon et modum quo realis fieret ; *benignitatis,* quia tam intime voluit Deus sese homini communicare, ut Ipse Dominus *naturam* servi acciperet ; *potentiæ,* quia valuit Deus humanam naturam sibi assumere in unitate personæ ; (2) 2/ honor summus quem

(1) Ita fere BILLOT, op. c. p. 20 ; post CAJETANUM in III, Q. I, a. 1.
(2) Cf. S. BONAVENTURA, *Breviloquium,* P. IV, cap. 1.

ipse homo-Deus, in omni hypothesi, tribuit Deo, adorando, laudando, amando Illum, Illique sese subjiciendo; 3/ bona hominibus concessa: doctrina tum verbis, tum exemplis Dei Incarnati tradita; auxilia ad beatitudinem consequendam.

III. Si consideratur *finis proximus* ad quem, de facto, in præsenti Providentiæ ordine, ordinata fuit Incarnatio, hæc etiam apparet conveniens. Finis enim hic est generis humani per peccatum lapsi redemptio.

Porro conveniens imprimis erat ut humanum genus redimeretur: nam per unius delictum fuerat totum collapsum; quod non est simile de angelis qui *singuli* personaliter peccaverunt; præterea natura humana apta erat reparationi, quia quamdiu homo vivit in hac mortali vita, sicut nec confirmatur immobiliter in bono, ita nec immobiliter obstinatur in malo; angeli, e contrario, natura sua, immobiliter adhærent fini ultimo cui semel adhæserunt (1).

Si conveniens fuit redimi genus humanum, conveniens etiam fuit hoc fieri per Incarnationem: etenim 1/ sic manifestantur divinæ perfectiones, quas suprà indicavimus, et præterea justitia ac misericordia Dei: *justitia,* quia Deus adæquatam exegit satisfactionem pro peccato; *misericordia,* quia miserrimis hominibus voluit Deus opem ferre eosque e miseria eripere. 2/ Relate ad homines, non melior vel efficacior excogitari potest modus redemptionis, sive quoad remotionem mali, sive quoad promotionem in bonum quam per Incarnationem Dei. Et hoc propter varias rationes quas, post S. Thomam, sic breviter refert BILLOT (2): « *Prima* est quia, ut homo lapsus ad suum finem supernaturalem reduceretur, ante omnia oportebat dari unde peccatum auferretur; id autem optimo modo factum est, dum in humana natura institutus est ille qui pro peccato perfecte satisfacere posset,

(1) Cf. COLLAT. BRUG., T. III, p. 138.
(2) Op. c. p. 24.

Deus simul et homo existens, quandoquidem homo purus hoc præstare non poterat..... — *Secunda* est quia oportebat hominem a conscientia offensæ præteritæ liberatum, tum beatitudinem cœlestem, tum viam ad illam certo cognoscere; quod quidem nulla meliori ratione procurari potuit quam per Deum incarnatum, qui præceptor noster factus, secundum modum humanum nos de altissimis mysteriis regni cœlorum personaliter instrueret.... *Tertia* est quia oportebat efficaciter erigere hominum mentes in spem perveniendi, non obstante infinita distantia naturarum, ad illius beatitudinis participationem qua Deus est naturaliter beatus. Per hoc igitur quod Deus humanam naturam sibi unire voluit in persona, datum est homini quoddam exemplum beatæ illius unionis qua intellectus creatus increato spiritui intelligendo unietur. Non enim restat incredibile quin intellectus creatus Deo uniri possit, ejus essentiam videndo, ex quo Deus homini unitus est, naturam ejus assumendo... — *Quarta* est quia oportebat ut virtutibus insisteremus; ad virtutem autem verbis et exemplis provocamur; exempla autem alicujus et verba tanto efficacius ad virtutem inducunt, quanto de eo firmior bonitatis habetur opinio; de nullo autem homine puro infallibilis opinio bonitatis haberi poterat..... — *Quinta* demum ratio est quia oportebat vel maxime ut per caritatem Deo inhæreremus; porro ante incarnationem bonitas Dei refulgebat de longinquo, in invisibili latebat, et ideo non attendebatur; homo quippe habens intellectum et affectum ad corporalia depressum, ad ea quæ supra se sunt, de facili elevari non poterat.... Volens igitur Deus patere omnibus facilem viam ad ipsum, factus est homo, ut etiam infirmi Deum cognoscere et diligere possent quasi similem sibi, atque hoc modo, per incarnati Verbi mysterium in invisibilium amorem raperentur » (1).

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. S. Thomas, *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 54 passim; *Compendium Theologiæ*, c. 201. — Utiliter exponet concionator illas rationes ut erga Redemptorem excitet existimationem, amorem, gratitudinem. Cf. Hurter, *Theologiæ dogmaticæ Compendium*, Œniponte, 1896, T. II, p. 375; n. 463.

III

Q. *An et quomodo administrari potest sacramentum* in dubio positivo circa valorem? *Proba responsum.*

Respondetur.

Non licet sacramentum conficere in dubio probabili circa ejus valorem, *nisi suppleat Ecclesia vel urgeat necessitas gravis:* quo altero in casu ministrandum est sacramentum *conditionate.*

Explicatur et Probatur responsum:

Supponitur dubium perseverare post inquisitionem seriò factam circa fundamenta quibus innitatur dubium. Quo posito:

1°/ *Regulariter* non licet ad sacramenti dubie validi confectionem procedere: transitui namque a probabilitate speculativa ad probabilitatem practicam, et ulterius ad certitudinem ex principiis reflexis, obstat altius principium virtutis Religionis, qua prohibemur non tantum irreverenter tractare sacramenta sed etiam ea exponere *periculo* irreverentis tractationis; huic autem periculo foret obnoxium sacramentum conficiendum cum dubio de ejus valore.

2°/ *Excipitur* a/ casus *necessitatis gravis*, quia sacramenta sunt propter homines, ac proinde salus hominum prævalet legi vitandi periculum irreverentis tractationis sacramenti. Et sic Baptismus potest ac debet ministrari vitâ periclitanti etiam cum materia positive dubia, alia deficiente; inungi potest ac debet moribundus de cujus vita probabile habetur dubium, et ita porro; quia hæ totidem sunt hypotheses in quibus urgenter indigent fideles susceptione sacramenti, a quo pro ipsis pendere potest tota æternitas.

Requiritur necessitas *gravis* cum abstergenda sit irreverentia *gravis.*

b/ casus certò *supplentis Ecclesiæ.* Nimirum contingit quod conditio validitatis, de cujus conditionis verificatione dubitatur, pendet a libera voluntate Ecclesiæ,

quodque Ecclesia, stante dubio probabili circa hujusmodi conditionis existentiam, ac positis aliunde ponendis, dictæ conditionis defectui, in quantum opus est, suppleat ipso momento quo sacramentum conficitur, et sic efficiat ut certo validum evadat.

Ita, uti alia occasione ostendimus, apud *Collat.*, IV, p. 641 et seq., quando sacerdos probabiliter dubitat de valore jurisdictionis, et, non obstante illo dubio, absolvit, supposito titulo colorato, Ecclesia censetur ipsi conferre jurisdictionem, in quantum defuit, in ipsa confessione inchoata, in ordine ad inceptum opus perficiendum.

Quo pacto jam nulli periculo nullitatis exponitur sacramentum, ac nihil jam prohibet quominus, etiam extra gravis necessitatis adjuncta, hac ratione ministretur sacramentum. Attamen, uti notavimus, apud *Collat.*, l. c., ad hanc jurisdictionem, ex supplente Ecclesia accedentem, cum extraordinaria sit et præter normam concessa, non videtur recurrendum nisi ex aliqua causa rationabili.

3°/ Quotiescumque sacramentum cum dubio circa valorem confertur, ratione urgentis necessitatis et extra casum supplentis Ecclesiæ, oportet ut conferatur *conditionatè*, addita scilicet, saltem mentaliter, conditione, si capax es, vel alia hujusmodi, pro varia specie casus dubii.

Quæ conditio addita nullum quidem effectum habet in validam vel invalidam sacramenti collationem (1), sed cum in finem est subjungenda ut minister protestetur coram Deo de summa sua erga sacramentum reverentia, ac ostendat se nolle sacramentum invalide ministrare ac unice agere necessitate cogente.

Nota a conditionatæ illi ministrationi non esse locum

(1) Non est igitur cur anxietur sacerdos ex eo quod inadvertenter omiserit addere, verbaliter vel mentaliter, conditionem in forma sacramentali enuncianda.

ubi dubium non versatur circa valorem sed circa *fructuositatem* sacramenti, uti jam monuimus apud *Collat.*, VII, p. 548.

b/ circa sacramentum matrimonii, pro singulari sua indole, quædam specialia esse attendenda, quæ remittuntur ad proprium locum.

IV

Q. *An et quare* graviter peccat *qui sacramentum conficit* conscius peccati mortalis?

Respondetur.

Gravis peccati reatum incurrit scienter conficiens sacramentum in statu peccati lethalis, sive agat ex officio et qua minister ad hoc deputatus et consecratus, sive non; licitam autem reddere potest hujusmodi ministrationem urgens necessitas.

Explicatur et Vindicatur responsum:

1°/ Agimus hic de actione *conficiendi* sacramenti, non autem de mera actione *ministrandi* absque eo quod conficiatur sacramentum, uti contingit in distribuenda S. Communione.

2°/ Ratio cur graviter illicita est sacramenti confectio a ministro conscio peccati mortalis desumitur ex eo quod ministrans non tantum agit nomine et auctoritate Christi, sed potissimum quia nomine Christi tam sublimia peragit, efficaciter et immediate cooperando ad sanctificationem animæ ac infusionem pretiosissimi ac eminentissimi illius doni gratiæ sanctificantis: quod officium tantopere dedecet fœdissimus status peccati mortalis (1).

---

(1) « Minister sacramenti actione sua tendit ad ipsam filiationem Dei producendam et ad conjungendas animas strictissimo illo gratiæ et adoptionis vinculo cum Deo »; et sane « negari non potest quod gravissimam contineat indecentiam ad ejusmodi actiones exercendas accedere, qua minister, Dei vices gerens, alios sanctificat, gratos reddit et filios

3°/ Quæ ratio modò invocata, gravem fundans irreverentiam, non magis attingit actionem ministri ministrantis ex officio quam alterius, quamvis aliunde augeatur irreverentiæ gravitas ex majori dignitate ministri ad hoc consecrati.

Non effugere proinde videtur gravem reatum sacramentum conferens, ex eo quod non sit minister ex officio ad hoc deputatus et consecratus nec solemniter ministret, uti contingit in laico baptizante in necessitate, vel in nupturiente qui simul ministrat sacramentum illudque suscipit.

Cæterum liquet consecrationem in ministro et cæremonias in sacramenti confectione accessoria esse et ad hoc præcise tendere ut sacramenti dignitas et sublimitas magis eniteat, quatenus cæremoniæ non adhibentur nisi ad ornamentum sacramenti et decorem, nec ob aliud consecrantur ministri quam quia ad tam excelsum ministerium sunt vocati, ad sacramenta nempe conficienda et ministranda.

Quocirca confer, inter nobis contradicentes, Suarez, *in III P.*, tom. III, Disp. XVI, sect. 4ª; Salmanticenses, *Cursus theolog. moralis*, — *De sacramentis in genere*, Punct. X, nn. 89-97; Billuart, *in III P.*, ad qu. 64, Dissert. V, art. 4°; et, inter nobis faventes, De Lugo, op. cit., n. 149-151; et S. Alph., *Theol. moralis*, l. VI, n. 32-33.

4°/ *Licita* evadit sacramenti administratio a peccati conscio *in casu urgentis necessitatis*. Ad analogiam namque dictorum, sub responso ad 1ᵐ Quæstionem, spiritualis indigentia animarum prævalet legi reverentiæ sacramento debitæ, et juri suo in illam reverentiam cedit Deus coram illa urgenti necessitudine ac adeo abstergitur irreverentia de qua suprà. Legitimatur

---

Dei, in sordidissimo illo statu peccati et inimicitia Dei ». De Lugo, *Disputationes scholasticæ et morales*. — *De sacramentis in genere*, Disput. VIII, sect. IX, n. 149.

nempe actio ministri quasi per substractionem, uti aiunt, materiæ, quatenus Deus, ratione habita indigentiæ sublevandæ fidelium, non est invitus nec adeo injuriam sibi irrogari censet in indigna collatione sacramenti (1).

Ita Baptisma ministrari poterit a conscio peccati mortalis, si differri nequeat ablutio donec confessione vel saltem contritionis actu gratiam recuperaverit. Quod æque valet de ministro consecrato quam de ministro necessitatis.

Attamen supponitur, pro utroque ministro, quod casus occurrat improvisò, quia secus potuisset ac debuisset ministrans statum gratiæ prævie sibi procurare. Et inde est quod sacerdotes in ministerio laborantes difficilius excusantur, in hujusmodi necessitatis casu, sacramentum conficiendo cum gravi reatu ; semper namque debent esse ad ministrandum parati et ita, licet non peccent *actu* urgente necessitate sacramenta ministrantes in statu peccati, nihilominus culpandi sunt *in causa*, in negligentia scilicet et socordia qua neglexerunt gratiam recuperare in ordine ad sacramenta conficienda.

Nota. Seposita necessitate cogente quæ ipsam malitiam materialem auferat, sæpe sæpius a *formali* culpa excusabit ignorantia vel inadvertentia penes laicos baptizantes et signanter penes nupturientes, ignorantes

---

(1) Non restringendùm censemus casum necessitatis, legitimantem sacramenti confectionem in statu peccati, ad *indigentiam spiritualem subjecti recipientis,* sed eum extendimus ad casum quo ipse minister non possit *absque graviori incommodo proprio etiam temporali* a sacramento conferendo abstinere, nec tempus suppetat conterendi vel confitendi : puta si sacramentum publice ministraturus recordatur se esse in statu peccati et absque gravis infamiæ periculo nequit recedere. Deus nempe non exigit ut quis sese hujusmodi infamiæ exponat ad reverentiam servandam sacramentis, seu attento gravissimo illo nocumento, non est invitus nec adeo injuriam irregari censet suis sacramentis, et hac ratione legitimatur actio ministri per modò invocatam substractionem materiæ. Quæ sane necessitas urgentior requiritur, ut excuset, quam necessitas inopiæ subjecti succurrendi.

passim sese esse ministros. Unde non multum refert pro praxi in quemnam sensum solvatur controversia sub 2° exposita. Attende etiam ne, imprudenter urgendo necessitatem status gratiæ in ministro etiam laico, laicos deterreas a Baptismate in periculo mortis conferendo.

V

Q. *An et quarè toties peccat minister quoties successive sacramentum conficit indigne?*

Prænotandum: 1°/ Agitur de sacramenti administratione successiva, absque morali interruptione, et potissimum spectat quæstio proposita casum sacerdotis plures confessiones excipientis in una sessione. Quocirca duplex viget sententia: alii, inter quos De Lugo, *Disput. scholast.-morales. — De sacram. Pœnitentiæ*, Disp. XVI, n. 558; Salmanticenses, *Cursus theol. mor. — De censuris,* cap. I, Punct. XIV, n. 182, censent non committi nisi unum numero peccatum, dum alii inter quos Lacroix, *Theol. mor.*, hib. V, n. 171; Billuart, *in III P.*, ad qu. 64, Dissert. V, art. 4°, collig. 1°/; Continuat. Tournely, *Prælectiones theolog. — De Peccatis*, cap. III, art. 2°, collig. 4°; S. Alph., *Theol. mor.*, L. V, n. 50; Lehmk., *Theol. moral.*, II, n. 5; Pesch, *Tractatus Dogmatici*, VI, n. 261; tot peccata committi censent quot sacramenta conficiuntur.

2°/ Rursus restringitur controversia, uti ex expositis liquet, ad solam sacramenti confectionem, seposita quæstione speciali de SS. Eucharistiæ distributione, in qua sacramentum ministratur et non conficitur.

Respondetur.

Abstracte loquendo, toties peccatur *quoties* sacramentum successive *conficitur* a gravis peccati conscio.

Explicatur et vindicatur responsum:

1°/ Principium modò enuntiatum in eo nititur quod unaquæque sacramenti confectio, et in specie singula absolutionis impertitio, distinctam constituit actionem

sacramentalem in se perfectam et completam, et a reliquis penitus independentem. Unde sponte sequitur quod, si sacramenti administratio in statu peccati lethalis importat gravem irreverentiam, uti in responso ad II^m Quæst. docuimus, distinctum inducitur peccatum mortale.

Aliud esset si ageretur de casu sacerdotis uno actu et una absolutionis formula plures simul personas absolventis; tunc non foret nisi unica actio sacramentalis et multiplicitas solas afficeret personas sacramentum suscipientes, nec adeo eadem ratio esset distincta numerandi peccata. Non admittimus proinde paritatem cum nostra hypothesi, quam urgent Salmanticenses l. c.

Cæterum incongruum videtur dicere idem numero peccatum committi a confessario, sive unum pœnitentem absolverit sive centum successive pœnitentibus absolutionem impertierit.

Nec stringit argumentum inductum a De Lugo, l. c., quatenus nempe, supposita propinquitate temporis, « actus audiendi confessiones accipit unitatem... præcipue ex materia ipsa, quia omnes illæ actiones continent irreverentiam contra eumdem Deum et Christum, cujus sacramenta irreverenter tractantur: non sunt enim in rigore irreverentiæ contra jus aliquod residens in ipsis sacramentis sed contra jus residens in auctore sacramentorum ». Hoc namque pacto non multiplicarentur numero peccata in proferente successive plures blasphemias, quippe quæ continent injuriam contra eumdem Deum.

2°/ Dicitur: « *abstracte loquendo* », quia *in concreto*

a/ non rarò continget quod, per decursum sessionis in confessionali distractus, non attenderit ad suum statum, per aliquod temporis intervallum; quo posito, non essent peccatis *formalibus* adnumerandæ absolutiones interea elargitæ.

b/ natum est fieri, licet rarius, quod sacerdos attendat quidem ad suum statum, et ab eo exsurgere vellet

sed non valet quum frustrà conetur conteri nec confessiones interrumpere possit ad confessarium adeundum absque gravissimo infamiæ periculo: quo casu recurrerent dicta sub responso ad II^m Qu., ac deesse posset peccatum etiam *materiale*, pro quanto et quousque urget invocata necessitas.

Ex quibus sequitur etiam in nostra sententia sacerdotem toties tantum peccare, quoties sacramentum indigne conficit *advertens suum statum et ab eo exsurgere culpabiliter negligens*.

Nota. Attenta auctoritate scriptorum sententiæ benigniori faventium, ægre neganda foret ejus probabilitas *extrinseca*, adeoque sacerdoti *dicta auctoritate nitenti* non posset imponi severior solutio.

A. De Smet.

VI

Q. *Quomodo facienda est ablutio baptismalis?*

R. Ad propositam quæstionem respondet Rituale Romanum tit. II, cap. I, n. 10: « Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians. »

Quæ verba paucis evolvere juvat.

1. Ad validitatem sacramenti indifferens est ut baptismus conferatur *aspersione*, aut *immersione*, aut *infusione*, modo vera fiat ablutio (1). Ad liceitatem autem, quamvis Rituale non negligat describere modum baptizandi per immersionem (2), in nostris tamen regionibus

(1) *Collat. Brug.*, T. III (1898), p. 620 ss. ubi vindicatur valor baptismi *infusione* collati.

(2) Rit. Rom. tit. II, cap. II, n. 20 et cap. IV, n. 50 ss.

omnino servandus est usus qui solus viget, conferendi baptismi per infusionem. De hac sola deinceps tractabimus.

2. Aquæ (1) infusio talis esse debet ut haberi possit tanquam vera *ablutio*. Actio enim externa vere significet oportet internam animæ ablutionem. Quare non licet baptismum conferre « per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto ». Decreto enim diei 14-16 septembris 1899 (2), S. Cong. Rom. et Univ. Inquisitionis declaravit curandum esse ut hoc modo baptizati « iterum baptizentur, privatim, sub conditione ». Ad ablutionem etiam requiritur aliqua quantitas aquæ non penitus immota sed quæ paulisper saltem defluat, uti supponitur in Rituali (tit. II, c. I, n. 11 et c. IV, n. 45). Quod certe obtinetur si, juxta Ritualis præceptum, sacerdos de aqua baptismali ter *fundit* super caput baptizandi.

Ex natura rei indifferens est utrum aqua admoveatur nuda manu an vero ope alicujus instrumenti. In solemni tamen baptismo requirit Rituale usum vasculi seu urceoli (c. II, n. 19 et c. IV, n. 44).

3. *Trina* facienda est infusio, non quidem ad validitatem, sed extra casum necessitatis ad liceitatem (3), juxta antiquissimum Ecclesiæ usum, quem testatur jam in ævo apostolico (circa 80-100) scriptum cui titulus *Doctrina apostolorum* seu *Didache*, c. VII, n. 3: « effunde in caput *ter* aquam *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* ». Ejusdem ritus testis est etiam Tertullianus dicens: « Nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur » (4). Ex quibus verbis luculenter apparet ablutionem ter repeti in honorem SS. Trinitatis.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. III (1898) p. 574 ss. quænam sit materia licita baptismi tum solemniter tum privatim administrandi.

(2) Apud *Collat. Brug.*, T. IV (1899), p. 312.

(3) Cf. Rit. Rom. tit. II, c. II, n. 28.

(4) TERTULLIANUS, *Adversus Praxeam*, c. 26.

4. *In modum crucis*, juxta Rituale (c. I, 10; c. II, 19; c. IV, 44) faciendæ sunt affusiones. Ita ritu externo expressius significatur totam sacramenti efficaciam a Christi passione et cruce derivari.

5. *In caput.* Quum ablutio fieri debeat in corporis parte tam insigni ut inde homo moraliter dici possit ablutus, requirit Rituale ut aqua perfundatur *caput*, in quo omnes sensus vigent quodque certe totum corpus merito repræsentat. Si autem quis ex necessitate in alia corporis parte baptizatus fuerit, v. g. infans qui ex utero manum aut pedem emisit, semper sub conditione erit rebaptizandus in capite (1).

Pars autem capitis — vertex an frons — in quam infundenda est aqua in Rituali Romano nullibi determinatur (2). Praxis tamen communiter a Rubricistis proposita est ut infans vertatur facie ad terram prona, et aqua effundatur in verticem ut versus frontem defluat (3). Spectato tamen Ritualis silentio, damnanda non est praxis contraria, a quibusdam usurpata, effundendi aquam in frontem ut in summitatem defluat (4).

6. Ex necessitate sacramenti et verbis Ritualis debet « caput baptizandi *perfundi uno et eodem tempore quo verba proferuntur* ». Nisi enim conjungantur materia et forma, non conficitur sacramentum.

Quomodo autem convenienter verba sint adaptanda infusioni docet ipsum Rituale, c. II, n. 19 et c. IV, n. 44: « ter fundit... et simul verba proferens semel tantum distincte et attente dicit: *N. Ego te baptizo in nomine Patris* †, fundat primo, *et Filii* †, fundat secundo,

---

(1) Rit. Rom. tit. II, c. I, n. 16. Cf. *Coll. Brug.*, T. VIII, (1902): *De baptizandis infantibus nonnatis, abortivis et monstris*, notatim p. 492 ss.

(2) Ubique dicit simpliciter « caput », dum tamen magis in specie determinat unctionem cum chrismate faciendam esse « in summitate capitis » (c. II, n. 23) aut in « vertice » (c. IV, n. 46).

(3) Cf. Ill. Van der Stappen, *De sacramentorum administratione*, q. 36; De Herdt, *Liturgiæ praxis*, T. III, n. 160; Kunz, *Die liturgischen Verrichtungen des Celebranten*, p. 187, aliosque ibidem citatos.

(4) Cf. Coppin et Stimart, *S. Liturgiæ compendium*, n. 621.

et Spiritus † *Sancti*, fundat tertio ». Ex quibus elucet singulam infusionem respondere singulis nominibus personarum SS. Trinitatis; quod ceterum omnino congruit supralaudato textui Tertulliani.

7. Tandem de necessitate sacramenti est ut « *idem sit aquam adhibens et verba pronuntians* ». Secus enim non verificarentur verba ipsius formæ: *Ego te baptizo.*

8. Dum fit ablutio debent, juxta Rituale c. II, 19 et c. IV, 44, patrinus et matrina (si ambo admittantur) baptizandum sustinere vel saltem « admota manu tenere seu tangere ».

9. Notentur tandem sequentia Ritualis verba c. I, n. 11 (coll. c. IV, n. 45): « Cavendum est, ne aqua ex infantis capite in Fontem, sed vel in sacrarium Baptisterii prope ipsum Fontem exstructum defluat, aut in aliquo vase ad hunc usum parato recepta in ipsius Baptisterii vel in Ecclesiæ sacrarium effundatur ».

C. Callewaert.

Miscellanea

Circa vitium obreptionis in Dispensationibus matrimonialibus.

Nonnunquam accidit quod, obtenta dispensatione a S. Sede super impedimento matrimonii, *causa* reperiatur *falso allegata,* quodque anxietur dispensationis executor circa valorem rescripti Romani.

Porro passim distinguunt auctores duplicem hypothesim: unam nempe qua *dolose ac mala fide* inducta fuerit falsa causa, et alteram qua *bona fide* error irrepserit.

* * *

A/ Si **bona fide** allegata est causa falsa,

1° *invalida* est dispensatio, si *falsa* est causa *motiva*, seu quæ superiorem reipsa movit ac ad dispensandum determinavit; dum contrà

2°/ uti *valida* est habenda dispensatio quotiescumque, non obstante errore, *vera* exstitit causa *motiva*, qua motus fuit dispensans.

Ratio *primi* est quia valor dispensationis pendet non a bona fide impetrantis sed ab intentione concedentis, quæ intentio constat defuisse in casu; voluntas namque dispensandi procedit a causa irrita et inexistente, adeoque et ipsa ceu inexistens est habenda.

Quod cæteroquin explicite docetur in cap. 20 *Super litteris*, l. I Decr., tit. III, ubi Innocentius III, in casu falsitatis bona fide insertæ, decernit: « Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, litteræ fuerint impetratæ, qua tacita vel expressa nos nullas prorsus litteras dedissemus, a delegato non est aliquatenus procedendum » (1).

---

(1) Pro meliori intellectu dictorum et infra dicendorum, integrum

Equidem dictum decretum directe spectat rescripta *justitiæ*, uti ex ipso tenore sponte liquet, sed, uti notat Santi, *Prælectiones Juris canonici,* ad h. tit., n. 12 « theoria de obreptione et subreptione in eo proposita applicari potest, et a Doctoribus applicatur, rescriptis *gratiæ* » Cf. Reiffenstuel, *Jus Canonicum Universum,* ad h. tit., n. 160 et seq.

Porro falsa censetur causa motiva ubi error fuit in causa unica inducta vel in omnibus causis, nec aliunde apparet dispensationem fuisse concessam ob causam non expressam superiori notam ; item ubi, præter causam inexistentem, adjecta fuit una alterave, vera quidem sed quæ seorsim sumpta insufficiens est ad dispensantem determinandum (1), vel quæ constat non movisse dispensantem.

Ratio *secundi* est quia voluntas dispensandi non censetur defuisse, cum supponatur superior motus a causa reipsa existente; error scilicet illud dumtaxat vitiat cujus est causa, et, ex supposito, error non fuit causa concessionem determinans: seponitur autem mala fides.

---

subjungimus caput, quod in *summario* vocatur « difficile et famosum, clavis totius tituli »:

« Super litteris quæ ab aliquibus ex malitia et a nonnullis ex ignorantia (tacita veritate vel suggesta falsitate) impetrantur a nobis, diversos intelleximus diversa sentire, aliis asserentibus eos, debere prorsus carere omni commodo litterarum, cum mendax precator carere debeat penitus impetratis; aliis vero dicentibus quod, etsi forma carere debeant in litteris nostris expressa, nihilominus juxta rigorem juris sit a delegato judicis in negotio procedendum. Nos igitur inter eos qui per fraudem vel malitiam, et eos qui per simplicitatem vel ignorantiam litteras a nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam ut hi, qui priori modo falsitatem exprimunt vel supprimunt, in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequantur. Inter illos autem qui posteriori modo litteras impetrant, duximus distinguendum quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa: nam si talis expressa sit falsitas vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, nos nihilominus saltem in forma communi litteras dedissemus, delegatus, non sequens formam in litteris ipsis appositam, secundum ordinem juris in causa procedat. Si vero.... ».

(1) Ad judicandum de sufficientia vel insufficientia causæ, non tantum considerandum est momentum causæ in se et respective ad impedimentum relaxandum, sed multum attendenda est praxis Curiæ Romanæ.

Favet aperte laudatum cap. *Super Litteris*, cujus tenor refertur suprà.

Vera autem censetur causa motiva quando falsitas afficit causam mere secundariam, ac ad dispensationem obtinendam insufficientem, et simul alia causa vera allegatur, ex se et juxta stylum Curiæ sufficiens.

Ubi autem error attingit quidem causam sufficientem et superiorem movere valentem, sed, præter eam, datur alia vel dantur aliæ causæ veræ ad gratiam extorquendam omninò sufficientes, tunc nihil prohibet, uti videtur, donec aliunde contrarium appareat, quominus præsumatur dispensantem vel per causam veram fuisse motum, eumque causam falsam quasi impulsivam habuisse, uti censet Reiffenstuel, l. c., n. 188, vel ipsum per utramque causam, falsam et veram, *quasi dijunctive* fuisse motum, uti ratiocinatur Schmalzgrueber, *Jus Ecclesiasticum*, ad h. tit. n. 18 (1).

In favorem hujus interpretationis invocari posset responsum S. Pœnitentiariæ, 28 Aprilis 1897, quod exhibent *Collat.*, III, p. 56-57. Nimirum dispensatio ibidem refertur concessa ob duplicem causam, ætatem superadultam et conditionem oratricis orphanæ, priorem falsam et alteram veram: utraque causa erat sufficiens, nec apparet ob quamnam mota fuerit S. Congregatio, simpliciter autem respondetur: « cum alia adsit causa dispensandi, nihil obstare quominus præfatum dispensationis rescriptum executioni mandetur ».

Nota:

1°/ Non pauci juris Interpretes tenent quod, etiam sub 1°/, quando nempe falsa fuit causa motiva, matrimonium, cum hujusmodi dispensatione contractum, potest haberi *tanquam validum*, quando *nonnisi post celebratas nuptias error innotuit.*

Hanc sententiam tuentur Carrière, *De Matrimonio*,

---

(1) « Quando copulative exprimuntur duo, quorum singula de jure vel consuetudine sufficiunt, propositio copulativa resolvitur in dijunctivam ».

II, n. 1116; Van den Burgt, *Tractatus de Dispensationibus,* n. 94; Caillaud, *Manuel des Dispenses,* n. 264; Théphany, *Traité des Dispenses matrimoniales,* n. 469; Pompen, *Tractatus de Dispensationibus,* n. 110; ac signanter Feye, *De Impedimentis matrimonii,* n. 723, cui assentiunt Van den Berghe, *De Legibus*, 162 et De Becker, *De Sponsalibus et matrimonio,* ed. 1903, p. 357, quique præsertim nititur auctoritate Pyrrhi Corradi (1) et Giovine (2). Subdit autem Feye l. c., se non admittere valorem dispensationis si error detegitur post fulminationem sed ante matrimonium.

Porro præfata doctrina confirmari videtur in *Causa* nuperrime soluta. Nimirum S. Pœnitentiaria pro utroque foro dispensaverat cum N. et N. super impedimento consanguinitatis in 2° gradu lineæ collateralis æqualis, idque ob incestum cum prægnatione, atque ad majora mala et scandala avertenda; vi cujus dispensationis oratores, præmissis de more publicationibus, matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerunt illudque consummaverunt.

Innotuit autem, contracto jam matrimonio, bona quidem fide sed falsò allegatam esse incestuosam prægnationem, et recursus est habitus Romam pro

---

(1) *Praxis Dispensationum Apostolicarum*, l. VII, cap. II, n. 27, ubi provocatur ad SANCHEZ, *De S° Matrimonii Sacramento*, l. VIII, Disput. XIX, n. 28.

(2) *De Dispensationibus matrimonialibus*, Tom. I, P. 1ª, Consult. VI, par. 126. Qui tamen laudatus Auctor non absolute loquitur; docet namque: « si post dispensationis executionem et matrimonii celebrationem detegatur contrahentes, sine dolo vel fraude sed ex simplicitate vel ignorantia allegasse falsam causam, quam putabant veram, et in qua præsumptione bona fide vivunt, si adhuc extent in ignorantia obreptionis, et scandala sequerentur ex eorum separatione, non est retractandum a delegato executionis decretum »; subdit autem: « verumtamen opus est ut ipse Ordinarius seu delegatus impetret a S. Sede novas litteras in forma *perinde valere* »; et infra notat: « quia præsumitur Pontificem tacite dispensare in hoc casu, saltem donec ab ipso Ordinario impetrari possit a S. Sede dispensationis revalidatio, etiam in radice matrimonii, ubi ita necessitas exigit ».

obtinenda sanatione in radice. Rescripsit vero S. Pœnitentiaria « Matrimonium de quo in casu esse validum, ideoque sanatione in radice non indigere ».

2°/ In dubio utrum causa inexistens fuerit *motiva* necne, præstat recurrere ad S. Sedem pro opportuno remedio. En specimen hujusmodi recursus cum adnexo rescripto :

« N. exponit S. Pœnitentiariam pro utroque foro dispensasse cum N. et N.... consanguineis in 2 lin. collater. gradu, idque ob miseram conditionem oratricis annorum 23 et ultra, ex illegitimis natalibus ortæ, diuturnam conversationem, firmitatem in proposito.

Atqui non oratrix sed orator ex illicito procreatus est concubitu. Dubitans autem N. utrum necne S. Pœnitentiaria ut causam finalem seu motivam habuerit falso allegatam miseram oratricis conditionem, dispensationis executioni supersedendum duxit, donec obtinuerit litteras *Perinde Valere,* quas quidem fidenter implorat, quum oratrix jam a quatuor mensibus annum ætatis 24^{m} sit ingressa, omnia ad nuptias sint parata et in vanum laboraret quis ut oratores, diu jam inter se conversati, a proposito matrimonio avertantur.

S. Pœnitentiaria, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, oratorum Ordinario facultatem concedit præfatas dispensationis litteras, quas ipsa S. Pœnitentiaria benigne sanat et convalidat, perinde ac si, non ob conditionem oratricis ortæ ex illegitimis natalibus, sed quia omnia parata ad nuptias, expeditæ fuissent, servatis in reliquis illarum forma ac tenore, eadem Apostolica auctoritate in utroque foro licite ac libere exequendi, contrariis non obstantibus ».

***

B/ Si constat de **mala fide** dispensationem impetrantium, dispensatio irritatur, etiamsi falsitas afficiat causam *impulsivam* tantùm, quæ scilicet non movit nec determinavit dispensanem ad gratiam concedendam, sed eum induxit ad facilius ac citius dispensandum.

Quæ solutio communiter admissa rursus nititur perspicuis verbis jam memorati cap. *Super litteris*, necnon

juris adagiis: « fraus et dolus alicui patrocinari non debent », et « mendax precator carere debet penitus impetratis ».

Nec prodest valori talis dispensationis quod error detectus fuerit *post matrimonium contractum,* ac sic initum conjugium, secus ac sub A, est ceu invalidum habendum. Ita pro casu qui recenter contigit:

S. Pœnitentiaria dispensaverat cum N. et N., in 2° gradu lineæ collat. consanguineis ob incestum cum prægnatione atque ad majora mala et scandala avertenda, et matrimonium erat contractum; postea autem repertum est prægnationem esse falsò allegatam, instigante sponso, ad hoc ut facilius dispensatio obtineretur. Jamvero S. Pœnitentiaria novam dedit dispensationem, imposito onere pseudo-conjugibus iterum contrahendi in forma Tridentina (1).

Attende ubi dicitur falsitatem, etiam in causa mere impulsiva, vitiare rescriptum, in casu doli et malæ fidei, requiri tamen quod falsum allegatum pertineat ad negotium dispensationis, et non vitiare errorem etiam dolosum circa circumstantiam coram stylo Curiæ dispensationi extrinsecam, quæque nullatenus contulit ad gratiæ concessionem, nequidem uti causa impulsiva. Cf. Schmalzgrueber, l. c., n. 15; Fagnanus, *Jus Canonicum*, ad h. tit., n. 34.

Hac ratione conatur *Rev. théol. fr.,* 1903, p. 678 et seq., explicare responsum S. Pœnitentiariæ ibidem

---

(1) In supplica postulatum fuit ut, attenta ignorantia communi circa nullitatem matrimonii, non urgeret S. Congregatio obligationem renovandi consensum coram facie Ecclesiæ, sed renuit id concedere S. Pœnitentiaria; addidit tamen in distincto documento: « Quatenus autem matrimonium, de quo in precibus, modo... injuncto, convalidari nequeat, Ordinarius iterum recurrat, expositis omnibus rationibus ad rem facientibus ut opportune in Domino provideri possit ».

Ratio cur exigatur forma Tridentina videtur esse in natura publica defectus dispensationem vitiantis: innotuit nempe falsitas insertæ prægnationis ex eo quod prima proles non est nata nisi post decem menses et ultra inde a consecuta dispensatione.

relatum : agebatur nempe de dispensatione obtenta, pro qua consequenda *dolosè* allegaverat orator viduus fictam promissionem factam defunctæ uxori ducendi hujus sororem ; circa cujus dispensationis ac inde secuti matrimonii valorem interrogata S. Pœnitentiaria rescripsit : « orator de quo in precibus, quoad dubium de valore dispensationis necnon matrimonii sui... acquiescat omnino ». Suspicatur nimirum *Rev. th. fr.* l. c. illam promissionem nullum exercuisse influxum, et subdit : « ne serait-il pas permis dès lors de regarder la circonstance, sur laquelle portait l'obreption, comme extrinsèque, juridiquement parlant, au sujet du rescrit ? »

Nota. Circa *momentum* quo, ad valorem dispensationis, existere debeant causæ allegatæ, vide *Collat.*, VI, p. 181 et seq.

A. De Smet.

E Sacra Congreg. Indulgentiarum

I

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Indulg. conceduntur pro pio exercitio in obsequium Deiparæ Immaculatæ primis cujusque mensis sabbatis.

R^mus P. Dominicus Reuter, Minister Generalis Ordinis FF. Min. Conventualium, nuper exposuit, se anno quinquagesimo mox expleto, ex quo dogma de Immaculato B^mæ Virginis Conceptu proclamatum est, veterem praxim, fere oblivioni datam, revocasse, exhibendi nimirum peculiarem cultum Virgini Deiparæ singulis primis cujusque mensis sabbatis, in obsequium tam singularis privilegii intuitu meritorum Christi eidem Virgini collati; quam piam praxim f. r. Clemens XIV litteris aplicis d. d. 10 Junii 1774 indulgentia biscentum dierum jam ditavit, acquirenda a christifidelibus, qui memoratis sabbatis præfati Ordinis ecclesias adivissent.

Porro quum tam laudabile exercitium, nunc denuo propositum, vehementissimo cordis affectu christifideles sint prosequuti, ne hujusmodi tepescat pietas, sed imo ferventior in posterum evadat, idem Minister Generalis humillimas preces SS^mo D^no N^ro Pio PP. X admovit, ut christifidelibus, qui singulis primis sabbatis, vel etiam dominicis, haud interruptis, infra spatium duodecim mensium sacramentali pœnitentia rite expiati sacraque mensa refecti, sive precibus, sive quoque meditationibus ad honorem Virginis absque originali macula conceptæ aliquamdiu vacaverint, simulque ad mentem Sanctitatis Suæ oraverint, plenariam indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, memoratis sabbatis vel dominicis lucrandam, tribuere dignaretur.

Sanctitas vero Sua, votis R^mi P. Ministri Generalis obsecundare exoptans, ut erga Dei Matrem magis foveatur fidelium religio, in omnibus pro gratia juxta preces benigne annuere dignata est. Præsenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ e Secretaria Sacræ Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, die 1 Julii 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II

Sanantur receptiones ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo usque nunc invalide peractæ.

Beatissime Pater,

P. Præpositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum ad Sacrorum Pedum osculum provolutus, exponit S. V. non raro contingere ut christifideles, qui ad Conf.tem B. M. V. de Monte Carmelo admitti postulant, invalide recipiantur, tum ob omissam nominum inscriptionem, tum ob aliam causam. Ne itaque præfati christifideles gratiis et privilegiis memoratæ conf.ti concessis inculpatim priventur, Orator S. V. humiliter exorat, quatenus receptiones ad eamdem conf.tem quacumque ex causa usque ad hanc diem invalide peractas, benigne sanare dignetur.

Et Deus etc.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Pio Pp. X, sibi specialiter tributis, petitam sanationem benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. C., die 28 Junii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Præf.*
Pro Sec.rio: Josephus M. Can.cus Coselli, *Sub.tus.*

III

In casu Ecclesiæ reædificatæ fere in eodem loco et sub eodem titulo, privilegium Viæ Crucis transfertur sine nova erectione.

Fr. Bonaventura Marrani, Ordinis FF. Minorum Procurator Generalis, ab hac S. Congregatione Indulgentiarum sequentis dubii solutionem humiliter expostulat:

Ex Decreto hujus S. C. in una *Leodien.* d. d. 9 Au-

gusti 1843 indulgentiæ non cessant, si, destructa veteri Ecclesia, nova ædificetur fere in eo loco, ubi vetus existebat, et sub eodem titulo. Quæritur:

Utrum præfata resolutio applicetur etiam Stationibus S. Viæ Crucis legitime erectis, ita ut in casu Ecclesiæ ex toto reædificatæ fere in eodem loco et sub eodem titulo præexistens privilegium S. Viæ Crucis non cesset, si S. Via Crucis, quæ in veteri Ecclesia destructa legitime erecta extabat, salva substantia, ast sine nova erectione in Ecclesiam reædificatam, prout dictum est, transferatur?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, audito Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandavit: *Affirmative.*

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. C., die 7 Junii 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Præf.*
† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*
JOSEPHUS M. Canicus COSELLI, *Subst.*

IV

Indulgentiæ conceduntur adolescentibus primùm S. Synaxim celebrantibus, necnon eorumdem consanguineis aliisque Christifidelibus cæremoniis Primæ Communionis adstantibus.

Adolescentes, ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum primitus accessuros, validis oportet augeri auxiliis, quibus ferventiori pietatis affectu illud suscipere, uberioresque ex eo fructus percipere valeant. Quare humillimæ delatæ sunt preces SS^{mo} D^{no} nostro Pio Papæ X, ut adolescentibus ipsis, prima vice sacra mensa refectis, Indulgentiarum thesaurum reserare dignaretur.

Quum vero, uti fere ubique fert consuetudo, eorumdem adolescentium parentes, imo et non pauci inter Christifideles, ad piam primæ Communionis cæremoniam convenire, et etiam sancta libare soleant, ne tam laudabilis excidat consuetudo, quæ maxime confert, ut ejusdem primæ Communionis cæremonia solemnior evadat, ejusque memoria in adolescentium animis satius altiusque indelebilis perseveret, ab eodem SS^{mo} D^{no} nostro expostulatum est, ut iis etiam,

qui primæ Communionis solemnis intersunt, aliquam Indulgentiam benigne tribueret.

Has porro preces, relatas in audientia habita die 12 Julii 1905 ab infrascripto Cardinali Præfecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, Indulgentias, defunctis quoque applicabiles, uti infra, clementer clargita est, nempe: Plenariam I° adolescentibus confessis et ad mentem ejusdem Sanctitatis Suæ pie orantibus, die quo primum S. Synaxim celebraverint; II° eorumdem adolescentium consanguineis, ad tertium usque gradum piis cæremoniis primæ Communionis adstantibus, si pariter Sacramentali Confessione rite abluti sacram Synaxim susceperint, et uti supra oraverint; Septem vero annorum totidemque quadragenarum Christifidelibus, qui corde saltem contrito eisdem cæremoniis interfuerit.

Præsenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 12 Julii 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V

Indulgentiis ditatur pium quoddam exercitium pro conversione peccatorum.

Plures extant per catholicum Orbem diffusæ piæ sodalitates sub titulo Sancti et Immaculati Cordis Mariæ, quæ peculiarem finem sibi præstituunt deprecandi Beatam Virginem pro conversione peccatorum. Immo apud quasdam earum etiam laudabilis praxis inolevit semel in mense coadunandi Christifideles in propriam ecclesiam vel publicum oratorium, ut per unius horæ spatium ferventiores effundant preces Deiparæ Virgini ad eumdem finem instantius assequendum. Cui quidem pietatis exercitio magis fovendo s. m. Pius IX indulgentias tum plenarias tum partiales per Apostolicas Litteras datas sub die 12 Maii 1876 adnexuit.

Modo vero ad religionis incrementum et ad animarum salutem validius obtinendam SSmo Dno Nostro Pio Papæ X

preces humillime porrectæ sunt, ut ad præfatum pium exercitium, sive publice in ecclesiis illud locum habeat, sive privatim a quolibet ex Christifidelibus peragatur, easdem indulgentias benigne extendere dignaretur.

Porro Sanctitas Sua, cui nihil potius est, quam ut Christifideles, opitulante Immaculata Virgine Dei Matre, a divina bonitate obtineant, ut homines e via perditionis ad salutis tramitem reducantur, has preces peramanter excepit, et in Audientia habita die 12 Aprilis 1905 ab infrascripto Cardinali Præfecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, sequentes Indulgentias, semel in mense lucrandas, in perpetuum clementer elargita est, nimirum: 1° plenariam Christifidelibus, qui supramemorato exercitio in ecclesiis seu publicis oratoriis peracto juxta methodum ab Ordinariis locorum approbandam devote adstiterint, vel etiam privatim eisdem piis exercitationibus cujusque arbitrio relictis, vacaverint, simulque uno, quo cuique placeat, infra mensem die, rite confessi ac S. Synaxi refecti, in ecclesia vel publico sacello juxta mentem ejusdem Sanctitatis Suæ oraverint; 2° septem annorum totidemque quadragenarum eisdem Christifidelibus, si, corde saltem contriti, supradicta pietatis opera præstiterint. Quas indulgentias eadem Sanctitas Sua animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. C., die 12 Aprilis 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Præf.*
Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*,
Josephus M. Can. Coselli, *Substit.*

Ex S. Congregatione Rituum

Instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa X suis litteris Motu Proprio datis sub die

XXV Aprilis anni MCMIV disposuerit, ut editores cantum gregorianum a Se restitutum typis mandare possint juxta Vaticanam editionem, opportunum huic Sacræ Rituum Congregationi visum est nonnullas instructiones seu leges evulgare a prædictis editoribus observandas, quandocumque novam aliquam impressionem cantus liturgici parare voluerint. Hæ autem leges, in audientia diei VII vertentis mensis Augusti ab eodem SSmo Domino Nostro admissæ et approbatæ, sunt quæ sequuntur:

I. Editores seu typographi cujuscumque loci vel regionis, qui gregorianas melodias in Vaticana editione contentas imprimere voluerint, sive æquali forma sive grandiori vel minori, sive omnes, sive aliquas tantum, ab eadem Sede Apostolica prius facultatem obtinere curabunt.

II. Ab unoquoque ex editoribus, qui hujusmodi pontificiam facultatem obtinuerint, hæc erunt diligentissime attendenda:

a/ Forma notularum aliorumque gregoriani cantus signorum ea debet servari quam majores instituerunt et editio Vaticana adamussim exhibet.

b/ Nihil præsertim mutari potest in ordine quo eædem notulæ pro variis sonorum intervallis sibi succedunt.

c/ Neque pariter in modo quo ipsæ notulæ pro diversis neumarum, ut ajunt, formulis copulantur.

d/ Absolutissima quoque verborum sacri textus relatio ad notulas cantus observetur, ita ut unaquæque syllaba notulæ vel notulis suis penitus subjaceat.

III. Editione parata ac confecta, nefas erit ipsam evulgare et in sacris functionibus adhibere cuique, nisi eam Ordinarius loci declaratione munierit, qua de ejus concordantia constet cum editione typica vaticana.

IV. Ordinarius vero declarationem hujusmodi non concedat, nisi prius censores in cantu gregoriano periti, collatione facta diligentissime, in scriptis, onerata conscientia, testentur novam editionem cum Vaticana omnino concordare.

V. Illis officii liturgici partibus quæ cantus diversos pro diversitate dici vel festivitatis admittunt, ut v. g. hymni et Ordinarium Missæ, melodiæ possunt adaptari, quæ in editione typica non reperiantur, et a Sacra Rituum Congregatione approbari, servatis debitis conditionibus, iis maxime

quæ in § *d*/ Motus Proprii XXV Aprilis MCMIV apponuntur (1). Minime vero tonorum seu cantuum hujusmodi varietates admittantur in cæteris partibus, v. g. in Antiphonis et Responsoriis sive Officii sive Missæ.

VI. Si autem agatur de officiis propriis alicujus Ecclesiæ vel Ordinis regularis Romanum ritum sectantis, aut de Officiis noviter concessis, gregorianæ eorum cantilenæ, a viris peritis restitutæ vel concinnatæ item Sacræ Rituum Congregationis approbationi subjiciantur; qua obtenta, Ordinarius loci certior factus, ut supra, de concordantia cum originalibus a S. C. recognitis, declarationem requisitam concedet.

VII. Tolerari potest quod cantus gregorianus notulis musicalibus modernis edatur, dummodo periculum sedulo amoveatur, quominus ordo notularum ac neumarum quomodocumque deturbetur. Ordinarius itaque pro hisce editionibus in commodum fidelium approbationem suam concedere poterit, si ei constiterit, juxta art. 4 et 6, de fideli conformatione cum editione typica vel melodiis approbatis.

VIII. Quandocumque liber sacrum cantum continens vel melodia quælibet liturgica Sacræ Rituum Congregationi ad approbationem obtinendam subjiciuntur, tria exemplaria ad eamdem mittenda sunt.

IX. Melodia gregoriana ad usum liturgicum a S. R. C. secundum normas prædictas destinata et commendata, ad sacrum Ecclesiæ Romanæ thesaurum seu patrimonium, sicut ipse textus, pertinet. Itaque quando novus textus fidelibus ab ipsa proponitur seu conceditur, cantus textui respondens ita simul concessus reputatur, ut nullus editor vel auctor querelam de eo movere possit, quod Apostolica Sedes easdem melodias ad alias extendat ecclesias.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die XI Augusti MCMV.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Præf.*
† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

(1) Ea nimirum conditione ut hujusmodi cantuum varietates demonstrentur derivari ex auctoritate bonorum codicum gregorianorum et quidem judicio Commissionis Romanæ examini et revisioni librorum cantum gregorianum continentium præpositæ.

Consultatio.

Quær. In *Libro manuali* (ed. 2ª, p. 197), ubi refertur *Admonitio ad conjuges*, legitur: « Quare Ecclesia uxorem eximit *a jejunio*, tempore quo est gravida vel prolem nutrit ». Quid intelligendum nomine *jejunii?*

Resp. Nullam novimus dispositionem juris ecclesiastici, quæ uxorem eximat a lege jejunii; at doctrina communis Auctorum mulieres prægnantes et lactantes generaliter excusat: unde ex eadem doctrina determinari debet a quonam jejunio liberentur.

Porro docent AA. eas excusari *generaliter* a jejunio *stricte dicto*, ratione impotentiæ moralis ordinis physici. Dicitur *generaliter:* intelliguntur omnes, etiam robustæ, quia, etsi forte jejunium nunc commode sufferre possint, facile tamen exponuntur periculo sese debilitandi, et ita nocendi tum sibi, tum proli. Dicitur a jejunio *stricte dicto:* quia non sic generaliter eas excusant Auctores a lege abstinentiæ; at non ægre ipsis concedunt carnes, si sint debiles, aut si eas vehementer appetant, ita ut vix aliter sese nutrire queant. Notari potest hujusmodi appetitus varios et inconscios esse prægnantibus solemnes. — Aliquando pro hujusmodi mulieribus etiam adest impotentia absoluta spiritualis, quatenus peccarent jejunando cum periculo suî vel prolis (1).

H. Mahieu.

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De Prudentia, Fortitudine et Temperantia*, Brugis 1889, p. 178.

Libri dijudicantur.

Catechismus of Christelijke Leering *in verband met de Gewijde Geschiedenis uitgelegd aan kinderen die zich tot hunne Eerste Communie bereiden (naar de schooluitgave van Z. H. G. J. Waffelaert, Bisschop van Brugge)*, door D. SIEUW, *Pastor, Oud-Onderwijzer*. Yper, Callewaert-De Meulenaere. In-8°, 257 bl. Pret.: 0,80 fr.

Hæc explicatio est accommodata novæ editioni Catechismi, quam pro scholis diœceseos suæ edidit Ill^s^ ac Rev^s^ Waffelaert. Munus Catechistæ est, uti nuper monebat Summus Pontifex Pius Pp. X in Litt. Encycl. *Acerbo nimis* (suprà, p. 337 sqq.), et intellectum informare doctrina sacra et voluntatem instruere moribus christianis. Porro ut hoc suo munere rite fungatur, efficax inveniet subsidium et adjumentum in præsenti, quod commendamus, opusculo. Auctor ad illustrandas veritates utitur methodo synthetica, quam et historicam vocant, quæ sane intellectui parvulorum, magis quam analytica, est accommodata (1); deinde omni modo nititur, exemplis opportune usus, « quæ vel e scripturis sacris, vel ex Ecclesiastica historia, vel e sanctorum virorum vita sapienter hauserit, suadere auditores eisque, intento veluti digito, commonstrare quo pacto componant mores » (Encycl. *Acerbo nimis*). Hæc methodus in hoc ipso periodico (T. I-II Dissert. *De catechizandis pueris*) condignis laudibus celebrata est, quam utinam catechistæ adhibeant sæpius !

*
* *

(1) Cfr. *Canisiusblad*, T. II, p. 177; T. III, p. 22.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris

—

I

Interpretare *Amos* V, 24-27.

II

Explica cur hominum satisfactio pro peccatis non sit supervacanea licet Christus adæquate, imo superabundanter satisfecerit pro omnibus hominum peccatis.

III

An, quandonam et quare baptizari possunt *infantes* parentum *infidelium* et *hæreticorum?*

IV

Describe effectus Sacramenti Confirmationis.

V

An et quænam datur necessitas suscipiendi Sacramentum confirmationis?

VI

Quomodo in baptismo parvulorum peragendæ sunt cæremoniæ *Ephpheta,* abrenuntiationis et inunctionis faciendæ oleo catechumenorum?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. Interpretare Ps. CXLIX: *Cantate Domino canticum novum* etc.

R. I. Hic psalmus non habet titulum seu inscriptionem proprie dictam. Vox **Alleluia** quæ ponitur in exordio et in fine, hebr. significat *Hallelu-Jah* (Jahveh): laudate Deum. Est formula quædam liturgica occurrens in Ps. CIV-CVI, CXI-CXIII, CXV, CXVII, CXLVI-CL, qui generatim gaudii ac lætitiæ sensus exhibent. Haud improbabile est illos psalmos, argumento plus minus vicinos, antiquitus distincto volumine ad certos usus liturgicos fuisse descriptos, eamque formulam, qua tota collectio insignita erat, in canonica Judæorum collatione fuisse servatam (1). Est autem hæc formula brevis quædam doxologia dictorum psalmorum argumento apte conveniens.

II. **Argumentum**. Est psalmus laudis. *Israelitæ invitantur ad laudandum Deum (v. 1), conditorem ac regem suum (2-3), qui erga sanctos seu populum electum benevolentiam suam ostendit (4-5), eique victoriam de hostibus concedit (6-9).* — Sensu quodam mystico ac Messianico illud argumentum intelligitur de gloria et triumphis regni Messianici seu Ecclesiæ, tùm in terra militantis, tùm triumphantis in cœlo.

Quo *tempore* et quo *auctore* hic psalmus concinnatus fuerit certo dici nequit. Plures auctores antiqui, inter quos Theodorus Mopsuestenus, existimarunt hunc psal-

---

(1) Cf. Woods apud Hastings. *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, V. II (1903) p. 287. Cf. inscriptionem Ps. CXXVI *suprà* p. 541.

mum post reditum e captivitate fuisse recitatum quo gratiæ Deo agerentur de beneficiis quibus Israelem exornavit ac pace quam illi comparavit (1). Alii contrà, in specie Theodoretus, quem plures recentiores sequuntur (2), eum Machabæorum epocha oriundum asseruerunt, quatenus hujus epochæ adjunctis argumentum aptius responderet (3). Interna autem deficiunt criteria quibus cum solida probabilitate res dirimi valeat.

III. **Interpretatio.** 1. *Cantate Domino canticum novum* propter nova beneficia ab eo collata: *laus* (4) *ejus* (resonet) *in ecclesia sanctorum,* i. e. in cœtu Israelitarum. Ibi autem *sancti* vocantur ratione electionis qua Deus eam gentem inter cæteras secreverat et ad sanctitatem colendam sibi peculiari modo devinxerat. Signum illius sanctitatis externæ erat circumcisio.

2. *Lætetur Israel in eo qui fecit eum* = læte celebrent Israelitæ conditorem (5) nationis suæ: *et filii Sion* (cives regni in Sion constituti) *exultent* sancta lætitia *in rege suo.* Deus vocatur *rex* populi Israel quia, uti Psalmista ostendit, Israel efficaci benevolentia speciali prosequitur et ad victoriam ducit.

---

(1) Vigouroux, *La Sainte Bible polyglotte,* T. IV. (Paris-Bruxelles) 1903, p. 341, huic sententiæ calculum adjicit.

(2) Cf. Bæthgen, *Die Psalmen*, Göttingen, 1898, p. 434; — W. R. Smith, *The Old Testament in the Jewish Church*, 1892; — Cheyne, *The Historical Origin and Religious Ideas of the Psalter* 1891.

(3) Hodie generatim derelicta est sententia Muisii tenentis hunc psalmum sub Davidici in universum Israelem regni exordia scriptum esse, postquam David Hierosolyma potitus, regni sedem in monte Sion collocavit. Ei adhæserant Dereser, Kuinoel, Reinhard, Goldwitzer etc. — Beelen, *Het Boek der Psalmen*, Leuven-Amsterdam 1878, p. 311 s. anceps hæret.

(4) Recentiores plures *laus ejus* habent ut alterum objectum verbi *cantate;* LXX et S. Hier. *thehillato* sumunt ut Nominativum cujus verbum subauditur.

(5) In hebr. *behosav* in factoribus suis: est plurale majestaticum ad modum v Elohim, sed cum suffixo singulari. Hîc nomine factoris non intelligendus est Deus creator Israelitarum absolute, sed potius factor secundum quid sc. factor nationis seu populi.

3. *Laudent nomen ejus in choro* — in honorem ejus sanctas choreas (1) agant: *in tympano et psalterio psallant ei* — psallant ei cum tympano (gall. tambourin) et cithara (lyre) (2).

4. *Quia beneplacitum est Domino* (complacet Jehovah) *in populo suo: et exaltabit mansuetos in salutem* — heb. et ornat afflictos salute seu eos e calamitate liberat.

5. *Exultabunt sancti* (Israelitæ cf. v. 1) *in gloria* sibi a Deo tributa, vel melius heb. *becabod:* in cantico laudis (3): *lætabuntur in cubilibus suis:* in lectis (in quibus quondam gemebant).

6. *Exaltationes* (laudes) *Dei* (sunt) *in gutture eorum: et gladii* (4) *ancipites* (heb. gladium utrimque acutum) *in manibus eorum* (tenent), adeoque fortissimi sunt in bello:

7. *Ad faciendam vindictam in nationibus* (inimicis): *increpationes* (castigationes) *in populis* (hostilibus).

8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus* (vinculis):

---

(1) Ità LXX et S. Hier. Quidam *mahol* instrumenti musici genus designare volunt: hæc verò non est vocis significatio consueta. Cf. Van Steenkiste, *Commentarius in librum Psalmorum*, Brugis, 1886, *h. l.*

(2) *Tympanum* heb. *tôph.*, LXX τύμπανον, fland. *handtrommel:* parvum erat instrumentum quod manu percutiebatur. Tympanum (toph) cum choris seu choreis connexum occurrit jam *Exod.*, XV, 20 ubi, Pharaone demerso, inter canendum Canticum Moysis saltabant mulieres tympana pulsantes. *Psalterium* heb. *kinnôr.* LXX vocem *kinnôr* generatim vertunt voce κιθαρα vel synon. κινύρα, et in quibusdam locis, uti hic, voce ψαλτήριον. *Psalterion* vox erat generica: omnia instrumenta nervis confecta et digitis pulsanda designare poterat. Hujusmodi autem erat κίθαρα græca (lyre): huic instrumento *kinnôr* Hebræorum simile erat, uti ex antiquis (s° II a. J.-C.) numismatibus in Judæa defossis liquet. *Kinnôr* seu cithara identificari non potest cum *nebel* (gall. harpe): hoc instrumentum pariter nervis erat confectum et digitis pulsabatur, sed notabiliter majus erat quam *kinnôr* seu cithara. Cf. J. Millar apud Hastings, *o. c.*, V. III (1902) p. 458 ss.

(3) Ita Bætghen, *o. c.*, p. 435.

(4) Laudes Dei cum pugna conjungantur *Neh.* IV, 10 (al. 9) et *II Mac.* XV, 27. Quo indicio quidam AA. nituntur ut tempus quo Psalmus concinnatus fuerit, pressius determinent. *II Mac. l. c.*, habet: *Manu quidem pugnantes, sed cordibus Deum orantes, prostraverunt triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati.*

et nobiles (magnates et honoratos) *in manicis* (catenis) *ferreis.*

9. *Ut faciant in eis judicium conscriptum* (ut perficiant erga ipsos sententiam a Deo statutam). — Auctores quidam « judicium conscriptum » intelligunt pœnam exterminationis *Deut.* VII, 2 in Chananæos olim statutam et in hostes Israelitarum Psalmistæ coætaneos translatam — quod utique probari nequit. Alii « judicium » illud « conscriptum » esse volunt in promissionibus *Deut.* XXXII, 41 ss. de vindicta ab hostibus populi sumenda, et hæc sententia magis arridet, nisi quis malit intelligere simpliciter « judicium » in consiliis seu decretis Dei « consignatum ».

Epiphonema: *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus:* et hoc (sc. executio illius judicii vindicativi de hostibus) gloria est pro omnibus Israelitis. Alleluia (1).

A. Camerlynck.

II

Q. *Per Incarnationem Deus semetipsum exinanivit* (Philip. II, 7); *atqui quælibet exinanitio est indecens divinæ perfectioni et majestati; ergo Incarnatio non est conveniens. Resolve hanc difficultatem.*

R. Dist. Maj. *exinanivit* h. e. intrinsece mutationem quamdam subiens, *nego;* h. e. non mutatus intrinsece, exinanivit se assumendo humanam naturam et conditionem servilem, *conc.*

Contrad. min. quælibet *exinanitio* consistens in intrinseca mutatione..... *conc.;* consistens in mera assumptione naturæ humanæ ac conditionis servilis, *nego.*

Explico. Ad Majorem. Ipsa verba S. Pauli e quibus desumitur objectio docent nos qua in re secundum Apostoli mentem consistat ista exinanitio. Adhortatur nempe S. Paulus Philippenses ad humilitatem et abne-

(1) Deficit apud S. Hier. et Syr.

gationem sui et provocat ad Christum qui harum virtutum sese præbuit exemplar: « Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo » *Philip.* II, 5-7.

Ad rem nostram quod attinet, animadvertamus ab ipso Apostolo explicari in hoc Jesum semetipsum exinanivisse quod *formam servi accepit*, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Exinanitio ergo non consistit in amissione vel immutatione divinitatis — quod cæteroquin repugnat prorsus — sed in ipsa assumptione formæ servi (1). Ergo secundum Apostolum, Christus qui erat in natura vel conditione Dei, eatenus sese exinanivit quatenus sibi accepit naturam vel conditionem servi, (2) qui status servilis occultavit coram hominibus statum Dei.

---

(1) « Cum hoc verbo finito εκενωσε (exinanivit) juncta sunt participia aoristi tria: λαβων (accipiens), γενομενος (factus), εὑρεθεις (inventus), quibus *modus* describitur, quo facta est illa *exinanitio*. Primum participium λαβων pendet a verbo finito εκενωσε, reliqua duo vero (γενομενος et εὑρεθεις) *æqualiter* pendent a dictione μορφην δουλου λαβων, quam *distinctius* exponunt... Græca, ut vis exprimatur participii in aoristo positi, latine vertas ita: *sed semetipsum, accepta servi forma,* exinanivit, h. e. inanem reddidit, depressit, se evacuavit, puta illà μορφη Θεου, divina illa gloria et majestate, quatenus hanc, accepta μορφη δουλου, velavit et occultavit ». Belen, *Commentarius in epistolam S. Pauli ad Philippenses,* Lovanii, 1852, p. 62.

(2) Dicimus: in natura vel conditione Dei, ne præjudicemus vocabuli *forma* interpretationem quæ diversa traditur a variis interpretibus. — Notemus etiam nos difficultatis solutionem dare in hypothesi quod vocabulum *exinanivit* exprimat *directe* ipsam *Incarnationem*, quatenus scilicet Verbum dicatur sese exinanivisse præcise *quia assumpsit* sibi *humanam naturam*. Sed datur alia epistolæ ad Philippenses interpretatio, secundum quam vocabulum *exinanivit* non *directe* ipsam *Incarnationem* exprimat, sed hoc: quod Christus, Deus-homo, quum ut homo, h. e. in assumpta humanitate, potuisset gloriosam habere conditionem, v. gr. regiam conditionem qua omnes terræ reges superaret, prætulerit tamen *servilem* conditionem in humanitate accipere, et sic in ipsa humanitate existens dederit exemplum abnegationis. Hæc interpretatio proponitur

Ad minorem: certe repugnat omnis mutatio Dei, sed ex assumptione humanæ naturæ in unitate secundæ Personæ SS. Trinitatis nullam perfectionem amittit divina in Verbo natura. At, dicet quis, licet nulla physica mutatio facta sit in divina natura, tamen cum honore debito Deo componi nequit hæc depressio, hæc existentia in conditione servili. Ad quod respondeo: Verbum incarnatione non in ipsa divinitate servum esse factum sed in humanitate, in natura aliena sibi adjuncta; nec renuntiasse honori qui Ipsi ut Deo debitus est, licet permiserit ut homines injuriam Ipsi fecissent; nec impediri incarnatione quominus Verbo incarnato homines cultum reddant Deo debitum, imo, e contrario, illa ineffabili conjunctione Dei cum hominibus hi efficaciter excitantur et adjuvantur ad Dei cultum atque famulatum (1).

Adnotatio. 1. Ex suprà dictis concludimus non assentiendum opinioni LESSII (2) qui censet Incarnationem importare humiliationem et exinanitionem divinitatis, imo fieri cum quadam injuria divinæ Majestatis, ideoque non esse *absolute* convenientem, sed egere ut excusetur et cohonestetur aliqua extrinseca causa majoris momenti. — Nulla ratione dici potest incarnationem fieri cum quadam injuria divinitatis. Præterea si esset talis injuria, nec generis humani redemptio, nec alia ratio extrinseca dari posset quæ tantum inconveniens valeret compensare.

Nec valent rationes, nempe similitudines, quibus utitur Lessius ad suam confirmandam sententiam. Dicit

---

a Cl. BEELEN, op. c. l. c. In hac interpretatione non alia posset fieri difficultas nisi illa qua diceretur dedecere homini-Deo ut existat in *servili* conditione : quæ difficultas etiam a nobis solvitur in responsione ad minorem.

(1) Cf. S. BONAVENTURA, in III, D. I, art. II, Q. I; D. II, Dub. 2.

(2) *De Prædestinatione Christi*, n. 13; cf. BILLOT, *De Verbo Incarnato*, Romæ, 1900, p. 19 et p. 23, ubi illam Lessii opinionem refert ac impugnat.

nempe : « Per se enim indecorum videtur ut Creator fiat creatura, et Dominus fiat servus; sicut si rex assumeret habitum et officium rustici aut mancipii, et demitteret se ad illorum consuetudinem, nobilitaretur quidem rusticorum et mancipiorum ordo; id tamen non erat regi per se expetendum, quia cedit in quamdam injuriam regiæ majestatis et auctoritatis. Similiter, si copularet sibi servam aut mendicam in uxorem, eamque efficeret reginam et regni sociam, illa quidem mirifice extolleretur, hæc tamen illius excellentia non erat per se regi expetenda, sed solum ob causam extrinsecam majoris momenti, cui alia ratione non poterat subveniri : ut si regnum vel pars aliqua regni salva esse aliter non poterat... »

« Illæ similitudines non concludunt, tum quia non in forma propria suscepit Filius Dei officium servi, tum quia per unionem suam cum natura creata nullo modo perfici potuit aut deprimi. Nec est simile de unione conjugali, eo quod homo natus est perfici per societatem, et ideo, absolute loquendo, non est conveniens intima societas viri cum muliere inferioris conditionis aut vice versa, sed indiget cohonestari quibusdam rationibus extrinsecis, quin hoc idem de divina incarnatione dici queat (1) ».

2. A 70 circiter annis exorta est apud quosdam Protestantes opinio tenens incarnatione Ipsum Verbum, in se, intrinsece, fuisse depressum et quædam saltem attributa divina partim amisisse. Talis doctrina a Germanicis vocatur *Kenosis-Lehre*, a vocabulo ἐκένωσεν unde depromitur. Non omnes porro eodem modo explicant ulterius hanc Verbi exinanitionem. Quidam distinguunt attributa Dei essentialiter immanentia, ut potentia, scientia, sanctitas, amor, a quibus Verbum se exinanire non potuit, et alia attributa, omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia quæ Verbum potuit eva-

(1) Billot, op. c. p. 23.

cuare (1). Quæ opinio, in se prorsus absurda, quum divinæ naturæ infinitatem ac immutabilitatem destruat, nullum fundamentum habet in Patrum doctrina, ut cæteroquin bene ostendit auctor quidam protestans, *Loofs*, *in Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*, T. 10, p. 246 et ss.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Prævie exposita notione obicis simpliciter et obicis secundum quid ad fructuositatem sacramentorum, indica an et quare graviter peccet scienter sacramentum suscipiens cum obice* simpliciter.

Respondetur.

I. Notio.

Obex ad fructuositatem *simpliciter*, seu, uti aiunt, fictio accidentalis (2), est illa indispositio subjecti quæ, supposito valore sacramenti, impedit fructum sacramenti *totaliter*, excludendo infusionem ipsius gratiæ sanctificantis. Obex ad fructuositatem *secundum quid* est talis indispositio suscipientis quæ collationem fruc-

---

(1) Nonnullus docet nominatim *divinam scientiam in ipso Verbo* per incarnationem fuisse partim deperditam : ita censet *Gore* cujus opinio refertur a *P. Lagrange* his verbis : « L'opinion rationaliste, qui ne voit en Jésus qu'une science humaine, et à laquelle M. Gore reproche justement de n'être pas historique, est déjà hors de cause, puisque l'Incarnation est admise. Mais le même reproche est adressé à l'école dogmatique qui admet en Jésus dès le premier moment de l'Incarnation la vision béatifique. M. Gore ne se contente pas de limiter la science du Christ dans sa nature humaine, il veut que le Verbe ait en s'incarnant accepté les conditions de la nature humaine au point d'être lui-même ignorant. . Le Verbe continue selon lui a jouer son rôle dans la création, il est omniscient, tout-puissant et éternel ; mais en Jésus il s'est soumis, par amour, par sa propre toute puissance à se limiter, à s'évacuer (*Phil.* II, 7) de telle manière que comme la personne de Jésus, il ignore ». Sequitur refutatio. *Revue biblique*, 1896, p. 452.

(2) Fictio *essentialis* dicitur obex ad *valorem* sacramenti, puta defectus intentionis illud suscipiendi.

tus sacramentalis impedit *partialiter:* sive modo negativo, per defectum scilicet melioris dispositionis obstantem infusioni amplioris gratiæ, sive modo positivo, obstaculum ponendo ad fructum integralem (in sacramento Pœnitentiæ) vel ad gratias actuales et beneficia peculiaria, ad quæ ordinem dicit gratia habitualis sacramentalis.

Obex igitur ad fructuositatem supponit sacramentum valide collatum, adeoque inductam in animam suscipientis dispositionem præviam, seu rem et sacramentum, quæ dispositio prævia semper consequitur validam sacramenti susceptionem et a nulla indispositione repellitur.

Obex simpliciter, pro sacramentis mortuorum (1), est in defectu attritionis de peccatis lethalibus; pro sacramentis vivorum, in conscientia peccati mortalis, vel in defectu attritionis de mortalibus apud illos qui inconscienter versantur in statu peccati mortalis (2). Quænam autem indispositio in singulis sacramentis constituat obicem secundum quid, in variis tractatibus est exponendum (3).

II. **Principium.**

Regulariter peccat graviter sacramentum scienter suscipiens cum obice simpliciter; abesse tamen potest peccatum in accedente ad sacramentum cum conscientia obicis simpliciter.

Probatur: 1°/ Quod regulariter insit peccatum in hujusmodi accessu, sequitur ex eo quod gravem in

---

(1) In Sacr. Pœnitentiæ attritio requiritur duplici titulo, tanquam elementum scilicet constitutivum signi sacramentalis, et tanquam dispositio ad fructuositatem necessaria uti removens prohibens.

(2) Notum est, juxta communiorem sententiam, sacramenta vivorum *per accidens* posse infundere gratiam *primam*, quando nempe quis versatur in statu peccati mortalis sed bona fide reputat se esse in statu gratiæ; ad hoc autem requiritur ut per attritionem retractaverit affectum ad peccatum mortale.

(3) Sic pro Baptismate: defectus displicentiæ de peccato veniali impedit remissionem *omnimodam* reatus culpæ et pœnæ.

sacramentum irreverentiam constituat susceptio talis quæ inanem reddat ac frustraneam tanti remedii administrationem, ac penitus contradicat fini Christi Institutoris, sacramentum ministrandum dirigentis in sanctificationem fidelium. « Quasi illudit Christo, uti ait Lacroix (1), et abutitur institutione divina in re maximi momenti ».

Advertunt etiam Theologi (2) gravius peccatum committi in indigna susceptione sacramenti quam in ejusdem indigna ministratione.

2°/ Communius affirmatur, notat S. Alph., l. cit., posse contingere quod sacramentum cum obice simpliciter suscipiatur licite et absque peccato, plena licet supposita advertentia. Ita « si hostia consecrata esset profananda ab hæreticis, et pro illa subita irruptione non posset tam citò conteri, tum videtur eam posse sine peccato sumere, licet sine fructu »; quod idem valet, juxta S. Doctorem, « de laico accumbente in scamno communicantium, qui recordaretur peccati mortalis, et non posset elicere contritionem ob angustiam temporis ».

In hisce nimirum ac similibus gravissimis adjunctis applicatur principium suprà, p. 553-554, inductum, per substractionem scilicet materiæ legitimari actionem suscipiendi sacramentum indignè: Deus namque, in hujusmodi anxiis circumstantiis, præsumitur non invitus, nec adeo injuriam sibi irrogari censet in indigna sacramenti susceptione. Profectò, uti subdit De Lugo, op. cit., Disp. IX, n. 8, « sacramentum non conferret gratiam propter indispositionem subjecti, non tamen contraheretur novum peccatum, sed esset accessus neuter, hoc est, absque fructu et absque peccato ».

---

(1) *Theologia moralis*, Lib. VI, P. I, n. 194.

(2) Ita Lacroix, l. c.; De Lugo, *Disputationes Scholasticæ-morales*. — *De Sacram. in genere*, Disput. IX, n. 1; S. Alph., *Theol. moralis*, l. VI, n. 86.

IV

Q. Explica an et quandonam liceat Sacramentum petere administrandum a ministro a/ in statu peccati mortalis versante, b/ publice hæretico vel schismatico.

Respondetur.

1ª Propositio: A ministro *graviter reo* sacramentum petere per se non licet; licitum autem fit legitima de causa.

Explicatur.

Quod *per se* non liceat adire hujusmodi ministrum sequitur ex eo quod talis accessus importat cooperationem ad sacrilegam actionem indigni ministri. Est igitur actio *male sonans*, quæ ut cohonestetur postulatur causa excusans seu requiritur ut ex actione qua quis cooperatur sequatur bonus effectus malum effectum compensans.

Porro ad hanc causam excusantem sufficit spiritualis aliqua necessitas sacramentum petentis vel notabilis ejusdem utilitas in sacramento suscipiendo, quod ab alio ministro sine gravi incommodo conferri nequit. Ita, juxta S. Alph., *Theol. Moralis*, l. VI, n. 89, « si urgeat præceptum confessionis vel communionis...; si ex dilatione susceptionis imminent periculum lapsus...; si debeas adimplere præceptum missæ audiendæ...; si alias diu debeas remanere in peccato mortali et nequeas adire alium confessarium... » et ita porro.

Notari potest minorem causam sufficere si minister aliunde jam est ad sacramentum ministrandum paratus, vel ex officio obligatus. Omninò autem supponitur sacramentum esse validè ministrandum, et vitari omne periculum seductionis.

2ª Propositio: Minister *publice hæreticus vel schismaticus* adiri nequit nisi *in extrema necessitate.*

Explicatur.

1º/ *Regulariter* prohibetur ab hæreticis et schismaticis petere ac suscipere sacramenta, non modò propter ra-

tiones sub propositione prima allatas (sunt enim peccatores et indigni ministri), sed potissimum quia uterque ille actus importat *communicationem in divinis*, quæ cum hæreticis stricte prohibetur ab Ecclesia.

Hæc autem communicandi prohibitio non nititur in excommunicatione cui hæretici ac schismatici obnoxii existunt, quo casu solos attingeret hæreticos ac schismaticos nominatim denuntiatos adeoque vitandos; sed nititur in ipsa qualitate hæretici vel schismatici, ac proinde illos spectat universim omnes, etiam illos qui tolerantur et expresse denuntiati non sunt tanquam vitandi.

Dictæ hujus prohibitionis, quam negarunt Doctores non pauci (1), luculentissima prostant documenta (2).

Nec desunt gravissimæ rationes propter quas provida mater Ecclesia adeo stricte urgere voluit suam disciplinam, gravissima nimirum pericula quibus passim obnoxia est hujusmodi communicatio: proximum nempe periculum perversionis in fide catholica, periculum professionis hæreseos ac participationis in ritu hæretico vel schismatico, ac tandem periculum scandalum movendi in populo.

Ob quæ pericula, *ubi reipsa adsunt*, graviter illicita redditur præfata communicatio *ipso jure naturali ac divino* (3), jure autem *ecclesiastico* prohibita manet *etiam ubi per accidens dicta pericula desunt:* prohibitio namque

---

(1) Cf. integram Auctorum seriem citatam apud *N. R. th.*, III, p. 295-297.

(2) Cf. decreta C. S. O. 26 Sept. 1668; 29 Nov. 1672; 24 Febr. 1752; 10 Maii 1753; 1 Dec. 1757; 7 Julii 1864; respective apud *Collectan.*, nn. 1803, 1805, 1814, 1816, 1817 et 1845; et Instr. S. C. de P. F. anni 1729 et 17 Febr. 1761, apud *Collectan.*, nn. 1811 et 1820; collato decreto 1 Apr. 1794 circa communicationem prohibitam cum sacerdotibus juratis, tempore perturbationis Gallicæ, apud *N. R. th.*, III, p. 304-308.

(3) « Quæ quidem circumstantiæ, quemadmodum regulariter communicationi in divinis cum hæreticis et schismaticis connectuntur in praxi, ita universim vetitæ sunt jure naturali ac divino, in quo nec ulla potestas est quæ dispenset nec ulla conniventia quæ excuset ». Instr. S. C. de P. F. 1729, l. c.

Ecclesiæ est fundata in præsumptione periculi universalis.

2°/ *Excipitur* casus *necessitatis extremæ:* quo casu severitatem suam moderatur Ecclesia ac permittit ut, salvo jure naturali ac divino, fideles exposcant ac suscipiant sacramenta a ministro hæretico vel schismatico.

Dicitur a/ « salvo jure naturali ac divino », quia prævie requiritur ut recesserit vel saltem remotum evaserit triplex præfatum periculum, ob quod coram jure naturali ac divino illicitum foret cum hæreticis communicare.

Postulatur proinde imprimis ut absit *proximum* periculum defectionis a fide; deinde oportet ut accessus ad ministrum acatholicum non importet professionem falsæ religionis, quemadmodum contingeret v. gr. si talis accessus publice imponeretur in protestationem acatholicæ fidei (1); tandem opus est ut præcaveatur ab offensione populi christiani utque constet abesse omnem participationem formalem in hæresi vel schismate.

Sponte etiam liquet præsupponi quod minister acatholicus sacramentum ministraturus sit valide et absque immixtione ritus damnati.

b/ Dicitur excipi casum *necessitatis extremæ*, quando nempe, occurrente periculo mortis, sacramentum est suscipiendum hic et nunc ad salutem necessarium, ac deficit omnis alius sacerdos qui sacramentum conferre valeat. Ita moribundus posset petere ut *baptizetur* ab hæretico in defectu ministri catholici, imo etiam ut sacramentaliter *absolvatur* a sacerdote hæretico vel schismatico qui, sic disponente Ecclesia, jurisdictione fruitur in articulo mortis.

Quæ praxis, quod spectat *Baptismum*, expresse fuit probata in responso ad 5^{m} (2), die 1^{a} Apr. 1794, de quo

---

(1) Casum refert Bened. XIV, *De Syn. diœces.*, l. VI, cap. V, n. 2.

(2) Ad dubium : « Num parochum juratum fideles adire licite possint, pro sacramentis Baptismatis et Matrimonii », respondetur : « Non licere, excepto tamen (ubi res sit de Baptismo) casu extremæ necessitatis, in quo non adesset alius valens baptizare ».

suprà; quod autem spectat *sacramentum Pœnitentiæ* pariter probatur ex memorato decreto C. S. O. 7 Julii 1864 (*Collectan.*, n. 1845), ubi ad dubium 6m: « an in periculo mortis, deficiente sacerdote catholico, potest quæri absolutio a sacerdote schismatico », respondetur: « licere, dummodò tamen et aliis fidelibus non præbeatur scandalum, nec sit alius sacerdos catholicus, nec sit periculum ut fidelis ab hæretico pervertatur, et tandem probabiliter credatur sacerdotem hæreticum administraturum hoc sacramentum secundum ritus Ecclesiæ » (1). Quam solutionem jam habemus in responsis 1 Apr. 1794, ad 9m: ad simile quippe quæsitum respondetur: « non esse improbandam rationem quam inierunt nonnulli gallicani Præsules qui, in articulo vel periculo mortis, Pœnitentiæ sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus juratis ac etiam a parochis intrusis recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio catholico sacerdote ».

Quodsi olim (2) quidam Germaniæ Præsules, uti refert Lehmkuhl, *Theol. Moralis*, II, n. 53, adeo stricte prohibuerint accessum ad ministros acatholicos ut ne in articulo quidem mortis illum permitterent, hoc, si non est nimiæ severitati tribuendum, inde forsan explicatur quod, attentis peculiaribus adjunctis, hujusmodi accessus, judicio Episcoporum, semper et ubique involvebat professionem fidei acatholicæ vel scandalum et offensionem populi.

Utrum a prohibita communicatione in divinis excipiatur susceptio *Extremæ Unctionis,* casu quo absolvi nequit moribundus, minus refert cum hæc hypothesis

---

(1) In hunc sensum intelligendum est vel moderandum anterius decretum S. C de P. F., 17 Febr. 1761, apud *Collect.*, n. 1820, ubi absolute docetur: « Nullo casu, neque necessitatis, licere catholico confiteri peccata sua et absolutionem obtinere a sacerdote schismatico ». Ipsa etiam *Collectanea,* in notà ad hoc decretum, remittit ad responsum anni 1864.

(2) In perturbatione per antiquo catholicos in germania inducta.

rarius verificetur ac ægrius scandalum præcaveri posset. Non liceret autem *Matrimonium* contrahere coram sacerdote hæretico vel schismatico, uti ex allato responso 1 Apr. 1794, ad 5m, haud obscure eruitur.

V

Q. *Describe* gratiam *quæ per Baptismi sacramentum infunditur, et ostende eam esse gratiam* vere regenerativam.

Respondetur.

I/ *Gratia sacramentalis* in Baptismate infundenda, seu *res*, est gratia sanctificans, *per se*, *prima* (1), cum virtutibus infusis ac donis Spiritus Sancti, quæ comitantur gratiæ habitualis infusionem; quæ gratia, qua *specialis* est, connexam habet remissionem ex opere operato (2) peccatorum venialium et omnis reatus pœnæ temporalis, ac ordinem dicit infallibilem ad gratias actuales intensiores et abundantiores ad hoc ut actus novæ vitæ, signanter initiales actus fidei, facilius et perfectius exerceantur.

II/ Hisce paucis descripta gratia merito dicitur *regenerativa*. Et sane

1°/ *ex una parte* baptizatus *exuit* veterem hominem, ipsum perfecte liberando ab omni reatu culpæ et pœnæ.

Profectò manent etiam in baptizato concupiscentia

---

(1) *Per accidens* infunditur gratia *secunda*, seu augmentum gratiæ sanctificantis. Nimirum sacramentum Baptismatis, ex *primaria* Christi institutione, dirigitur in regenerandum ac justificandum hominem, eumque supponit in peccato versantem. Per accidens tamen fit ut homo jam justificatus, puta per Baptismum flaminis, ad sacramentum Baptismatis accedat ac solum augmentum gratiæ consequatur.

(2) Peccata venialia in Baptismate remittuntur ex opere operato, seu ex virtute sacramenti directe et immediate, ac non mediate tantum et ex opere operantis, puta mediante fervore charitatis venialia delente, quemadmodum, apud *Collat.*, IV, p. 223, vidimus fieri in sacramento Eucharistiæ. Quod idem valet de relaxatione reatus pœnæ temporalis: utraque scilicet remissio directe et immediate efficienda beneficium est peculiare ad quod ordinem dicit gratia baptismalis.

et pœnalitates præsentis vitæ, ast minus sub ratione pœnæ, quam sub ratione medicinæ, quæ præcipua ratio est cur nobis relinquantur, « ut videlicet, juxta verba S. Thomæ (1), contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet » (2). Cæterum, uti appositè notat Billot, *De Sacramentis*, I, p. 254, auferuntur dictæ pœnalitates *in radice*, « pro quanto scilicet sacramentalis gratia semen est beatæ illius immortalitatis in qua non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus æstus ».

2°/ *Ex alia parte* novum *induit* hominem. Et revera baptizatus

a/ *gratia sanctificante* ornatur nova quasi natura in ordine supernaturali;

b/ *per virtutes infusas,* theologicas et morales, homo recte ordinatur circa finem supernaturalem et circa media ad finem, ac accipit potestatem operandi secundum novam participatam naturam. Nimirum dictæ virtutes non quidem constituunt novas potentias sed sunt habitus elevantes et perficientes potentias naturales, ita ut dent *ipsum posse simpliciter*, in ordine supernaturali, non vero promptitudinem ac facilitatem agendi (3).

---

(1) III P.; qu. 69, art. 3°.

(2) Duæ aliæ rationes quas affert S. Doctor sunt: 1/ « quia per Baptismum homo incorporatur Christo et efficitur membrum ejus, et ideo conveniens est ut id agatur in membro incorporato quod est actum in capite: Christus autem a principio suæ conceptionis fuit plenus gratia et veritate, habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum; unde et christianus in Baptismo gratiam consequitur quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam...; 2/ ne homines ad Baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, et non propter gloriam vitæ æternæ ». Quas rationes egregio commentario illustratas lege in *Catechismo Conc. Trid., De Bapt. sacramento,* n. 48.

(3) Simul cum posse simpliciter datur facilitas illa quæ dicitur intrinseca, consistens in inclinatione potentiæ ad propria objecta; non habetur autem illa promptitudo ad agendum quam largiuntur habitus acquisiti. Quocirca cf. *Collat*, VI, p. 244 et seq.; p. 359 et seq.

c/ *per dona Spiritus Sancti* rite disponitur homo ut, sub altiori motione Spiritus Sancti, ponat opera virtutum supernaturalium;

d/ *per gratias actuales* consequitur auxilium actuale quo adhuc indiget ut in actum prorumpat, cum homo, uti monuimus apud *Collat.*, III, p. 566, elevatus in ipsa natura per gratiam habitualem, in facultatibus per virtutes et dona, nondum sit proxime expeditus ad agendum supernaturaliter, ex eo quod habitus infusi non tam perfecte habeantur ac natura.

Quæ gratiæ actuales abundantiores sunt et speciales, in hoc tendentes ut actus novæ naturæ, et signanter initiales actus fidei, facilius et perfectius exerceantur.

Nota. En gratiam baptismalem, totum regenerantem hominem in quo non datur obex, quæque etiam in *pueris* infunditur, uti urget S. Thomas contra nonnullos antiquiores, in III P., qu. 69, art. 6°: « Quidam antiqui posuerunt quod pueris in Baptismo non dantur gratia et virtutes; sed imprimitur eis character Christi, cujus virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes: sed hoc patet esse falsum dupliciter: *primo* quia pueri, sicut et adulti, in Baptismo efficiuntur membra Christi; unde necesse est quod a capite recipiant influxum gratiæ et virtutis; *secundo* quia secundum hoc pueri decedentes post Baptismum non pervenirent ad vitam æternam... et ita non profuisset eis ad salutem baptizatos fuisse. Causa autem erroris fuit quia nescierunt distinguere inter habitum et actum: et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post Baptismum nullatenus virtutem habere: sed ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali; sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum ».

A. De Smet.

VI

Q. Quænam sunt media præveniendi judicia in materia disciplinari et criminali clericorum?

R. Quemadmodum diligentis et pii pastoris officium est, morbis ovium levia primum adhibere fomenta, post, ubi morbi gravitas id postulat, ad acriora et graviora remedia descendere (1); ita benignæ indoli societatis spiritualis congruit prius aptis remediis ordinis perturbationes præcavere, quam perpetratas debitis pœnis compescere.

Præcipuos illos modos præveniendi judicia enumeravit et descripsit *Instructio S. C. Episc. et Reg., data die 11 Junii 1880 Curiis ecclesiasticis Italiæ, quoad modum procedendi œconomicum in materia disciplinari et criminali clericorum* (2). Quamvis hæc Instructio vim obligatoriam pro universali Ecclesia non habeat, quatenus necessarium modum procedendi præscribat omnibus Episcopis (3); tamen cum in prima sua parte auctorita-

---

(1) Conc. trid. Sess. XIII, c. 1, de ref.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, T. II, n. 1249bis, p. 578-584. Invenitur in versione latina in period. *Acta S. Sedis*, T. XIII, p. 324 ss. S. C. Episc. et Reg. d. 14 Jan. 1882 « benigne indulsit ut Galliarum Ordinarii in suis Curiis enuntiata judiciali methodo uti valeant, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus (cf. Peries, *La procédure canonique moderne dans les causes disciplinaires et criminelles*, Paris, 1898, p. 335). Eadem Instructio, tenore paulum mutato, fuit anno 1883 communicata Ordinariis Statuum fœderatorum Americæ Septentrionalis; estque apud Curias constitutas, sub pœna nullitatis actorum adhibenda (*Act. S. S.*, XXIV, p. 385 ss; *Conc. plen. Baltim.* III, a. 1884, n. 311). Concilium plenarium Baltimorense III optimum præbet hujus Instructionis commentarium n. 308 ss.; quam etiam interpretatum est Conc. plen. Americæ-Latinæ a. 1899 Romæ habitum, nº 965 ss.

(3) Cf. circa valorem juridicum Instructionis a. 1880 Hinschius, *Kirchenrecht*, T. VI1, p. 76, n. 2, Berlin, 1897; Claeys Bouuaert, *De canonica cleri sæcularis obedientia*, p. 128, n. 1; p. 164, Lovanii, 1904, cujus judicio plane subscribimus: « (Illa Instructio) ex una parte non » constituit legem Ecclesiæ universalem, quatenus proceduram sum- » mariam præscribat omnibus Curiis, quando a forma solemni recedunt;

tis et justitiæ tutelam opportune suscipiat, simulque mentem et praxim Curiæ Romanæ clare exhibeat, eam ut normam tutissimam hac in materia sequemur (1).

Præter generalem vigilantiam, quam vi officii sui, in clericorum vitæ rationem, sive per se, sive per alios exercere tenentur Episcopi, tria enumerantur præcipue remedia præventiva seu quibus malum præcavetur : exercitia spiritualia, monitiones et præcepta (a. II, IV) (2); has provisiones præcedere debet summaria facti cognitio (a. V).

I. *Summaria facti cognitio seu inquisitio prævia.*

Quando sive per visitationem, sive per denunciationem aut relationem decanorum aut parochorum, sive per rumorem seu famam ad aures Ordinarii pervenerit aliquo in loco peccari, abusus in materia disciplinari committi, præcepta clero imposita non observari, Episcopus vi muneris sui pastoralis inquirere tenetur utrum factum de quo queratur existat et cujus sit naturæ et

---

» ex altera parte, non ita peculiariter ad Italiam restringitur, ut normas » in aliis etiam regionibus applicabiles etiam aliquando obligatorie non » contineat ». Cf. etiam PERIES, *o. c.*, p. 11-14; SAEGMUELLER, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts*, p. 676, Freiburg-i-B. 1900-1904.

(1) Utile duximus hic quædam notare de divisione generali hujus Instructionis. Postquam in procemio, quædam adducta sunt motiva, propter quæ S. A. facultatem concessit Ordinariis hoc modo summario procedendi, art^is 1-4 pars generalis habetur, juxta quam Ordinarii ad corrigendos clericorum abusus duplicis generis media adhibere valent, alia præventiva, alia repressiva; alia extrajudicialiter applicabilia, alia judicialiter applicanda, juxta canonum sanctiones et pro casuum et circumstantiarum varietate; ab a. 4 ad a. 9 agitur de modo extrajudiciali procedendi in applicandis mediis præventivis; ab a. 9 vero ad a. 37 describitur procedura judicialis summaria in applicandis remediis repressivis seu *pœnis*. Notatur tamen quod vim suam plene retineat forma procedendi extrajudicialis *ex informata conscientia* et quod non abrogatæ censeantur solemnitates judiciorum a canonibus statutæ si applicari queant. Comparatio Instructionis S. C. EE. et RR. a. 1880 et Instructionis C. de P. F. a. 1883 hanc partitionem clarissime innuit. Cf. BARGILLIAT, *Prælectiones Juris canonici*, T. II, n° 1513 ss., p. 514, ed. 10, Parisiis 1899; SMITH, *The new procedure in criminal and disciplinary causes of Ecclesiastics*, p. 24, n. 49, 50, New-York, 1888.

(2) Agimus tantum de remediis ab Ecclesia adhibitis *pro foro externo*.

gravitatis. Inter illos abusus qui stimulum scandali aut occasiones voluntarias causasque ad delinquendum proximas constituunt (a. II), exempli gratia adduci possunt : frequentatio alicujus personæ aut domus, carentia scientiæ sufficientis, otiositas, irreverentia in diversis officiis peragendis, etc.

Ut sibi hanc summariam facti cognitionem comparet, procedat Episcopus sive per se, sive per Vicarium Generalem, sive per personam ecclesiasticam sibi benevisam, per viam inquisitionis generalis aut specialis juxta diversitatem casuum et adjunctorum (1).

Illa inquisitio fit *modo extrajudiciali*. Inde : non requiritur prævia infamatio rei, sed sufficiunt ad hanc informationem instituendam indicia alicujus ponderis (2) ; etsi hæc conficiatur imprimis per examen testium, tamen illud examen non est juxta formas legales peragendum ; etsi consultius sit ut audiatur ipse clericus incusatus de indiciis adversus eum illatis (3), tamen hæc citatio rei relinquitur arbitrio Ordinarii ; demum etsi informationes et probationes inde deductæ ab Ordinario scripto sint notandæ et in Curia servandæ, ut ad ulteriora procedere et certiorem reddere queat superiorem auctoritatem in casu legitimi recursus (a. V), tamen non exigitur ut ille processus informativus in actis redigatur. Ceterum curet Episcopus ut caute provideatur famæ inquisiti et ideo secrete omnia peragantur (4).

Si, hac informatione peracta, levia tantum indicia culpabilitatis præventi remaneant, vel si ille promittat ab incepto abstinere et malum reparare et revera hoc satagat, abstineat ab ulterioribus Episcopus et acta quæcumque in secreto Curiæ tabulario, pro futuro quocumque eventu asservet, et interim vigilet vel

---

(1) *Act. S. S.* XV, p. 378-381 ; *Conc. Baltim.* III, n. 308 ; *Conc. Amer. Latin*, n. 969 s.

(2) *Conc. Am.-Lat.*, n° 970.

(3) LEGA, *De judiciis ecclesiasticis*, Lib. II, T. IV, p. 352, Romæ, 1902.

(4) SMITH, *o. c.*, p. 28 s., n. 60 ss.

ad summum clericum incriminatum pœnis negativis afficiat (1).

II. *Monitiones canonicæ.*

Si vero ex una parte, attento etiam prudentum consilio (2), gravia sint indicia, eamque certitudinem pariant quæ ex semiplena probatione juridica obtinetur (3), et ex altera parte clericus accusatus ab his sese purgare non valeat, jam juxta varietatem casuum (4) Ordinarius adhibeat varia remedia præventiva, nimirum imponat prævento *exercitia spiritualia* peragenda (5), nisi malit ad hoc devenire per viam *monitionis canonicæ;* quod magis praxi canonicæ consentaneum videtur (6).

Monitiones, quæ vocantur canonicæ eo quod procedant ex publica auctoritate, fiunt sive in forma paterna et secreta, sive in forma legali, ita ut de earum executione constet ex aliquo actu (a. VI).

a/ Monitiones canonicæ quæ fiunt in forma paterna et secreta, sunt illæ quibus Episcopus ut pater (7) alloqui-

---

(1) *C. Amer.-Latin.* nº 973.

(2) *Conc. Am.-Lat.* nº 973; Instructio S. C. de P. F. 20 Julii 1878, ap. *Act. S. S.* XII, p. 88.

(3) Circa notionem semiplenæ et plenæ probationis cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 1219, p. 564 s.

(4) Ordo objectivus sequendus non habetur in Instr. 1880; applicatio unius alteriusve remedii pendet ex rerum et personarum adjunctis et ex indole cujuscumque remedii cf. Lega, *o. et l. c.*, p. 352-553.

(5) Numeratio Instructionis non est taxativa. Alia dantur remedia præservativa cui congrua facti cognitio esset præmittenda v. gr. Episcopus clerico exprobrat severioribus verbis quamdam morum levitatem, propter quam illi non contulit officium quod alias libentissime ei contulisset. Cf Lega, *o. et l. c.*, p. 351, Claeys Bouuaert, *o. c.*, p. 129.

(6) Quia hæc exercitia imponuntur in correctionem clericorum, rationem exhibent pœnæ licet levissimæ. Indoles pœnalis crescit, si jam adjungantur ut sanctio ad urgendum præceptum. Cf. *Act. S. S.*, XV, p. 377; Bargilliat, o. c., nº 1513, p. 515; ed. 22 (1905), n. 1490, p. 443; — Resp. C. C. 20 Sept. 1878 ap. *Act. S. S.* XII, p. 609; Lega, o. c., p. 360-361; Hollweck, *Die Kirchlichen Strafgesetze,* p. 161, § 94, n. 5, Mainz, 1899.

(7) Illa monitio procedit ex virtute caritatis, sed quia est reprehensiva ob factum delinquentis, quod in nocumentum boni communis vergit, ideoque pœnam levissimam sapit, etiam secundario ad justitiam spectat et non est facienda, nisi præcedant indicia culpabilitatis gravia. Bargilliat, *o. c.*, T. II, nº 1513, p. 516; ed. 22, n. 1490, p. 444.

tur filium, eum benigne increpans et monens, sine ulla tamen pœnæ comminatione ut spontanee suæ conscientiæ consulat, talem personam deserat, zelum in animarum cura exhibeat, exercitia spiritualia vel alia opera spiritualia præservativa peragat (1), non ex timore pœnæ, sed ex bona sui subditi voluntate (2). Si vero Ordinarius præventum arcessere nolit, hanc monitionem vel per litteras faciat, dummodo per aliquem actum constet de earum exhibitione, receptione aut repudio; vel per personam ecclesiasticam et prudentem, cujus testimonium de admonitione executioni mandata, plenam fidem facit. Illa paterna monitio non est in cancellaria Episcopi registris publicis inserenda, sed ejus memoria, in archivio secreto, aliquo actu servari debet (a. VI).

b/ Si quovis modo, clericus contumacem sese exhibeat et paternas monitiones spernat, Episcopus adhibeat monitiones canonicas, servata forma legali. Illud remedium extrajudiciale, quod, ut monitio paterna, pro scopo habet pœnitentiam sponte incitare, idemque ac prima objectum exhibet, propius jam accedit ad administrationem justitiæ; etenim viam sternit ad judicium forte secuturum, (3) eo quod sit aptum *legitimæ* probationi de facta monitione, in casu contumaciæ (4). Ideoque in-

---

(1) LAURENTIUS, *Institutiones juris canonici*, nº 346, p. 290, Fribourg-i-B., 1903.

(2) Perbelle disserit LEGA, *o. et l. c.* de illa monitione paterna, quæ uti accusatio fraterna caritativa ad correctionem, nititur in textum Matt. XVIII, 15-17. Cf. *Conc. Trid.* Sess. XI, c. 1, de ref.; *Act. S. S.* XV, p. 381 ss.; *Conc. Baltim. III*, n. 309; *Conc. Am.-Lat.*, n. 973 etc.

(3) Non possumus assentire illis auctoribus qui habent paternam monitionem ut modum procedendi extrajudicialem, canonicam vero et præceptum reportant ad judicium summarium Ita: SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 676; LAURENTIUS, o. c., n. 350, p. 293 s. coll. tamen p. 294, n. 4; DROSTE, *Kirchliches Disciplinar-und Kriminalverfahren gegen Geistliche*, Paderborn, 1882, p. 101. Illa divisio nullo modo respondet textui Instructionis, nec indoli remediorum prævalenti In casu speciali tamen possent illa remedia esse inchoatio quædam judicii, quemadmodum infractio præcepti posset provocare judicialem actionem. Cf. HINSCHIUS, o. c., p. 78, n. 7.

(4) Sive adsit cancellarius referens in scriptis textum monitionis, sive adsint testes probatæ integritatis vel alio modo. Cf. LEGA, *o. et l. c.*, p. 355.

telligitur quanam ratione differant inter se duplicis generis monitiones canonicæ, et cur natura sua monitio in forma legali apta sit quod ei pœna adjungatur, a reo contumaci pro infractione incurrenda. Si vero aliqua sanctio pœnalis hac via adjungatur, monitio legalis ita instituta jam aliquatenus participat de natura præcepti, etsi mitioris indolis. Attamen prudentiæ et caritatis rationes non semel suadent ut non adjiciatur ulla sanctio, antequam, ulteriori informatione peracta, deveniatur ad strictum præceptum (1). Frequenter etiam, ne scandalum moveatur aut fama præventi sine necessitate lædatur, actus hujus monitionis, in forma legali exarati, in archivio secreto erunt deponendi.

Notandum est quod Episcopus, immediate ad monitionem legalem devenire potest, ommissa paterna, si graves in promptu sint probationes et si nullus fructus ex illo benigniori agendi modo speretur.

III. *Præceptum.*

Quatenus infructuosæ monitiones evadant, Ordinarius præcipit Curiæ ut delinquenti analogum injungatur præceptum, in quo declaretur quid eidem agendum aut omittendum sit, cum respondentis pœnæ ecclesiasticæ comminatione, quam incurret in casu transgressionis (a. VII). Formalitates observandæ in illo præcepto intimando et in scriptis ponendo describuntur in art. VIII (2).

Præceptum, quod rigore intendit obtinere quæ benignitate monitiones efficere non valuerunt, gravius eis est remedium, pro graviori contumacia rei. Inde habita plena certitudine facti et quidem pro foro externo, præceptum est edendum non ab Ordinario, sed ab ipso tribunali Episcopi, ita quidem ut clarissime objectum proponatur præcepti (3), cum certa determinatione

---

(1) Lega, *o. et l. c.*, p. 356, 358

(2) Laurentius, *o. c.*, n° 350, p. 294; Lega, *o. et l c.*, p. 359-360; Smith, p. 33, n. 54.

(3) Quid vero præscribere vel prohibere valeat Episcopus, resolvitur in tractatu *de Legibus* aut *de Episcopis*.

pœnæ et præfixione termini intra quem clericus constare faciat num ea accepta habeat quæ ibidem præfinita sunt (1).

Quæritur ab auctoribus num necessario præmittendæ sint monitiones præcepto? Quamvis generatim affirmant, tres requiri monitiones prævias et quidem sex dierum spatio explendas vel unam peremptoriam, nihilominus eas absolute necessarias esse non constat neque ex textu aliquo, neque ex adducta ratione, cum ipsum præceptum sit monitio. Imo de facili fingi posset casus quo ridiculum foret clericum *adhortari* de recipiscentia, nisi imprimis ei fiat peremptorium præceptum de tali persona aut domo deserenda, dummodo per citationem certo constet de culpa et contumacia (2). Tamen animadvertendum quod juxta praxim canonicam et pro casibus ordinariis, monitiones canonicæ prævie requirantur (3), et quod tres monitiones vel una saltem peremptoria præmittendæ sint, quoties præcepto adnectatur censura, hoc quidem ad validitatem.

Pœnæ quas comminari valet Episcopus ad urgendum præceptum, variæ sunt pro variis casuum et personarum adjunctis, cum debeant accommodari rei gravitati. Generatim erunt pœnæ extraordinariæ seu leviores, vel ordinariæ quæ modum in correctione servandum non excedunt; nimirum: exercitia spiritualia vel alia opera pœnitentiæ, correptiones publicæ, mulctæ pecuniariæ leviores, privatio tituli ad nutum amovibilis (4). Illæ

---

(1) *Conc. Am.-Latin.*, n. 973.

(2) Causa Mcten *Remotionis*, 21 Martii 1868 ap. Lingen et Reuss, *Causæ selectæ S. C. C.*, p. 831, Ratisbonæ, 1871; Lega, o. et l. c., p. 358-359; Hinschius, *o. c.*, p. 80.

(3) Multæ responsiones S. C. EE. et RR. citantur ap. *Anal. J. P.* Sér. XI (1872) col. 626; XII (1873) col. 116, 181, 1004 etc., in quibus monitio triplex facienda statuitur. Hic notandum est discrimen inter præceptum juridicum de non conversando de quo tunc agebatur et nostrum remedium præventivum extrajudiciale. Cf. tamen *Act. S. S.* XV, p. 382; *Conc. Baltim.* III, n. 309; Smith, *o. c.*, p. 32 s., n. 70, 73.

(4) Cf. tamen Claeys Bouuaert, *o. c.*, p. 127 ss. Optime ostendit laudatus auctor contra Hinschius, per illam Instructionem non omnimodam

pœnæ incurruntur ipso facto, sine ulla patrati delicti sententia declaratoria, nec oportet ut de contumacia constet per judicium summarium (a. VII) (1). Nullum dubium quod possit Episcopus præceptum censura urgere (2). Relate ad hanc ultimam pœnam recolenda sunt ea quæ monet Benedictus XIV circa censuræ latæ sententiæ ab homine inflictionem, et præscriptas juris canonici formalitates, ut incurratur dicta pœna in foro externo (3).

Quanquam hæc remedia præventiva non semper debeant præcedere formale judicium, tamen antequam, infractionis præcepti vel aliorum criminum communium causa ad hoc deveniatur, utillissimum erit illa prævie experiri; imo hodiernis in adjunctis, quando illis remediis non est locus, Episcopus prudentissime provocabit renunciationes jurium et scandali reparationes *voluntarias,* nitendo totis viribus ut omnia paterno modo componantur (4).

A. De Meester.

---

potestatem esse concessam episcopis infligendi *quascumque pœnas,* modo procedendi præventivo.

(1) Resp. infra cit. S. C. EE. Sept. 1730; Hinschius, p. 80, n. 3, 4; Laurentius, n° 351, n. 4, p. 294-295.

(2) Resp. S. C. EE. et RR. in una Brundusina. *Suspensionis,* mense Septembris 1730, et in una Triventina. *Præcepti,* Febr. 1735, ap. *Anal. J. P.*, Sér. XI, 1872, col. 778, 810; Lega, p. 360; *Act. S. S.*, XV, p. 381, 383; Hollweck, *o. c.*, p. 87, § 23. n. 5.

(3) Benedictus XIV, *De Synodo,* l. X, c. 1, n. 5; c. 2, 3, 10 etc.; Hollweck, o. c., p. 90, § 26.

(4) Lega, *o. et l. c.*, p. 362; postulatum Episcoporum Belgii ad concilium vaticanum ap. Martin, *Omnium Vaticani Concilii quæ ad doctrinam et disciplinam pertinent documentorum collectio,* p. 180. Paderborn, 1873.

Miscellanea

I

De nova quadam dogmatis notione.

Quærenti quid sit dogma, quæ quæstio in theologica doctrina summi est momenti, solutionem novam necnon et miram valde proposuit nuper D. Le Roy in periodico gallico *La Quinzaine* (1).

Eo fine permotus A. ut hodiernos incredulos ad veritatem catholicam facilius reduceret, ac persuasus ab illis incredulis quasdam objectiones contra adhæsionem ad catholica dogmata proponi, quas refutare ipsi impossibile videtur, censet traditionalem notionem *dogmatis* esse relinquendam et novam accipiendam. Nempe hucusque docebatur dogma esse *certam veritatem credendam,* seu propositionem quæ ut *vera* admittenda est ab *intellectu* propter auctoritatem Dei revelantis. Hæc notio (une conception nettement intellectualiste) Auctori videtur rejicienda. Dogma vero, juxta ipsum, est *quoddam præceptum morale*, quædam *agendi regula* secundum quam *determinandæ* sunt *operationes* nostræ. Proinde catholicus, qui dogmata admittere debet, non obligatur ad aliquas veritates amplectendas intellectu, sed tantum ad certas ponendas actiones (2). Ut exemplis illustret suam assertionem dicit A. « Dieu est personnel veut dire: comportez vous dans vos relations avec Dieu

(1) 16 Avril 1905, pp. 495-526.

(2) « Un dogme énonce avant tout une *prescription d'ordre pratique*. Il est plus que tout la formule d'une *règle de conduite pratique*. Là est sa principale valeur, là sa signification positive » p. 517. « Le catholique, obligé d'admettre les dogmes, n'est astreint par eux qu'*à des règles de conduite, non pas à des conceptions particulières* » p 523. — Loisy jam scripserat: « Il est parfaitement vrai que l'Evangile ne contient aucun enseignement théorique ». *L'Évangile et l'Église*, p. 64.

comme dans vos relations avec une personne humaine. Pareillement, Jésus est ressuscité veut dire : soyez par rapport à Lui comme vous auriez été avant sa mort, comme vous êtes vis-à-vis d'un contemporain. De même encore, le dogme de la présence réelle veut dire qu'il faut avoir en face de l'hostie consacrée une attitude identique à celle qu'on aurait en face de Jésus devenu visible », p. 517-518.

Admittit tamen A. dogmati aliquod reale mysterium correspondere : hoc autem est problema cujus solutio relinquitur intellectui humano (1).

Talem dogmatis notionem nullo inniti fundamento patet. Pauca animadvertamus. Imprimis talis notio contradicit evidenter doctrinæ Ecclesiæ.

Ecclesia enim *docet* et obligat catholicum ad adhærendum *intellectu* veritati ab ipsa definitæ, et anathema dicit illi qui *affirmat* contradictoriam propositioni definitæ. Hoc constat ex omnibus Ecclesiæ definitionibus dogmaticis : igitur omnino contradicit doctrinæ Ecclesiæ qui asserit : catholicum non teneri ad determinatas cogitationes : *hoc* enim cogitare, nempe *intellectu ut verum admittere* debet, *quod* Ecclesia credendum proponit : proponit autem Ecclesia propositiones omnino determinatas, quas *ut veras* tenere *intellectu* catholicus debet.

---

(1) « Par lui-même et en lui-même, le dogme n'a qu'un sens pratique. *Mais une réalité mystérieuse lui correspond et il pose donc devant l'intelligence un problème théorique.* De ce problème, l'esprit humain s'empare aussitôt ; et il imagine des explications, des réponses, des systèmes, sans obéir en cela à rien d'autre qu'aux lois de sa nature, codifiées dans les préceptes de la méthode et dans les principes de la raison. Tant que la théorie édifiée de la sorte respecte la signification pratique du dogme, celui-ci lui laisse carte blanche : juger les théories reste alors affaire de pure spéculation humaine, et aucune autorité extérieure à la pensée elle-même n'a droit ni pouvoir d'intervenir. Mais qu'une théorie surgisse un jour qui porte atteinte au dogme dans son domaine propre en altèrant sa signification pratique : le dogme aussitôt se dresse contre elle et la condamne, devenant ainsi énoncé intellectuel négatif, superposé à la règle de conduite qu'il était purement et simplement tout d'abord », p. 524.

Secundum doctrinam Ecclesiæ, dogma est objectum *fidei:* fides autem est « virtus supernaturalis qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo *revelata vera* esse *credimus*, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest » (1). Objectum igitur fidei, seu dogma, est id quod ut *verum* credi debet. In notione dogmatis inventa a D. Le Roy nulla jam dari potest *fides* divina.

Deinde, in se ipsa spectata, admitti nequit sententia illius auctoris. Etenim quomodo aliquis obligari possit v. gr. ad hoc ut coram hostia consecrata se gerat eodem modo ac coram ipso Christo præsente, nisi imprimis *intellectu* tamquam *verum admittat* ibi vere ac realiter adesse Christum? Qui hoc firmiter credit, ille rationabiliter ac honeste adorabit hostiam consecratam, aliosque actus cultus peraget; qui vero non credit, nec rationabiliter, nec honeste talia faciet. Et quis, dignitatis suæ conscius, vellet in tali comædia partem habere? Inde intelligitur quomodo illa nova dogmatis definitio nedum adductura sit incredulos ad veritatem, ab ipsa illos avertere necesse sit.

Quid autem intelligat A. dicendo: « Mais une *réalité mystérieuse* lui (au dogme) correspond » non explicat. Sed omnino errat adjungendo: « et il (le dogme) pose donc devant l'intelligence un problème théorique. De ce problème l'esprit humain s'empare aussitôt, et il imagine des explications, des réponses, des systèmes, sans obéir en cela à rien d'autre qu'aux lois de sa nature.... ». Dogma ponit veritatem, et quidem veritatem definitam (2), cui intellectus adhærere debet. Deinde intellectus humanus potest ulterius examini

---

(1) Concilium Vaticanum, Sess. III, cap. 3, de fide. Cf. DENZINGER, *Enchiridion*, n. 1038.

(2) Licet tota veritatis extensio vel comprehensio non semper ab initio perspiciatur.

subjicere illam veritatem, illam plenius perspicere, tum in seipsa, tum in sua cum aliis veritatibus connexione: inde statui possunt variæ propositiones quarum veritas, vel formaliter implicite, vel virtualiter implicite, continetur in veritate revelata, (1), et ideo potest haberi verus profectus in cognitione veritatis revelatæ (2). Sed ille rationis labor subjicitur auctoritati Ecclesiæ, cujus est judicare utrum talis propositio, etiam in ordine mere speculativo, sit, vel non, compossibilis cum ipsa revelata doctrina (3).

J. Van der Meersch.

II

I/ Notum est affinitatem ex copula matrimoniali, in primo gradu lineæ collateralis æqualis, constituere impedimentum dirimens matrimonii non tantum coram jure canonico sed etiam coram jure nostro civili, sic disponente articulo *Codicis civilis* 162: « En ligne collatérale le mariage est prohibé (4) entre le frère et la sœur légitimes ou naturels, et les alliés au même degré ».

---

(1) Veritates quæ tantum *virtualiter* continentur in revelata veritate non sunt *fide divina* credendæ sed ab Ecclesia proponi possunt credendæ (fide ecclesiastica) tamquam necessario connexæ cum veritate revelata. Cf. Collationes Brugenses, T. VI, p. 516.

(2) Inde etiam notanda est distinctio inter *dogma* et scientificam dogmatis explicationem: variæ possunt esse catholicorum sententiæ circa hanc explicationem. V. gr. omnes catholici firmiter credunt Verbum factum esse hominem: hoc est dogma; sed variæ proferuntur explicationes scientificæ quibus ulterius exponatur illa unio Verbi cum humana natura: alia est opinio S. Thomæ, alia Scoti, alia Suarezii, etc.

(3) Longiorem expositionem ac confutationem systematis D. Le Roy invenire est in *Etudes*, 1905, T. 104, p. 145, 318: *L'explication morale des dogmas* par E. Portalié; in *Revue Biblique*, 1905, p. 321: *De la nature du dogme* par M. Wehrlé; præsertim in *Revue Thomiste*, T. XIII, p. 428: *Qu'est ce qu'un dogme* par M. Pègues.

(4) Prohibitio hæc est *irritativa*, hac scil. lege ut matrimonium intra gradus prohibitos initum censeatur, coram foro civili, existens quidem sed *nullum*, seu potius annullabile: adeo ut subsistere reputetur donec judicis sententia annullatum fuerit. Circa quam notionem actus *nullius*, in mente nostri codicis civilis, ejusque distinctionem ab actu *inexistente*, confer *Collat.*, IX, p. 27-31.

Quando igitur matrimonium præparatur contrahendum inter viduum et sororem uxoris defunctæ, vel inter viduam et fratrem defuncti mariti, impetranda est, antequam ad civilem contractum possit procedi, dispensatio regia, mediante Ministro Justitiæ : « Les dispenses pour se marier... dans les degrés prohibés entre le beau-frère et la belle-sœur, lorsque le mariage est dissous par la mort naturelle de l'un des époux,... seront accordées par Nous, sur le rapport de notre Ministre de la Justice » (1). Ita sonat art. 1s decreti regii 5æ diei Januarii 1864. Cf. *Complément des Codes Belges*, V° *Mariage*.

Quæ dispensatio, uti ex ipso tenore decreti liquet, non conceditur nisi gravi de causa, ac posita conditione quod morte violenta non fuerit solutum prius matrimonium ; supponitur etiam servari aliunde servanda, inter quæ sponte occurrit attendenda dispositio art. C. C. 228 : « La femme ne peut contracter un nouveau mariage qu'après dix mois révolus depuis la dissolution du mariage précédent ».

Dicta mora a lege non imponitur *viduo*, sed soli *viduæ*, ut, antequam ad secundas nuptias convolet, juridice constet eam non esse imprægnatam ex viro defuncto.

---

(1) Le Ministre présente son rapport sur avis que lui donne le Procureur du Roi et d'après les renseignements qu'il lui fournit ; à ces fins le Procureur a soin de s'enquérir : « quels sont les antécédants et la moralité des futurs ; — quelle a été la conduite du futur (ou de la future) durant son mariage ; — quelle a été sa conduite depuis son veuvage ; — si aucun intérêt de famille ne s'oppose à l'accomplissement de l'union projetée ; — quelle est l'origine des affections qui existent entre les futurs, s'ils se conviennent et si l'union projetée est de nature à consolider leurs moyens d'existence ; — enfin si la rumeur publique ne les accuse pas d'avoir eu des liaisons illicites alors que son épouse (ou époux) était encore en vie ».

En outre il réclamera des parties la production des pièces suivantes : « En cas de grossesse de la future, le rapport d'un ou de plusieurs hommes de l'art ne laissant aucun doute sur la grossesse ; — l'acte constatant le consentement des père et mère, ou celui des autres ascendants dont le consentement est requis ; — les actes de naissance des futurs ; — l'acte de mariage du requérant et de feu N. ; — l'acte de décès de N. ».

Attamen novissime inducta videtur nova jurisprudentia, juxta quam dispensatio, de qua modo, non indulgetur in gratiam *vidui*, nisi post spatium *sex mensium* inde a morte prioris conjugis elapsum.

Profectò non decet ad matrimonium properari illicò post obitum compartis, et publica honestas postulat ut aliquod temporis intervallum inter utrumque matrimonium interponatur; nullo tamen legis textu hujusmodi dispositio urgetur in viduum, nec ulla hucusque jurisprudentia in hunc sensum erat stabilita: nuperrime autem, occasione sollicitatæ dispensationis super impedimento affinitatis, innotuit mentem esse Ministri Justitiæ ut ante moram descriptam non concedatur dispensatio super præfato impedimento.

Quod opportune attendetur a parochis, ut possint tempestive monere affines, sicubi dantur, matrimonium, ante revolutum tempus requisitum, inire cupientes. Quodsi, propter urgentissimas rationes, duxerit parochus moram esse præveniendam, uti contingere posse nemo negabit, non videtur dubitandum quod Minister regius jurisprudentiam suam, occasionaliter cæteroquin inductam et nullo publico documento stabilitam, moderetur ac temperet in casu particulari. Recurrat igitur parochus, occasione data, ad Episcopum, Eique totum negotium exponat Ejusque stet mandatis.

***

II/ **Casus matrimoniales:**

A/ Apud *Analecta ecclesiastica*, 1905, p. 327-328, causa matrimonialis refertur acta coram S. Congr. Concilii, cujus causæ compendium huc redit:

Anno 1902, in parochia Viry, diœceseos Anneciensis, celebratum fuit matrimonium coram canonico Genevensi, præsente parocho loci. Qui parochus reputabat sese esse proprium parochum sponsæ, ex eo quod puellæ parentes, infra dictæ parœciæ terminos, per aliquam anni partem versari solebant. Parochus sponsi

banna proclamaverat ac declarationem transmiserat de absentia impedimenti canonici.

Porro infausta fuerunt fata descriptæ unionis ac mulier recursum habuit ad S. Sedem ut matrimonium ex capite clandestinitatis nullum declararetur. Causa fuit commissa Curiæ Anneciensi, quæ matrimonium proclamavit irritum ob vitium clandestinitatis, ejusque sententia fuit a Suprema Congregatione Romana confirmata. Et revera

1°/ Parochus de Viry nullo titulo existebat proprius parochus sponsæ. Hæc namque, utpote minorennis, sequebatur *domicilium* matris viduæ, Parisiis domiciliatæ; nec præsto erat ne species quidem *quasi-domicilii*, cum, ex ipsa declaratione matris, constet familiam transeunter omnino ibi habitasse, adeo ut, per 14 annorum spatium, ibidem ad summum sex menses transegerint.

2°/ Nec magis sustinetur valor matrimonii ex eo quod parochus de Viry rite fuerit delegatus a parocho sponsi. Imprimis namque licentiam assistendi non petiit, imo de illa sollicitanda nequidem cogitavit, cum sese, mira prorsus ignorantia, proprium parochum esse non dubitaret. Neque dicatur parochum sponsi sponte præstasse consensum *tacito modo*, quatenus noverit matrimonium esse celebrandum in parochia de Viry nec ullam opposuerit resistentiam.

Equidem non desunt Auctores, iique optimæ notæ (1), qui docent delegationem *tacitam* sufficere ad validam assistentiam matrimonio, adeoque ceu validum habent matrimonium coram sacerdote celebratum, sciente proprio parocho et non resistente, cum facile contradicere posset. Atvero dictam sententiam non censemus admittendam *nisi salva restrictione sedulò notanda:* dummodò

(1) Inter illos SANCHEZ, de *S° Matrimonii sacramento*, l. III, Disp. XXXV, n. 20; SCHMALZGRUEBER, in l. IV, Decret., tit. IV, n. 193 et seq.; WERNZ, *Jus Decretalium*, IV, p. 289, cum nota 221; ROSSET, *De Sacramento Matrimonii*, IV, n. 2232; BASSIBEY, *De la clandestinité dans le mariage*, n. 119.

scilicet parochus proprius non putet illum qui assistit etiam esse proprium parochum alterutrius nupturientium; secus enim, si nempe ideo tacet quia arbitratur et alterum jure assistere nec delegatione indigere, silentium hujusmodi non importat consensum nec delegationem.

Frustra igitur provocatur ad silentium parochi sponsi, quasi æquivaleret consensui, quippe cujus necessitatem nequidem suspicabatur. Nec proficit quod ita fuerit dispositus ut ultrò concessisset licentiam si ea opus esse scivisset: inefficax namque est et nullius valoris delegatio *præsumpta*, vel *ratihabitio* postea succedens.

In hunc etiam sensum solutam habemus celebrem *causam Parisiensem* (1), 14 Dec. 1889, uti monet Gasparri, *De matrimonio*, II, n. 946, in qua causa dirimenda ipse fatetur, l. c., n. 932, se non levem fuisse partem. Nimirum matrimonium erat celebratum inter Alphonsum Principem de Ch. et Gabr. L. coram parocho d'Epinay, qui erronee reputabat se esse parochum proprium sponsæ, licet hæc reipsa in dicta parochia nec domicilium nec quasi-domicilium obtinuerat. Defensor autem vinculi sustinuit valorem matrimonii ex eo quod parochus proprius Parisiensis rite delegaverat parochum d'Epinay, per tacitum scilicet consensum, siquidem, uti ex *actis* constat, apprime sciebat matrimonium ibidem celebrari nec ullatenus contradixit.

Quam tacitam licentiam noluit admittere S. Congr. Concilii, ac matrimonium declaravit nullum et irritum ex capite clandestinitatis; rursus autem, non secus ac in themate nostro, parochus Parisiensis parochum d'Epinay habebat uti proprium parochum sponsæ, adeoque de danda delegatione non cogitavit, ejusque proinde silentium nullum involvit consensum.

Cæterum, etiamsi in utroque casu relato proprius

---

(1) Cf. causam relatam apud *Acta S. Sedis*, tom. 22, pp. 477 et seq., signanter p. 496-497.

parochus delegationem concedere reipsa intendisset, non illico foret proclamanda valida; ex parte enim delegati requiritur *acceptatio* ad minus implicita (1), quæ supponit datæ vel saltem petitæ licentiæ notitiam: quæ notitia utraque prorsus defuit in prædictis causis, cum necessitas delegationis petendæ et accipiendæ in suspicionem non venerit penes sacerdotem qui matrimonio astitit.

*
* *

B/ Ecce, una alterave dempta circumstantia, alterum casum a Lehmkuhl relatum apud *Theol.-Prakt. Quartalschrift* (2), 1905, p. 874: Titius, infirmante Paula uxore, adulterat cum Bertha libera eique matrimonium promittit ipsa repromittente, post obitum conjugis ineundum, simulque, inscia Bertha, veneno mortem procurat uxoris. Mortua Paula, celebrantur nuptiæ inter Titium et Bertham, post prævie obtentam, id sollicitante Bertha, dispensationem Romanam pro foro interno super impedimento criminis ex adulterio cum fide data tantùm.

Non diu post Titius derelinquit Bertham et in extera regione concubinariam instaurat vitam cum puella, et tandem, graviter infirmans, advocat parochum loci eique totum negotium exponit in confessione, suppliciter petens ut sacramentaliter absolvatur et cum concubina matrimonialiter copuletur in extremis. Quod utrumque libenter præstat parochus, reputans optato matrimonio non obstare nuptias inter Titium et Bertham olim celebratas, utpote invalidas ex eo quod dispensatio non fuerit obtenta super crimine orto ex adulterio et

---

(1) Cf. Feye, *De Impedim. matrim.*, n. 297, ad 5m; Rosset, op. cit., IV, n. 2238-2240; Gasparri, op. cit., II, n. 944; Wernz, op. cit., IV, p. 287, cum nota 218; Theol. Mechl., *De Matrimonio*, ed. 1902, p. 322; Bassibey, op. cit., n. 112; Deshayes, *Questions pratiques sur le mariage*, p. 199 et seq.

(2) Idem casus jam occurrit apud *Nederl. Kathol. stemmen*, 1905, p. 152 et seq.

conjugicidio, sed ex adulterio cum promissione matrimonii dumtaxat.

Quocirca ostendere juvat, post prælaudatum Auctorem, quomodo parochus in casu non recte processerit, dictos concubinarios illico admittendo ad matrimonium. Et revera

1°/ In supposito quod indubitanter nullum fuerit matrimonium Titium inter et Bertham, ob vitium dispensationis obtentæ, nondum posset legitimari ratio agendi nostri parochi. Quotiescumque enim nuptiæ fuerint *in facie Ecclesiæ* celebratæ, si reperiuntur certò irritæ, non potest a parocho vel a confessario novum conjugium permitti, antequam intercesserit declaratio nullitatis *in foro externo* ab auctoritate competente ferenda juxta formam in jure præscriptam (1).

In casu igitur proposito, si parochus opportunum judicabat acquiescere precibus infirmi, eumque cum concubina nuptiali fœdere copulare, res erat deferenda, de consensu Titii, ad Episcopum pro impetranda juridica nullitatis declaratione in foro externo (2); nihil autem obstabat quominus interea Titius, cæteroquin rite dispositus, absolveretur et ultimis sacramentis reficeretur, semoto prævie scandalo et offensionis populi periculo, ac efficacibus adhibitis cautelis ad occasionem proximam peccandi removendam.

2°/ Posset etiam quæri utrum nullum dubium substiterit circa valorem matrimonii olim contracti cum Bertha. Equidem dispensatio vitiata est per subreptionem, ast, ut inde certa nullitas matrimonii deducatur, supponere oportet impedimentum criminis, absque ullo dubio, a nupturientibus in casu fuisse contractum. Jamvero, admittendo Titium et Bertham ignorasse le-

---

(1) Cf. Bassibey, *Le mariage devant les Tribunaux ecclésiastiques*, passim; De Becker, *De Matrimonio*, ed. 2ª, p. 465 et seq.

(2) Ad hoc non attendit auctor dissertationis, apud *Nederl. Kathol. stemmen*, l. c.

gem illam irritantem, uti passim contingere natum est, non desunt Auctores qui eos a criminis impedimento eximerent ob ignorantiam, vel saltem eos uti dubie obnoxios haberent (1).

Profectò valde præplacet sententia, cæteroquin communior (2), quæ tenet impedimentum criminis etiam ab illud ignorantibus contrahi, cum *ratio pœnæ*, quam habet et ob quam alterius sententiæ patroni scientiam requirunt, nonnisi *subsidiaria* videatur, siquidem *principaliter* ob indecentiam publicam est inductum impedimentum. Nescio tamen utrum *omnis probabilitas* sit deneganda sententiæ oppositæ, ignaros ab impedimento criminis excusanti.

Quodsi aliqualem adesse probabilitatem concedatur, vel saltem non liquido appareat improbabilitas dictæ sententiæ adversæ, eo ipso *altera* exsurgit *ratio* cur parochus, de quo hic quæritur, non potuerit, *inconsulto Episcopo,* ad novas nuptias celebrandas procedere : dubia namque quæ spectant vinculum conjugale sunt ad Episcopum vel ad S. Sedem referenda.

A. De Smet.

III

Nota *circa requisita ad quasi-domicilium in ordine ad matrimonium contrahendum.* — Hujus periodici tomo IV, p. 182 interpretati sumus responsum S. C. Inq. de die 9 Novembris 1898 quasi esset juris declarativum, et

(1) Ita inter recentiores : Ballerini, *Opus theologicum morale,* editum a Palmieri, VI, n. 1044 et seq ; Lehmkuhl, *Theol. moralis;* II, n. 770; d'Annibale, *Summula Theol. mor.,* III, n. 442 ; Gasparri, *De matrimonio,* I, n. 657 et seq.; *Analecta Ecclesiastica,* 1903, p. 424 et seq. in solutione casus conscientiæ; Noldin, *De sacramentis,* n. 608; Genicot, *Theol. Moralis,* II, n. 486 ; De Becker autem, in tractatu *de Matrimonio,* scribit p. 177 : « si ageretur de declarando matrimonio nullo ob existens impedimentum ignoratum criminis, recursus ad S. Sedem esset suadendum ».

(2) Cf. auctores citatos a Wernz, *Jus Decretalium,* IV, p. 789, nota 30, et apud *Nouv. Rev. théol.,* XIII, p. 382 et 383.

confirmativum sententiæ illorum qui censent ad quasi-domicilium contrahendum per se sufficere veram habitationem more civium in parochia per sex menses, etiamsi non adfuerit intentio tamdiu manendi. In eumdem sensum alii quidam scriptores (1) dictam resolutionem acceperunt; plures verò censuerunt illam habendam esse uti indultum civitati Parisiensi singulariter concessum. Exhinc apud *Analecta ecclesiastica* an. 1905, p. 193 prodiit declaratio Assessoris S. Officii posteriorem illam interpretationem confirmans. Nimirùm per litteras S. C. Concilii rogatus fuerat laudatus Assessor « ut vellet declarare utrum a Congregatione S. Officii, ad vitanda incommoda, admissa unquam fuerit sententia quòd illi qui habitaverint per sex menses in quadam parochia, possint valide in matrimonium uniri a parocho suæ residentiæ quin inquiratur utrum habeant necne animum ibi remanendi. Et si talis sententia non fuerit admissa, quæritur utrum suppletum fuerit per facultatem concessam ad tempus Ordinariis ». Cui postulato litteris suis 26 Januarii 1903 respondit Assessor: « Apud hoc supremum Tribunal nunquam admissa fuit sententia quod illi qui habitaverunt per sex menses in aliqua parochia possint valide contrahere matrimonium sine inquisitione *de animo permanendi*, et ordinationes emanatæ pro aliquo casu Parisiensi fuerunt concessiones particulares et ut tales haberi debent ».

Quapropter jam non poterit quis ex præfata resolutione S. O. 9 Nov. 1898 argumentum ducere in favorem sententiæ de sufficientia habitationis per sex menses sine intentione tamdiu manendi. Quam sententiam Exim. D. Feye, cujus auctoritas in hac materia ab omnibus et meritò magni ponderis est habita, indubitanter asse-

---

(1) Adams, apud period. *Pastor Bonus*, an. 1903, p. 264 sq.; SAGMÜLLER, *Lehrbuch des Kathol. Kirchenrechts* (1902) T. II, p. 379. not. 2; LEHMKUHL, *Theologia moralis*, (1902) T. II, n. 775, nota 2: *videtur ad alios similes casus applicandum.*

rebat in suo magistrali tractatu *De impedim. et dispens. matrim.* (Lovanii 1893, n. 213 et n. 229 in nota); eamque nos ipsi in *Tractatu de legibus* (Brugis 1904, n. 107 nota) adductis argumentis stabilire sumus conati, tanquam abunde seu eminenter satisfacientem requisitis ad quasi-domicilium per instructionem S. C. Inquis. de die 7 Junii an. 1867 (1). Nunc autem, attenta supràcitata declaratione circà mentem ejusdem Congregationis, videtur probabilitas illi sententiæ deneganda, nec jam eam in praxi applicare auderemus. — Equidem sperare licet quod, inspectis difficultatibus quibus non raro locum dare nata est jurisprudentia requirens semper ad quasi-domicilium intentionem manendi in loco per majorem anni partem, huic moderamen aliquod afferetur, occasione novæ codificationis, ut aiunt, legum ecclesiasticarum.

H. Van den Berghe.

IV

Confraternitas sanctæ Missæ Reparatricis.

In epistola quadragesimali anni 1904 *de SS. Missæ Sacrificio* commendavit Ill^s ac Rev^s G.-J. Waffelaert, Episcopus Brugensis, confraternitatem S. Missæ Reparatricis. Hujus associationis, cum pluribus parum sit nota, indolem describere juvat.

Nota historica. Originem hujus confraternitatis (2)

---

(1) Asseveranter quoque scribebat De Angelis de casu quo constat de voluntate non manendi in loco per semestre: « Matrimonium ibi celebratum nunquam habetur ut validum, *nisi sex habitationis menses fuerint præterlapsi;* tunc enim, cum tempus habitationis in quasi-domicilio sit definitum, nempe major anni pars aut semestre, quando hoc expletum est, quasidomicilium est jam contractum (secus ac est in domicilio, in quo tempus est *indefinitum,* hoc est *perpetuum,* saltem in animo seu in proposito habitantis). *Prælect. jur. can.* (Romæ 1880) T. III, p. 96.

(2) Cfr. opusculum: *Sœur Rose et la S. Messe Réparatrice* (prostat etiam flandrice translatum); in abbatia Tongerloæ inveniri potest. Ibidem editur etiam periodicum menstruum confraternitatis, sub titulo *Het H. Misoffer.*

breviter indicat Beringer, *Les indulgences,* trad. Mazoyer, 3e éd. (Paris, Lethielleux, 1905), T. II, p. 147 : « Une humble ouvrière de Paris, une pauvre veuve, devenue plus tard religieuse converse d'une communauté de Norbertines, nommée *Sœur Rose*, se sentit l'inspiration d'employer sa vie entière à ce noble but : *réparer et faire réparer la gloire de Dieu par le sacrifice le plus capable de produire cette réparation.* Ce projet, conçu au pied du saint tabernacle, le 19 Juin 1862, jour de la Fête-Dieu, fut communiqué à quelques âmes pieuses. Elle le goûtèrent et voulurent s'y associer. La dévotion à la *sainte messe réparatrice* était fondée; elle ne tarda pas à se répandre.... Mgr l'évêque de Valence, par l'ordonnance épiscopale du 27 Avril 1886, voulut bien ériger ce pieux exercice en confrérie dans l'église paroissiale de Sainte-Anne, à Bonlieu, près Marsanne (Drôme). Un bref du pape Léon XIII, en date du 24 Août de cette même année 1886, lui conféra avec le titre d'*archiconfrérie*, les privilèges ordinairement attachés à ce titre, c'est-à-dire, le pouvoir d'affilier, dans le territoire *de la France* seulement, toute autre association de même nom et de même but, et de la faire participer à tous les avantages ou faveurs spirituelles qui lui ont été accordés, ou qui le seront dans la suite »....

Variæ archiconfraternitates ejusdem nominis et instituti in variis regionibus erectæ sunt auctoritate apostolica : sic notatim *pro regno Belgarum*, per litteras SS. D. N. Leonis Pp. XIII sub annulo Piscatoris datas die 18 Julii 1890, in ecclesia abbatiali B. M. V. Tongerloæ erecta est *archiconfraternitas sub titulo sanctæ Missæ Reparatricis.*

Indoles et conditiones. Hujus confraternitatis *praxis essentialis* in eo consistit ut fideles ferventes, diebus dominicis et de præcepto festivis, curent alteri Missæ assistere, loco eorum qui Ecclesiæ præcepto satisfacere negligunt, et hoc quidem ex intentione speciali

reparandi injuriam illatam Deo per culpabilem illam omissionem.

Ubi celebratur diebus dominicis et de præcepto festivis una tantum missa vel quando cuipiam physice vel moraliter impossibile est alteri missæ assistere, potest loco alterius missæ institui Sacra Communio vel audiri missa ad eamdem intentionem reparationis decurrente hebdomada. Sodalibus etiam commendatur ut, de consensu sui confessarii, semel in hebdomada vel mense, ultra consuetas Communiones, accedant ad sacram Synaxim; item ut initio missæ vel ante sacram Communionem recitent actum desiderii, qui refertur in folio adscriptionis sodalitati (1).

Conditio unica admissionis est ut nomen inscribatur albo confraternitatis; ubi verò hujusmodi sodalitas non existit, nomen mittatur inscribendum Tongerloam, ubi sedes est archiconfraternitatis pro regno Belgarum.

Indulgentiæ. Juxta breve 15 Julii 1890 et rescripta 21 Februari 1891 et 30 Januarii 1903, sequentes concessæ fuerunt indulgentiæ:

I. *Plenariæ:* A. In die ingressus in sodalitatem. Conditiones: Confessio et Communio. B. In articulo mortis: dummodo sodales confessi ac sacra Communione refecti vel, si hoc sit impossibile, vere contriti, devote invocent ore, sin minus, corde S. Nomen Jesu. C. In festo Compassionis B. M. V. (feria VI post Dominicam Passionis); in feria V in Cœna Domini; in festo Triumphi S. Norberti (Dominica post octavam Corporis Christi) et in festo S. Annæ (26 Julii). Conditiones: Confessio, Communio, visitatio ecclesiæ seu oratorii publici et preces ad intentiones ordinarias.

---

(1) Excitantur etiam sodales ad promovenda opera, quæ inserviunt gloriæ Dei et reparationi injuriarum quæ fiunt SS. Eucharistiæ Sacramento: exemplo sint frequens communio, adoratio SS^{mi}, assistentia laudibus et processioni SS^{mi} Sacramenti etc. Unde erectio hujusmodi sodalitatis esset medium efficax excitandi in parochia cultum Eucharisticum.

II. *Partiales:* 60 dierum, quoties sodales, corde saltem contriti, quodlibet pietatis seu charitatis opus juxta sodalitatis instituta peregerint, quoties v. g. recitaverint actum desiderii de quo suprà.

Patrona principalis archiconfraternitatis est B. V. Maria, stans juxta crucem Jesu; patroni verò secundarii S. Joannes Evangelista, S. Norbertus et S. Anna.

Monitum practicum. Ut rite procedatur ad erectionem dictæ confraternitatis, petatur primò ab Ordinario erectio canonica, qua sodalitas constituatur in esse juridico; deinde aggregatio Archiconfraternitati, qua communicentur privilegia et indulgentiæ: hæc aggregatio postulatur apud nos ab ipsa curia episcopali.

Attendatur sequens restrictio: Non potest aggregari *in eodem loco* nisi una confraternitas ejusdem nominis et instituti (Constit. Clementis VIII *Quæcumque*, 7 Decembris 1604, et decretum S. C. Indulg. 8 Januarii 1861). At præ oculis habeatur derogatio facta constitutioni Clementinæ per decretum S. C. Indulg. 20 Maii 1896, quoad magnas civitates, quæ unam tantum constituunt communitatem: videlicet in casu ordinariis tributa est facultas pro eorum arbitrio et prudentia erigendi plures confraternitates ejusdem nominis et instituti, servata tamen in hujusmodi erectionibus convenienti, eorum judicio, distantia (1).

Hac opportunitate liceat iterum adhortari confratres ad instituendum in parochiis pium opus *Missæ quotidianæ,* quod in laudata epistola quadragesimali instanter commendavit Rev^mus Episcopus Brugensis. Non est confraternitas, sed pium aliquod opus; nulla proinde requiritur formalitas ad illud erigendum. Sufficit inscribere nomina illorum qui volunt se obligare, non tamen sub peccato, ad audiendam quotidie missam vel saltem ad curandum ut aliquod membrum familiæ missam audiat. Hoc opus valde efficax est, ut experientia

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, T. I, p. 470; Beringer, *op. cit.*, p. 17 et p. 38 sqq.

constat, ad promovendam frequentiorem assistentiam SS. Sacrificio Missæ, quæ sane est actus religionis eximius.

H. MAHIEU.

Dissertatio

De tempore quo Actus Apostolorum conscripti sunt.

De tempore quo liber Actuum a S. Luca conscriptus fuerit haud parum hodiedum ambigitur (1). Cùm ad tempus illud definiendum nulla directa (2) prostent argumenta externa seu testimonia, præprimis ex interno libri examine ea omnia colligemus indicia quæ ad dictam ætatem determinandam conferre possunt.

---

(1) Sufficiat indicare sententiam recentiorum auctorum præcipuorum. SCHMIEDEL, *Encyclopædia Biblica*, a. 105-130. JÜLICHER, *Einleitung in das N. T.* Tübingen-Leipzig 1901, a. 100-105. — HILGENFELD, *Einleitung in das N. T.*, circa a. 100. — MEYER-WENDT, *Die Apostelgeschichte*, Göttingen 1899, a. 95-100. — MC GIFFERT, *History of Christianity in the Apostolic Age*, (2a ed. 1900), a. 81-96. — B. WEISS, *Einleitung in das N. T.*, — A. HARNACK, *Die Chronologie der altchristlichen Literatur*, I (p. 246-50): a. 80. — RAMSAY, *St Paul the Traveller and the Roman Citizen*, London 1903 (p. 387), 81-90; — ZAHN, *Einleitung in das N. T.* Leipzig 1900, p. 433 ss. a. 70 80. — RENDALL, *Acts of the Apostles in Greek and English* (1897) p. 12 s., KNABENBAUER, *Comment. in Actus Apostolorum*, Parisiis, 1899, p. 7; — BLASS, *Acta Apostolorum sive Lucæ ad Theophilum liber alter*, Göttingen, 1895, BELSER, *Einleitung in das N. T.* Freiburg i. B. 1901, p 123, BATIFFOL, *Ancienines Littératures chrétiennes*, *La Littérature grecque*, *Paris* 1897, p. 133, — PELOUBET, *The Teachers Commentary on the Acts of the Apostles*, Oxford 1901, p. XXXIV, — LUMBY, *The Acts of the Apostles*, Cambridge 1904, — RACKHAM, *The Acts of the Apostles*, London 1904, p. 4 ss., — ROSE, *Les Actes des Apôtres*, Paris 1905, p. XXX, a. circ. 63-64. — Ancipites hærent plures v. g. SCHMID, *Realencyclopädie für protest. Theol. und Kirche*, T. XI, p. 703; — PLUMMER, *The International Critical Commentary, St Luke*, Edinburgh, 1901, p. XXIX ss.; — TRENKLE, *Einleitung in das N. T.*, Freiburg i. B. 1895, p. 146.

(2) De traditione circa ortum evangelii S. Lucæ dicemus infrà.

1° *Certum est librum Actuum non fuisse editum ante a. 62-63 aeræ nostræ.* Lucas enim narrationem suam perducit usque ad finem circiter illius biennii quod Paulus peregit in prioribus suis vinculis Romanis (XXVIII, 30), quæque incepisse videntur a. 61 æræ nostræ.

2° *Certum etiam videtur, inspectis solis Actis, librum post a. 70, quo evenit clades Hierosolymitana, exaratum non esse* (1). Quod ope argumenti negativi (2) deducitur ex silentio de ista clade, et positive ostenditur e modo quo de Urbe et Templo verba facit.

a/ Si ingentem Judaicæ nationis calamitatem, excidiumque Urbis et Templi cognovisset Auctor, eo tempore quo Actus scripsit, tantum factum, cum libri fine et argumento intime connexum, silentio non præteriisset; eo vel magis quod ejus narratione ostendisset Christi prædictionem quam ipse in evangelio suo refert (XXI, 5 ss.) eventu confirmatam fuisse. Auctor ille qui de prophetia Agabi (XI, 28) loquens ejus impletionem notat, absque dubio obiter saltem notasset finem antiquæ œconomiæ, et prænuntiatam in evangelio suo exterminationem gentis Judaicæ, quæ, ipso teste, Christo credere noluerat ejusque discipulos in Judæa in variis imperii Romani provinciis necnon Romæ tam acriter ac constanter fuerat persecuta. Nonne eventus

---

(1) Lumby, p. XXV; — Belser, p. 123; — Rose, p. XX; — Peloubet, p. XXXIV; — Hillard, p. 2; — Rackham, p. 1. s.

(2) Ut scite scribit clar. P. De Smedt (*Introductio generalis ad historiam ecclesiasticam critice tractandam,* Gandavi 1876, p. 29): Ex silentio alicujus scriptoris tunc valide argui potest adversus veritatem facti (in casu: cladis Hierosolymitanæ tempore scriptionis Actuum) ubi, inspectis conditionibus omnibus loci, temporis aliisque sive ad ipsum factum, sive ad scriptorem pertinentibus omnino judicandum apparet: a/ factum hujusmodi esse ut ab hoc scriptore omnino ignorari non potuerit, et b/ eumdem scriptorem certe de eo facto locuturum fuisse, si illud non ignorasset. Ubi hæc duo manifeste simul adsunt, perinde est factum a scriptore tacere et negari.... et etiam ex unius scriptoris silentio argumentum conficitur. Cf. Bernheim, *Lehrbuch der historischen Methode und der Geschichtsphilosophie,* Leipzig 1903, p. 497.

isti Lucæ apparuissent veluti argumentum divinitus suppeditatum, quo illa summi momenti quæstio de obligatione circumcisionis ac legalium (*Act.* XV, 1 ss.) plane fuisset soluta? Num clariori modo ostendere potuisset — quod ceu scopum in Evangelio et Actis sibi proposuit — omnes homines, etiam Gentiles, ad salutem messianicam fuisse vocatos?

b/ Tantum verò abest ut innuatur dira illa calamitas, ut continuo in Actis sermo fiat de civitate et Templo, cultusque Mosaici cæremoniis, quasi omnia sarta tecta exstarent. Ministerium enim Templi et ritus ad amussim servantur, sacrificia offeruntur, magnis solemnitatibus multitudo ad sanctam civitatem confluit, Scribæ, Pharisæi et Sadducæi easdem partes tenent ac in Evangelio. Porticus Salomonis, turris Antonia, ager Haceldama etc. ut loca exstantia et notissima exhibentur. Synagogæ pro Judæis extraneis Hierosolymi subsistere videntur. Verbo nihil omnino innuit ordinem illum religiosum, ritualem ac politicum clade Hierosolymitana fuisse susdeque eversum.

3° *Quominus Actus post a. 75 — et a fortiori post a. 80 — conscripti dicantur, obstare videtur præterea ignorantia in qua versatur auctor respectu epistolarum S. Pauli.* Plures jam a. 63-64 epistolas Paulus scripserat absente utique Luca, cui idcirco ignotæ fuisse videntur, et quibus tamen, in pluribus, narrationem suam opportune complere potuisset, et juxta methodum (*Luc.* I, 1-4), debuisset. Quamdiu talis ignorantia potuitne apud Lucam perseverare?

Facile admittitur pro a. 63-64, sed improbabilis apparet in scripto a Pauli discipulo a. circiter 80 vel postea edito, et quo magis editionis tempus retardatur, eo magis stringens evadit argumentum ex dicta scriptoris ignorantia deductum. Ad rem notat SEMERIA (1): « Cette ignorance d'un certain nombre de points de

(1) *Revue Biblique* 1895, p. 335.

la vie de Paul expressément rappelés dans ses lettres, rapprochée de la connaissance de beaucoup d'autres, nous met en présence d'un homme qui connaissait S. Paul, sans connaitre ses lettres. Un disciple personnel de l'Apôtre pouvait seul se trouver dans de telles conditions. Un auteur postérieur, ne fût ce que de 30 à 40 ans, n'aurait pu ignorer des lettres répandues presque toutes alors dans les principales églises. Et les connaissant, il s'en serait servi, il aurait suppléé ainsi à sa propre ignorance; en admettant même que par distraction ou de propos délibéré, il ait omis certains éléments, il n'aurait certainement pas donné à son récit cette couleur qui tranche parfois assez catégoriquement sur celle des lettres, comme par ex. à propos du concile de Jérusalem. Au contraire, un disciple de Paul, comme nous apparait l'auteur des Actes, c.-à-d. un compagnon par intervalles de l'Apôtre, un tel disciple, dis-je, ne devait avoir lu aucune de ses épitres ou à peu près ».

Eodem modo Auctores quidam (LUMBY p. XXVI) arguunt ex silentio Actuum de nascente *Gnosticismo;* quæ ratio, attenta maxime prædictione Pauli *Act.* XX, 29-30, non omni vi probandi destituta est.

4° *Probabilius nobis videtur, attento Actuum libro, eum editum non fuisse post a. 64 seu post persecutionem Neronianam.* Quod erui posse videtur ex eo quod Lucas ne verbulo quidem alludat ad Urbem incendio deletam, et maxime ad cruentam persecutionem post incendium contra christianos motam ; e contrario autem Romanam potestatem benevolo animo in christianos affectam constanter exhibet (1).

a/ Primis temporibus, religio christiana ut secta quædam Judaica, adeoque ut religio licita, semper habita

(1) Hoc punctum aliquatenus evolvendum ducimus, eo vel magis quod occasionem præbeat exponendi juridicam conditionem christianismi in imperio Romano, cujus ditioni Palæstina variæque provinciæ in quibus, testantibus Actis, propagatum est Evangelium, subditæ erant.

fuit: imperio Romano apparuerat « sub umbraculo insignissimæ religionis (Judaicæ) certe licitæ » (1). Anno autem 64 Roma quoad majorem partem deleta est incendio, cujus a plebe accusatus est Nero qui, ut hunc rumorem aboleret, instigantibus probabiliter Judæis, crimen convertit in christianos quorum « ingens multitudo » correpti et, ob religionem qua « genus humanum odisse » censebantur, damnati et exquisitissimis pœnis ac ludibriis affecti sunt (2). Mox autem, secta perseverante, a senatu et imperatore latum est edictum generale sub pœna capitis « non licere esse christianos ». Quæ lex, licet non semper et ubique de facto executioni mandata, in vigore tamen quoad substantiam usque ad s. III permansit (3).

Quæ juridica immutatio, attento præsertim S. Lucæ scopo, tanta fuit ut difficile concipiatur auctorem ab illa ejusve causa narranda vel saltem obiter innuenda penitus abstinere potuisse.

b/ Imò, tantum abest ut S. Lucas ullo verbo ad cruentam persecutionem Neronianam alludat vel Romanorum potestatem christianæ religioni infensam fuisse ullibi innuat, ut potius eam erga christianos benevole

---

(1) Tert. *Apol.* XXI.

(2) Tacit. *Ann.* XV, 44.

(3) Hanc sententiam contra opiniones multorum (præsertim Th. Mommsen, *Der Religionsfrevel nach römischen Recht*, Historische Zeitschrift, 1890, pp. 389-429; Ramsay, *The Church in the Roman Empire before 190*, London 1893; A. Harnack, art-*Christenverfolgungen* in *Realencyklopädie für protest. Theol. w. Kirche*, T. III, pp. 823-828; J. E. Weiss, *Christenverfolgungen, Geschichte ihrer Ursachen im Römerreich*, München, 1899, K. Neumann, *Der Römische Staat und die allgemeine Kirche*, T. I, Leipzig, 1890 etc.) tenent nonnulli, et novissime probavit præsertim C. Callewaert, *Les premiers chrétiens furent-ils persécutés par édits généraux ou par mesure de police* (R. H. E. T. II, 1901 et T. III, 1902); *Questions de droit concernant le procès du martyr Apollonius*, (Revue des Questions historiques, T. LXXVII, 1905, pp. 349-375, præs. 373 ss.) collatis et aliis ejusdem Auctoris articulis in *Revue des Questions Historiques*, an. 1903 et 1904 et *Revue d'histoire et de littérature religieuses*, 1902 et 1903. — Probe notandum est Auctores qui censent persecutionem Neronianam non factam esse de jure universalem, opinari tamen christianos etiam extra Urbem in nonnullis locis vexationibus exagitatos fuisse.

dispositam perhibere videatur. Quod clare elucet e modo quo varias S. Pauli causas coram magistratibus Romanis actas enarret.

S. Pauli adversarii nihil intentatum reliquerunt ut ejus condemnationem a Romanis judicibus apud quos eum vocare poterant, quod novam prædicaret religionem monotheisticam, impetrarent. Attamen a nullo judice, neque a magistratibus Philippensibus (XVI, 19-39), neque a Gallione (1) proconsule Achaiæ (XVIII, 12-16), neque a procuratoribus Palestinæ Felice (XXIV, 1-26) ejusque successore (2) Festo (XXIV, 27-XXV, 32) tanquam christianus condemnatus fuit (3). A Festo, suadente Agrippa, dimissus fuisset « si non appellasset Cæsarem » (XXVI, 32). Cùm autem Romam venisset Paulus, captivus magna cùm indulgentia habitus est (XXVIII, 16), et, consciis Romanis, constanter Evangelium Dei prædicavit « cum omni fiducia (libertate) sine prohibitione » (XXVIII, 31). An his verbis laudatoriis scribendi finem fecisset Auctor saeviente jam persecutione Neroniana, vel etiam ea finita, in qua utique Paulus martyrium perpessus est?

Paulus a Cognitione imperiali absolutus et libertate donatus labores apostolicos reassumpsit usque dum post incendium urbis, vi decreti Neroniani, quod directe et diserte religionem christianam proscribebat, in custodiam traditus et capitis damnatus fuerit (4).

Præterea ipse libri tonus, uti aiunt, et diversa quæ in eo reperiuntur ministeria ac munera ecclesiastica narrationem fundatæ Ecclesiæ omnino vicinam suadere

---

(1) Judæi quidem delictum religiosum allegant XVIII, 13. Gallio autem respondet v. 15: « Si vero quæstiones sunt de verbo, et nominibus et lege vestra, vos ipsi videritis; judex horum ego nolo esse ».

(2) Apud utrumque Paulus fatetur se novam religionem prædicare; a neutro tamen condemnatus fuit.

(3) Ubi punitur S. Paulus v. g. XVI, 20 ss., ut causa allegantur turbæ et seditiones occasione prædicationis exortæ. Punitur autem non potestate judiciaria, sed jure coercitionis.

(4) Cf. C. Callewaert, *Les premiers chrétiens et l'accusation de lèse-majesté.* (Revue des Questions historiques, T. LXXVI, p. 14 ss.).

apparent. Quibus tamen indiciis plus æquo inhærere nolumus.

5° *Liber Actuum editus videtur a. 63-64.* Hæc conclusio, sequitur ex præcedentibus et confirmatur ex ipso Actuum fine.

Inter varias enim quæ de modo quo Lucas opus suum finierit propositæ fuerunt sententiæ, ea sola veluti plana arridet et probanda videtur quæ tenet auctorem finiente captivitate Romana narrandi finem fecisse, quia eo ipso tempore narrationem conscripsit.

Quodsi enim quæritur : cur Lucas, qui statuit narrare quomodo Evangelium, juxta Christi promissionem, « usque ad ultimos fines terræ » ab Apostolis prædicatum fuerit, narrationem suam biennio captivitatis Romanæ S. Pauli abrupit? — patet planum ac naturale responsum : quia de Evangelii propagatione et de Apostolorum fatis jam nihil narrandum habebat. Finis narrationis coincidit cum tempore quo Actus editi fuerunt.

Si autem post liberationem et maxime post mortem Pauli Lucas scripsisse perhibetur, statim plures eæque, attentis scopo ac narrationis indole, haud spernendæ difficultates oriuntur.

Etenim quomodo Lucas qui ipso suo libro varias causas judiciales contra Paulum actas earumque exitum narravit, hoc ultimum judicium coram Cæsare habitum silentio præterire potuisset? Hoc eo vel minus fecisset, quod Pauli ad Cæsarem appellationem exponit, iter ejus Romanum et vincula, quæ omnia causæ Romanæ viam paraverunt. Num forsitan Pauli absolutio, coram ipsa Imperatoris cognitione impetrata, auctori notatu parum digna videbatur et ad scopum parum apta?

Quomodo præterea omisisset reliqua Pauli a vinculis liberati itinera apostolica (1) præprimis autem iter ejus Hispanicum (2), ejusque martyrium?

---

(1) Cf. Epistolas *pastorales* dictas.

(2) In quod admittendum jam plures AA. propendunt.

Opinati sunt quidam, inter quos eminet Zahn, (1) mentem fuisse Lucæ ut tertium quemdam librum exararet in quo reliqua protoapostolorum gesta historiamque propagatæ religionis christianæ longius perduceret. Hujusmodi hypothesis tamen gratis non est admittenda. Argumenta autem quæ affert Zahn ad dictum scriptoris propositum stabiliendum, desumuntur imprimis ex proœmio evangelii S. Lucæ I, 1-4. Ibi plura putat latere indicia quæ suadeant hoc proœmium velut præfationem esse ad evangelium, ad Actus necnon ad tertium istud scriptum forsan nunquam exaratum. Verùm hujusmodi indicia rem nullo modo conficiunt, uti videre est apud *Coll. Brug.* IX, p. 155 ss. coll. p. 490, n. 4. (2) Contrà satis constat proœmium istud solum introducere Evangelium.

Etenim testatur Lucas Ev. I, 1-4 se non fuisse testem oculatum rerum « quæ in nobis completæ sunt » quasque « assecutus omnia a principio diligenter ex ordine scribere » intendit. Diserte profitetur se idem consilium prosequi quod multi perficere conati sunt, nempe « ordinare narrationem » rerum quas « tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis ». Quæ omnia quidem in historiam evangelicam, minime vero in Actus ac multo minus in sequentem Ecclesiæ historiam quadrant (*Coll. Brug.* IX, p. 155 ss.).

Neque verba *Act.* I, 1: τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην sententiam Zahn stabilire valent, quasi auctor, græcitatis classicæ haud ignarus ut Lucas, formam πρότερον adhibuisset, si tertium librum conscribendum non cogitasset. Etenim πρῶτος in græcitate recentiori, et in specie in græcitate N. T., « primum ex duobus » significare potest (3).

*
* *

(1) II, p. 363, 368 ss., 389 ss.
(2) Cf. Schmid, *o. c.*, p. 695.
(3) *Coll. Brug.* IX, p. 490 s ; — Cf. tamen Ramsay, p. 27 s.

Varia igitur indicia in ipsis Actis reperta librum a. Circ. 63 fuisse exaratum mira consensione suadent. Attamen cùm liber Actuum sit « alter sermo » adeoque τὸν πρῶτον λόγον seu III Ev. præsupponat, inquirendum manet utrum traditio circa ortum evangelii S. Lucæ isti conclusioni consonet, necnon prius hoc scriptum tùm in se, tùm in sua cùm reliquis evangeliis connexione spectatum, nulla suppeditet argumenta quæ statutam conclusionem infirmare vel etiam evertere videantur.

(Continuabitur).

A. Camerlynck.

E S. Congr. Concilii

Dubia circa Decretum de observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione.

I

Beatissime Pater,

P. Pancratius Pfeiffer, Procurator Generalis Societatis Divini Salvatoris, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus humillime exponit:

Societas Divini Salvatoris quotannis magnum numerum recipit S. Missarum, quibus ipsa per suos sacerdotes persolvendis impar esse solet. Hucusque Societas fruebatur privilegio, quo obligationibus Missarum persolvendarum, exceptis Missis urgentibus, infra sex menses satisfacere posset; quas vero per suos sacerdotes celebrare non poterat, eas tradere sibi liceret S. Congregationi Visitationis Apostolicæ cum stipendio reducto unius libellæ, tradita quarta parte harum Missarum cum stipendiis suis integris. Cum Societas, quæ indiget quam maxime auxilio amicorum et benefactorum, Missas per litteras plerumque oblatas sine gravi incommodo et damno refutare nequeat, humilis Orator enixe supplicat:

I. Ut præfata Societas etiam in posterum quasvis Missas accipere possit etiamsi prævideat futurum esse ut per suos sacerdotes eas celebrare nequeat.

II. Ut obligationibus S. Missarum infra tres menses satisfacere possit, exceptis urgentibus et iis, quas accepit statim persolvendas.

III. Ut attestatio Missarum acceptarum, licet nondum persolutarum, a Societate scripto data, Societatem ipsam ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevet.

IV. Denique supplicat idem humilis Orator, ut Societas SS. Missarum partem aliquam a Sancta Sede statuendam in utilitatem Collegii Mariani Romani ejusdem Societatis retinere possit.

Die 27 februari 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres, vigore facul-

tatum a Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X sibi tributarum, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad. I. *Affirmative*, vetita tamen studiosa collectione, ita nempe ut accipere possit Missas sponte oblatas, minime vero ab Episcopis aut sacerdotibus eas quærere.

Ad II. Pro gratia juxta petita.

Ad III. Pro Missis S. Sedi, Episcopis diœcesanis aut Superioribus Generalibus Ordinum seu Congregationum Religiosarum datis, *affirmative*. Pro Missis privatis sacerdotibus commissis *negative*, et servetur dispositio Decreti *De Observandis*.

Ad IV. Pro gratia retinendi duas pro singulis centenis.

Præsentibus ad quinquennium valituris.

L. ✠ S. CARD. VINCENTIUS, Ep. Prænest., *Præfectus*.
Cajetanus DE LAI, *Secretarius*.

Adnotatio.

Ad 1m. In articulo 1° Decreti *Ut debita* expresse vetatur Ordinario diœcesano et Prælato regulari plus missarum quærere et accipere quam per se vel *per sacerdotes sibi subditos* celebrare probabiliter valeant, infra temporis legalis terminos. Hic autem permittitur Societati SS. Salvatoris missas accipere etiam quas prævideat non posse *per suos sacerdotes* tempestive exonerari, modò illæ missæ studiose non quærantur nec colligantur sed sponte tantùm oblatæ accipiantur.

Etiamsi id per modum indulti censeatur concessum, inde tamen apparet mentem esse S. Congregationis ut non stricte interpretur ac urgeat tenorem dicti articuli primi ac prohibitionem ibidem inductam, solamque potissimum proscribere intendat *studiosam* missarum quæsitionem, *data opera* peragendam, in sensum superius expositum apud *Collat.*, IX, p. 601-602.

Ad 2m. Derogatur hic articulo 2° generalis Decreti circa temporis legalis determinationem, de qua cf. *Collat.*, IX, p. 603 et seq., et indulgetur, in gratiam prælaudatæ Societatis, spatium trium generatim mensium, ut missis acceptis satisfiat, exceptis urgentibus et iis quas accepit statim persolvendas.

Ad 3m. Juxta articulum 6m Decreti, ab omni obligatione eximuntur sacerdotes qui missas committunt celebrandas proprio Ordinario aut S. Sedi, dum contrà, si aliis sacerdotibus transferuntur, manet translator susceptæ obligationi obnoxius donec exonerationis attestationem sit assecutus. Cf. *Collat.*, IX, p. 664.

Pariter, sic innuente tenore art. 7i Decreti, et sic aperte declarante S. Congr. Concilii, die 27 Sept. 1905, apud *Collat.*, X, p. 321, ipsi Ordinarii dicto privilegio fruuntur pro missis quas aliis Ordinariis celebrandas tradiderint, firma remanente obligatione, quotiescumque eas commiserint sacerdotibus.

Porro proprio nomine *Ordinarii* hic veniunt, juxta ejusdem S. Congregationis delarationem diei 27 Febr. 1905, Episcopi et Prælati regulares, seu Superiores Ordinis stricti dicti, sive generales sive etiam locales, quibus æquiparantur Superiores Instituti a jurisdictione episcopali exempti (1).

Jamvero, sub 3io præsentis responsi, privilegium applicatur missis quæ transmittuntur ad Superiores *Generales* cujuscumque Congregationis religiosæ, quæ non sit Ordo stricte dictus nec Institutum exemptum. Quæ extensio, si non est per modum declarationis facta (2), saltem ostendit S. Sedem in hoc inclinari ut, in ordine ad præsentis privilegii fruitionem, æquo gradu habeantur omnes superiores religiosi.

Ad 4m. En jam specimen indulti derogantis legi, in articulis 9o et 11o Decreti *Ut debita* providè statutæ, contra imminutionem stipendii etiam in favorem cujuscumque boni operis. Hisce nempe permittitur Societati SS. Salvatoris ut ex eleemosynis missarum *duæ* partes pro centenis retineantur in utilitatem Collegii Mariani Romani ejusdem societatis.

*
* *

(1) Cf. N. R. th., 1905, p. 333-335.

(2) Cf. in varium sensum N. R. th , 1905, p. 335-336 ; R. th fr., 1905, p. 354 ; VERMEERSCH, *De Religiosis-Periodica*, 1905, p. 135-137 ; *Collat. Namurc.*, 1905, p. 62.

II

Die 18 Martii 1905, S. Congr. Concilii Archiepiscopo Tarraconensi alterum concessit indultum, ad quinquennium valiturum, retinendi *tria* pro centenis ex stipendiis collectis et sacerdotibus distribuendis. Nimirum mos ibidem invaluit ut sacerdos præponeretur missarum collectioni earumque distributioni, hac lege ut retinerentur *quinque* pro centenis, prætextu laboris impendendi ac eum etiam in finem ut expensis provideretur et jacturæ pecuniæ. Cf. *Causam* latius expositam apud *Canon. Contemp.*, 1905, p. 405-406.

*
* *

III

Die 8 Maii 1905 decrevit eadem S. Congr. Episcopum posse prohibere quominus sacerdotes missas manuales cum eleemosyna taxa synodali inferiori a diœcesanis recipiant, atque hujusmodi statuto, ubi ferri contingit, a sacerdotibus regularibus non secus ac a sæcularibus esse standum. Tenorem hujus decreti exhibent *Analecta ecelesiastica,* 1905, p. 285; cf. etiam *Rev. th. fr.*, 1905, p. 590-593.

*
* *

IV

Causa Cadurcen. (1)

Hæc causa, soluta die 17ª Junii 1905, spectat notissimum sanctuarium, vulgò Roc-Amadour, ubi praxis existit sequens: omnes eleemosynæ missarum in unum congeruntur et in eamdam capsam mittuntur indiscriminatim, ea lege ut quicumque stipendium erogaverit partem habeat in omnibus missis per totum annum in laudato sanctuario celebratis a quinque capellanis ecclesiæ adscriptis.

---

(1) Exponitur causa unà cum *Voto* Consultoris apud *Analecta,* 1905, p. 240-243.

Porro numerus missarum quæ celebrantur mediam ferme partem attingit missarum quæ, oblato stipendio, petuntur, adeo ut summa relinquatur excedens, quæ adhibetur ad succurrendum inopiæ tum sanctuarii, tum signanter capellanorum vicinas paræcias evangelizantium. Cæterum stipendia elargientes prævie monentur ope cartulæ in ingressu ecclesiæ affixæ.

Quæ praxis rursus contradicit articulis 9° et 11° Decreti *De observandis*, proscribenti stipendii detractionem quamcumque, nisi de speciali S. Sedis venia; nec valet invocatus oblatorum consensus hanc praxim ex integro legitimare, cum non sufficienter spontaneus videatur, ut advertit ipse Consultor in *Voto*, siquidem fideles descriptæ conventioni acquiescere debent vel missæ valedicere in optato sanctuario celebrandæ.

Attamen, attentis peculiaribus adjunctis et singulari inopia sanctuarii ejusque custodum, attentisque supplicibus precibus Episcopi Cadurcensis (Cahors), concludendum censuit Consultor quod « si praxis in casu sustineri nequeat in via juris, saltem tolerari possit pro gratia ». Eminentissimi autem Patres rescripserunt: *Ad mentem;* quocirca notat *Rev. th. fr.*, 1905, p. 597: « Cette *mens* n'a pas été publiée et nous ne la connaissons pas. Il est permis de penser que l'autorisation sollicitée aura été accordée, et qu'on y aura ajouté quelques restrictions, destinées à assurer la pleine publicité de la convention, la liberté des fidèles, et peut-être aussi à diminuer dans une certaine mesure l'excédant d'honoraires qui en résultait relativement aux messes célébrées dans le sanctuaire ».

*
* *

V

Causa Bambergen. (1)

Hæc tandem causa attingit controversiam etiam in

(1) Cf. *Analecta*, 1905, p. 243-244.

nostris regionibus non raro agitatam. In archidiœcesi nempe Bambergensi existit indultum, vi cujus « omnes dictæ archidiœceseos sacerdotes, ob horum penuriam binando celebrantes, pro secunda missa stipendium accipere et illud in favorem seminarii puerorum Archiepiscopo tradere possent; ac ut idem liceret parochis et curatis pro celebratione diebus festivis a Pio VI suppressis, quo etiam in casu dicta stipendia Archiepiscopo in favorem seminarii diœcesani essent tradenda ».

Quæsitum est autem « utrum sacerdotes privilegio dicto utentes, etiam in casu quo missam cum cantu celebrent, teneantur integrum stipendium inde perceptum tradere; an ipsis liceat taxam diœcesanam tantum pro missis lectis normatam tradere, reliquam autem stipendii partem, ut remunerationem majoris laboris pro missis cantandis erogatam, pro se retinere ».

Porro auditis argumentis a Consultore adductis pro utraque solutione, una retentioni favente altera eam reprobante, rescripsit S. Congr. Concilii, die 17ª Junii 1905: « communicetur Archiepiscopo resolutio diei 11ª Martii 1879 ». Hæc autem resolutio, data ad dubium simile nostro propositum, sic sonat: « negative, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynæ oblatum fuisse intuitu personæ, vel ob majorem laborem aut incommodum ».

In locis igitur in quibus moraliter certò constat stipendium celebranti obveniens pro missa cantata augeri præcise ratione cantus et laboris inde resultantis vel, si serius celebratur, ratione horæ tardioris, non foret improbanda praxis, si aliunde nihil obstat, excessum peculiari illi labori correspondentem retinendi in casu, sola relicta taxa synodali in bonum opus eroganda. Et sane tituli illi ipsi celebrationi missæ sunt extrinseci ab eaque distingui possunt suntque pretio æstimabiles, ac proinde potest pars eleemosynæ hujusmodi titulis correspondens separari a proprie dicto stipendio ipsius missæ.

Dicitur: « si aliunde nihil obstat », et sic in diœcesi Brugensi, licet ægre negetur stipendia missæ cantatæ ibidem majorari ratione cantus laborisque ei adnexi, non licet, attento tenore indulti, prouti illud clero suo communicavit Episcopus vivæ vocis oraculo acceptum (1), non licet, inquam, operi scholari detrahere partem stipendii pro missa cantata accepti, sed omne quod celebranti obvenit ex integro est erogandum, solis exceptis missis quibus adnexum est *jus stolæ*, quales sunt missæ exequiales et nuptiales.

A. De Smet.

(1) Cf. *Collat.*, VI, p. 494, collato tomo III, p. 464.

Decretum Commissionis Pontificiæ de re Biblica

Proposito sequenti dubio Consilium pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur:

DUBIUM

Utrum admitti possit tanquam principium rectæ exegeseos sententia quæ tenet S. Scripturæ libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter, sive ex parte, non historiam proprie dictam et objective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiæ præ se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum?

Resp.: Negative, excepto tamen casu, non facile, nec temere admittendo in quo, Ecclesiæ sensu non refragante, ejusque salvo judicio, solidis argumentis probetur Hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et forma historiæ, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere.

Die autem 23ª junii A.-C. in Audientia ambobus Rmis Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus prædictum « Responsum » ratum habuit ac publici juris fieri madavit.

Fr. DAVID FLEMING, O. M.
Consultor ab Actis.

Adnotationes. Hic videtur, salvo meliori, esse sensus decreti:

1. Per se præsumi non potest hagiographum non historiam proprie dictam et objective veram quandoque narrare. Præsumptio potius stat in favorem indolis historicæ librorum S. S.

2. Non tamen absolute negatur fieri posse ut libri sacri aliquando sub specie et forma historiæ parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponat.

3. Exceptio non potest facile et temere admitti : debet in casu particulari probari *solidis argumentis.* Hæc argumenta in specie non indicantur nec ullum, uti v. g. comparatio textus biblici cum documentis profanis coævis, excluditur. Imò, hæc comparatio eo vel minus rejici posse videtur ad genus litterarium libri cujusdam definiendum, quod auctores inspirati libros suos juxta mores litterarios suo tempore et in sua regione vigentes exaraverint.

4. Exceptio admitti tantum potest, *salvo judicio Ecclesiæ*, et non potest teneri de libro vel parte libri quæ « *Ecclesiæ sensus* » velut historiam stricte dictam interpretatur. Verùm verba « Ecclesiæ sensus » eodem modo accipienda arbitramur (1) quo Conc. Trid. (Sess. IV, *De edit. et usu SS. Libr.*) statuit « in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium » S. Scripturam non posse quemquam interpretari « contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ». Ibi igitur sensus Ecclesiæ refragaretur, ubi explicita vel implicita declaratio authentica Ecclesiæ, vel Patrum consensus librum ejusve locum in sensu proprie litterali seu historico interpretarentur, eumque *ut talem*, i. e. ut stricte historicum, ad fidem moresve pertinere æstimarent (2).

A. Camerlynck.

---

(1) Idem jam observavimus in adnotationibus ad decretum circa *Citationes implicitas, sup* p. 448, Cf. *Nederlandsche Katholieke Stemmen,* Swolle 1905, p. 290 s.

(2) Quam restrictionem « in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium » non sine ratione repetiit Conc. Vatic. (Collectio Lacensis, Friburgi, VII. c. 240), ut notat Cornely, *Introd. in U. T. libros sacros* V. I, Parisiis 1885, p. 910 s.

Consultationes

I

Q. Utrum legitima sit ratio agendi Sacerdotis, qui in die Nativitatis Domini tres missas applicat animæ, pro qua Tricenarium Gregorianum celebrandum accepit?

R. Negative, quia jam non servatur indoles propria Tricenarii Gregoriani. Hoc enim non consistit in celebrando triginta missas, sed in celebrando missam *per triginta continentes dies* (S. C. Indulg., 15 Martii 1884). S. Gregorius Magnus aperte dicit in *Dialogorum* Lib. IV, c. LV (cit. *suprà*, p. 442) « *diebus triginta continuis* offerre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies.... »; item decr. cit. S. C. Indulg. declarat piam et rationabilem esse fiduciam, qua fideles retinent celebrationem missæ *per triginta continentes dies* uti specialiter efficacem, et decreto 14 Januarii 1889 ad 4m definit missas esse celebrandas *diebus triginta continuis sine interruptione*. In casu autem proposito celebrantur quidem triginta missæ, sed tantum per viginti octo dies continuos (1).

II

Q. Legitur apud P. Lehmkuhl, *Theologia moralis*, vol. II, n. 558 (ed. 10a, 1902), in privato exercitio viæ crucis requiri ut quilibet « ad quamlibet stationem breviter meditetur seu recolat passionem Dominicam, scil., *ut videtur, partem illam passionis, quæ stationi juxta consuetam et antiquitus introductam repræsentationem 14 stationum respondeat* ». An necessario, ad lucrandas indulgentias, requiritur meditatio passionis repræsentatæ in singulis stationibus Viæ Crucis?

R. Nonnulli Auctores affirmant, inter quos P. Lehm-

(1) Cfr. *suprà*, p. 442 sqq ; *Rev. théol. fr.*, T. IX (1904), p. 182 sq.

kuhl, *l. cit.;* provocant ad decr. S. C. Indulg. 16 Februarii 1839 (non 1869, ut ponit P. Lehmkuhl), ad 1m: « An Indulgentiæ concessæ visitantibus Viæ Crucis Stationes, datæ sint ob Christi Domini Passionis meditationem contemplandam in genere, an vero taxative pro meditatione illarum Stationum quatuordecim, quæ a fidelibus generaliter cognoscuntur »? — S. Congr. respondit « negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam ». At advertendum est hoc decretum, quod refertur apud Prinzivalli, *Resolutiones seu Decreta authentica* S. C. Indulg. (1862), non fuisse insertum recentiori collectioni authenticæ (1883); deinde responso citato non definiri necessitatem meditationis singulis mysteriis quatuordecim stationum correspondentis, quæ necessitas expresse excluditur eodem decreto ad 3m.

Contra illos Auctores censemus *non requiri* ut meditatio fiat supra singulis mysteriis, quæ in quatuordecim stationibus repræsentantur. Hoc constat ex *Monitis* VI et IX, quæ ponuntur apud *Decreta authentica* (1883), n. 100: « *Sufficit meditari, quantumvis breviter, Passionem Domini*, quod est opus injunctum ad lucrandas sacras Indulgentias »…. Idem confirmatur ex *Raccolta* (ed. 1898), p. 126, ubi dicitur requiri ut fideles « *meditentur passionem* divini nostri Redemptoris Jesu Christi secundum propriam capacitatem ». Ceterum præsumptio habetur pro hac sententia negante ex hoc quod ad lucrandas indulgentias viæ crucis « minime requiratur tabularum erectio » (*Decr. auth.*, n. 258), neque imagines sint necessariæ (n. 275, ad 1m) (1).

Sane omnino convenit indoli hujus exercitii, ut singillatim considerentur imagines, quæ ad singulas stationes exhiberi solent, et ad hoc merito inducuntur fideles.

H. Mahieu.

---

(1) Cfr. Beringer, *Les indulgences*, 3e éd. (1905), T. I, p. 397; Mocchegiani a Monsano, *Collectio indulg.* (1897), n. 1229.

Libri dijudicantur.

A. Vermeersch, S. J. **Méditations sur la Sainte Vierge** *à l'usage du clergé et des fidèles*. T. II. *Samedis. Partie supplémentaire*. Bruges, Beyaert, 1905. In-18, XV-500 p. Prix : 3 fr. les 2 vol.

Ce second volume des *Méditations sur la Sainte Vierge* mérite les mêmes éloges que le premier (*suprà*, p. 513). Il contient la troisième partie : *Méditations pour les samedis*, et une partie supplémentaire. Ces méditations sont écrites pour cinquante-trois samedis et embrassent, peut-on dire, toute la mariologie : l'auteur expose en trois sections *les grâces*, *les vertus et les gloires* de la Mère de Dieu. Cet exposé, à raison de son caractère théologique, s'adresse principalement aux prêtres ; il nous semble cependant qu'il serait utile de le mettre entre les mains des laïques instruits : que de catholiques, trop peu au courant des choses de la foi, ne possèdent de la Sainte Vierge qu'une idée insuffisante et lui rendent des hommages, dont ils ne pénétrent ou ne soupçonnent même pas la raison intime !

La *partie supplémentaire* comprend trois sections : I. *Méditations sur le Saint-Esprit*, pour la neuvaine préparatoire à la Pentecôte, pour la fête elle-même et son octave ; II. *Méditations pour plusieurs fêtes mobiles :* pour le Patronage de Saint Joseph, les fêtes de l'Ascension et de la T. S. Trinité, pour la Fête-Dieu ; III. *Méditations pour les cinq dimanches et la fête de S. Jean Berchmans*. Cette dernière section nous a paru remarquable à tous égards.

H. Mahieu.

***

Kanonik De Weerdt, S. T. L. — **Onderwijzingen over de Christelijke Leering naar den Mechelschen Catechismus**. Tweede deel, Mechelen, Paul Ryckmans, 1905.

Hæc est secunda pars egregii operis quod suprà, p. 518, commendavimus : quas primæ, easdem et se-

cundæ parti tribuimus laudes, tum de claro et congruo sermone, tum de alta ac ampla doctrina.

Unum tamen vel alterum minus rectum occurrit quod ad lectorum utilitatem breviter hic notamus. Quum A. (p. 35) determinet quænam sit materia tum gravis, tum levis, furti (qui numeri non ubique prudenter citarentur) opportune adjunxisset minora furta, quorum singula peccatum mortale non sunt, propter repetitionem et multiplicationem fieri posse gravia (1).

P. 72, in nota, scribit A. « *Hoeveel* mag men in de collatie nemen? Wij mogen er die hoeveelheid spijs gebruiken, welke, ingezien den duur van den vasten, onze meerdere of mindere krachten en onze werkzaamheden, vereischt is om ons het *vasten mogelijk* te maken, en te beletten dat wij er onze *gezondheid* door benadeelen ». Hoc assertum tamquam regula non valet ad determinandam *quantitatem* ciborum quæ sumi potest ne frangatur jejunium : si enim quis velit observare jejunium sed, viribus ejus inspectis ac labore, tantum manducare debeat in collatione ut hæc evadat vera *refectio*, jam frangitur jejunium, cujus essentia in hoc consistit quod *unica* tantum in die sumatur refectio.

Legitur p. 258 : *De haat van God*, de grootste der zonden tegen den H. Geest, is hier niet genoemd, omdat elke zonde tegen den H. Geest dien haat bevat ». Hoc accuratum non est : odium enim Dei, in quantum est *speciale* peccatum et maximum, absolute loquendo, omnium omnino peccatorum, non includitur in singulis peccatis contra Spiritum Sanctum ; nec hoc asserit S. Thomas in II-II^æ, Q. XXXIV, a. 2 ad 1.

Opportuna valde necnon et aptissima est expositio quam tradit A. de cæremoniis adhibitis in administratione Sacramentorum et oblatione Sacrificii Missæ : e quibus deducuntur consilia practica quibus se disponant Christiani ad fructuosam Missæ assistentiam et receptionem Sacramentorum. — Ut opus cl. Auctoris longe lateque diffundatur ex corde optamus.

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De Justitia*, T. II, n. 318 et s.; Lehmkuhl, *Theologia moralis*, T. I, n. 932.

Collationes Brugenses

De Nativitate Domini

Quædam meditationes seu contemplationes devotissimæ (1).

De nativitate ac paupertate Domini Jesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, ex patre, patris unice, qui solus ante principium natus

(1) Excerptæ sunt ex vetere libello (incunab.) anonymo, cui titulus: *De vita et beneficiis Salvatoris Jesu Christi devotissimæ meditationes cum gratiarum actione,* sine indicatione temporis, loci, typographi; idem opusculum postea inveni publici juris factum recentius a M. J. Pohl, (Friburgi Brisigavorum, sumptibus Herder, 1902), qui auctorem illius vindicat esse Thomam a Kempis, argumentis sane probabilibus. Dubium aliquod ex eo remanere videtur, quod nullum hucusque inventum putemus exemplar nomine Thomæ a Kempis inscriptum, sive manuscriptum, sive impressum ante sæculum XVII^m, cum aliqua antiquiora aliud nomen inscribant; quod apud ipsos quoque qui seriem operum dictæ Thomæ contexuerunt aut ediderunt nostrum opusculum haud raro desit, ut apud Georg. Pirckamer Carthus., *Opera et libri vitæ fratris Thomæ de Kempis,* a. 1494, Nuremb. per Caspar. Hochfeder; apud Sommalium, cum in edit. a. 1607 Operum omnium Thomæ Malleeli a Kempis nostrum opusculum fuisset insertum, in editione a. 1615 jam non comparet, quam secutus etiam est Eusebius Amort; similiter in bene multis codicibus aliquam seriem operum exhibentibus, in celebri quoque autographo Thomæ, Bruxellensis bibliothecæ abest idem libellus. Attendendum præterea est, ubi occurrit in aliqua serie operum contexta titulus de vita, passione, resurrectione Domini, utrum de Thomæ sermonibus seu meditationibus ac orationibus de hac materia aliis jam notis, utrum vero de nostro opusculo agatur. Tandem haud inusitatum est antiquis, cum seriem se contexere operum alicujus auctoris annuntiant, aliorum quoque libros seu tractatus inter illa miscere, ut supracit. Pirckamer contigit, qui cum in prima pagina: *Tituli operum librorum venerabilis patris Thomæ de Kempis ordinis canonicorum regularium,* ponat primo loco: *De imitatione Christi* etc. statim secundo loco subjungit: *De meditatione cordis Johannis Gerson* et deinde pergit enumerare alios 20 numeros ad Thomam Kempensem spectantes, interjecto rursum aliquo anonymo: *Aliqua notabilia de conversatione Thomæ a Kempis.* Quidquid sit, hoc tamquam certum affirmari posse videtur auctorem, si Kempensis non sit, ad eamdem tamen cum

ineffabiliter, dignatus es ex maxima humilitate in sordenti stabulo nasci, et in augusto præsepio, ob amorem sanctæ paupertatis, collocari.

Laudo te, amantissime Jesu, pro præclaro ortu tuo, pro gloriosa nativitate tua ex illabata virgine Maria, pro paupertate tua et humili reclinatione in tam parvo et vili præsepio. Quis digne cogitare sufficiat altissimum Deum, tam parvum pro hominibus factum! O quantas tibi gratias agere tenetur totum genus humanum, pro quo redimendo præsepis quæsisti angustias! O magna pietas, o mira suavitas, o suavissima caritas, videre Deum puerum natum, pannis vilibus involutum, et in arcto præsepio ante animalia positum! O humilitas incomprehensibilis, quod Dominus omnium dominorum dignatus est fieri conservus servorum suorum! Sed hoc parum visum est tibi, Domine Deus, ut esses pater meus, qui es creator meus; quin etiam fieri dignatus es frater meus et caro mea veritate humanæ naturæ, sed nihil trahens corruptionis antiquæ.

O nativitas supra naturam, sed pro natura reparanda superans nascentium ordinem miraculi excellentia ac nostros flebiles ortus consolans virtute divina. O quam felix et multum amabilis nativitas tua, dulcissime Jesu, puer egregiæ virginis, proles eximiæ matris Mariæ, quæ omnium nativitatem emendat, condicionem reformat, præjudicium solvit, chirographum damnatæ naturæ rescindit, ut si quem piget damnabiliter de origine

---

isto Scholam pertinere Fratrum nempe vitæ communis et canonicorum regularium S. Augustini, qui a sæculo XIV° exeunte et deinceps, ducibus Gerardo Magno seu Groot et Florentio Radewyns, modernam, ut ajunt, devotionem instaurarunt atque propagarunt Interim hic quoque notari velim quæ statim legentis oculos incurrit mira affinitas libellum nostrum inter et opusculum *De ascensionibus spiritualibus*, compositum a fratre vitæ communis, qui inter primos fraternitati adhæsit Gerardus Zerbolt Zutphaniensis, theologus insignis et totius scholæ devotorum scientia theologica facile princeps, ubi nempe hic in cit. opusc., cc. 28 et sqq, « generalem modum meditandi de vita et passione Christi annotare » curavit.

Adam esse natum, gaudeat de tua incontaminata nativitate confidens se felicissime per gratiam tuam esse renatum.

Gratias ago gratuitæ et gloriosæ nativitati tuæ, Jesu Christe, unice fili Dei, per quem accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus et confidimus de spe gloriæ filiorum Dei nobis cœlitus repromissa. Tu pignus redemptionis nostræ; tu spes perennis omnium; ad te humiles peccatores confugimus, qui nos antea quæsisti, cum necdum te cognovimus. O sacra et dulcis infantia, quæ veram humanis cordibus innocentiam infudisti, per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam tibique conformis fiat, non parvitate membrorum, sed humilitate sensuum ac pietate morum.

Concede mihi, clementissime Jesu, humilitatis ac paupertatis tuæ sancta vestigia imitari, qui ad dandum omnibus hominibus virtutis exemplum et perpetuæ salutis remedium voluisti de Maria virgine mediæ noctis tempore nasci. Fac me cum angelis et tota militia cœlesti gratias ac laudes devota tibi mente canere, quos tuæ nativitatis lætos fecisti esse præcones.

De incommodis et indigentiis pauperis Jesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, pro multorum incommodorum inter ipsa primordia nativitatis tuæ benigna perpessione et extremæ paupertatis asperrima degustatione. Cum enim natus esses in orbem Deus, elegisti nocturnum tempus pro secreto, algorem hiemis pro deliciis; nec quæsisti grandia palatia pro regia dignitate sed breve cunabulum ad tuam teneritudinem contegendam. O paupertas super paupertatem, quod vix pannos habuisti ad induendum, qui totum tegis mundum, qui primo homini tunicam pelliceam fecisti, qui cœlum stellis, terram floribus, jumenta pellibus et crinibus mira varietate adornasti! O sanctam paupertatem filii Dei, omnibus divitiis mundi pretiosiorem, vix ullis perfecte imitabilem! Quis nascentium

tales pertulit angustias? Quæ litera, quæ lingua, aut quæ exempla demonstrant aliquem Sanctorum habuisse tale paupertatis initium? Hinc tibi laudes amplissimas ex totis medullis cordis mei refero, Jesu rex inclyte, puer amabilis, obsecrans tuam dulcedinem ut tuæ sanctæ paupertatis tribuas mihi dona corde amoroso amplecti, ac patienti animo inopiæ molestias cum tua gratia perferre. Tu de cœlo descendisti, ut illam nobis amabilem faceres, et pauper de nostro fieres, qui semper de tuo dives ac plenus perseveras.

Laudo te magnifice pro assumptione paupertatis et fragilitatis nostræ, quod tam caros nos existimasti ut, deposito regali diademate, inter filios Adæ quasi unus ex ipsis dignatus es computari, communione scilicet fragilis naturæ, absque tamen omni labe culpæ semper immunis permanendo.

De vagitibus infantis Jesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, gaudium angelorum, solatium miserorum, pro lacrymis et vagitibus infantiæ tuæ, quibus peccata filiorum Adæ dolenter deplorasti. Mira res et stupenda dignatio, quod Deus parvulus vagit in cunis, quem laudant angeli in cœlis; sugit ubera matris ut mortalis, qui substantiam vitæ ministrat omnibus; ut impotens tenetur manibus, portatur brachiis, qui tonat in nubibus et terram rigat imbribus. Ecce quomodo simul juncta sunt ima summis et humana divinis. Me ergo abluunt infantiæ tuæ fletus, mea delicta tuæ deplorant lacrymæ. Ideoque plus debeo injuriis tuis, Domine, quod redemptus sum, quam operibus quod creatus sum. O quantum lugere debeo pro peccatis meis, quoniam tu, Domine, non cessasti plorare pro eis. O quam gravia fuere vulnera animæ meæ, pro quibus tam uberes lacrymas fudisti. Sed non mirum neque absurdum si modo lacrymas ex compassione fundis, pro quibus venisti pretiosum sanguinem fundere, ut nos a peccatis ablueres.

Laudo ergo te, dilecte Jesu, et semper laudabo pro caritativa compassione tua erga me miserum peccatorem.

De lactatione esurientis Jesu.

Benedico et gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, fons indeficiens vitæ, pro tua lactatione ex uberibus virginis Mariæ, cujus sacro lacte pastus es, tu ipse pastor omnium, cibus et panis angelorum. O ineffabilis dulcedo divinæ dignationis ad hominum genus. Quis digne existimare valeat quanti sacramenti quantæque sit gratiæ, quod Deus sugit ubera carnis et lacte alitur Virginis? O quanta dulcedine caritatis mihi, Domine, conjungeris, qui ad indigentias te inclinasti humanæ fragilitatis! O magnum tremendumque mysterium, cum unus idemque prædicaris de Deo patre Deus et de matre virgine homo verus, unus idemque filius crederis feminæ et unicus paternæ gloriæ, unus idemque particeps factus hominum et Dominus adoraris angelorum.

Laudo itaque te et benedico ineffabili dulcedini tuæ, qui non erubuisti maternum lac sugere ostendens te veram carnis originem de matre virgine traxisse. O qui pascis omnia et tam modica contentus fuisti alimonia, pasce animam meam sacri verbi dapibus et tribue cum gratiarum actione tibi servire, quamdiu in hoc fragili sum statu corporis.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Januarii 1906

—

I

Dijudica hoc effatum A. Loisy (*Le quatrième Evangile*, Paris 1903, p. 133): « Ignace, Papias, Polycarpe, Justin n'ont sans doute pas regardé le quatrième évangile comme un écrit apostolique ». Proba responsum.

II

Explica hoc assertum: Passio Christi causavit salutem nostram per modum *satisfactionis*, per modum *meriti*, per modum *sacrificii*, per modum *redemptionis*. Cf. S. Thomas, III, Q. XLVIII.

III

Expone assertum: *Vi verborum* Christus est præsens in SS. Eucharistia quoad solam substantiam corporis sub specie panis, et quoad solam substantiam Sanguinis sub specie vini; *vi* autem *naturalis connexionis et concomitantiæ* præsens est Christus totus ac integer sub utraque specie, cum corpore et sanguine, anima et divinitate.

IV

Expone assertum: Christus est totus sub tota specie panis et totus sub singulis partibus tam post fractionem quam ante fractionem.

V

Explica duplicem modum adessendi in loco: dimensivum et non dimensivum.

VI

Quinam in jure canonico sunt effectus *appellationis* et quandonam producuntur?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Expone a quonam et quo tempore conscriptus sit liber Ecclesiastici?*

R. I. **Auctor Ecclesiastici** (1) *fuerit Jesus quidam Jerosolymitanus, (forsan mediate) filius Sirach, vir sapiens et doctus, in sacris Literis maxime versatus, qui post longa quæ instituit itinera, in fine vitæ ea quæ didicerat scripto consignavit. Jesus ille cum nulla persona, aliunde nota, certo identificari potest.*

1. *Jesum* quemdam scriptorem fuisse Ecclesiastici certum videtur ex prologo ad textum græcum ab auctoris nepote conscripto. Nepos ille, qui græcam versio-

---

(1) Nomen seu titulus primævus libri incertus apparet. Textus hebræus nuper repertus sicut et versiones syriaca et græca, immediate juxta fidem textus hebræi confectæ, exhibent titulum heb. *Chakemah* vel *Musar* i. e. σοφία vel *Sapientia*. Sed difficultas oritur ex S. Hier *(Præf. ad libros Salomonis)* qui ait: « Fertur et πανάρετος Jesu filii Sirach liber, et alius ψευδεπίγραφος qui Sapientia Salomonis inscribitur; quorum priorem Hebraicum reperi, nec Ecclesiasticum, ut apud Latinos sed *Parabolas* prænotatum; cui juncti erant Ecclesiastes et Canticum Canticorum ». S. Hier. forsan inadvertenter Parabolas (Salomonis) loco Ecclesiastici scripserit vel habuerit textum hebraicum non primigenium sed juxta græcam versionem translatum. Apud Latinos liber generali vocabulo *Ecclesiasticus* appellatur, a frequenti ejus usu in Ecclesia primæva ad instituendos catechumenos. Erat ecclesiasticus eminenter seu κατ' ἐξοχήν. Eo nomine a Conc. Trid. in canonem relatus est. Cf. E. Nestle ap. Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, IV Sirach (Book of) p. 541; — Lesêtre, *l'Ecclésiastique*, Paris 1880, p. 1 s.; — Cornely, *Introductio in U. T. libros sacros*, II-2 Parisiis 1887, p. 238 s; — Knabenbauer, *Commentarius in Ecclesiasticum*, Parisiis 1902, p. 1; — Touzard ap. Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, Paris, T. II, p, 1543 ss.; — Schürer, *Geschichte des Jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi*, Leipzig 1898, III, p. 157 ss.

nem juxta hebraicum textum (1) adornavit, auctorem libri vocat: ὁ πάππος μου Ἰησοῦς, avus meus *Jesus* (2).

Plerique alii fontes etiam *Jesum*, *filium Sirach*, auctorem nominant. Ità in textu græco L, 29 auctor ipse nomen suum refert Ἰησοῦς υἱὸς Σειρὰχ ὁ Ἱεροσολυμείτης, ac Vulgata, juxta textum græcum confecta, ad litteram refert: *Jesus*, *filius Sirach*, *Jerosolymita*. Jesum pariter nominant textus Syrus hexaplaris et versio syriaca (3). Et S. Hier., qui textum hebraicum legit, ait: « Fertur et panarætus (4) *Jesu filii Sirach liber* ».

2. Attamen haud leves *difficultates* e modo quo auctoris nomen in variis apparet fontibus oriri videntur. Ita in fragmentis hebræis nuper inventis auctor L, 27 vocatur: *Simon, filius Jesu, filii Eleazar, filii Sirach*, et in fine c. LI additur: hucusque verba *Simeonis filii Jesu qui vocatur filius Sira*. In versione autem syriaca legitur in fine: verba *Jesu filii Simon qui vocatur Asira*, dum codices quidam græci uti Sin. Alexand. Vatic. et plures minusculi c. L, 29 legunt Ἰησοῦς υἱὸς Σειρὰχ Ἐλεάξαρ (vel Ἐλεαξάρου) ὁ Ἱεροσολυμείτης. Ex quibus patet imprimis tria quandoque nomina (Jesus-Sirach-Eleazar), imo quatuor (Jesus-Simon-Eleazar-Sirach) occurrere; deinde auctorem a quibusdam non Jesum sed *Simonem* vocari.

Ad alterum quod attinet, testimonium textus hebræi, (sæc. XI-XII tantum descripti neque a mendis immunis), auctoritatem aliorum testium, maxime autem nepotis auctoris, nullo modo infirmare valet: auctor absque dubio fuerit *Jesus* non Simon (5): unde amanuensis

---

(1) Magna pars textus primigenii hebræi inde ab a. 1896 reperta fuit. Cf. Touzard, *Revue Biblique*, 1897, 1898, 1900; — N. Peters, *Der jüngst wiederaufgefundene Text des Buchs Ecclesiasticus*, Freiburg i. B. 1902; — Id. *Liber Jesu filii Sirach sive Ecclesiasticus hebraice*, Friburgi B. 1905.

(2) Haud satis certa est traditio quæ translatorem pariter *Jesum* vocat.

(3) Versio syra *Peshitto* dictum textum omittit.

(4) πανάρετος i. e. omnium virtutum capax, uti dicunt Cassiodorus et Rabanus, Migne, *P. L.* LXX, p. 1117 et CIX, p. 764.

(5) Neque multum roboris textui hebræo accedit ex eo quod traditio

quidam priora duo seriei nomina (*Jesus-Simon*-Eleazar-Sira) erronee inverso ordine descripserit. Ad prius quod spectat, auctores quidam (1) *Eleazarum,* imo *Simonem* ad genealogiam Jesu auctoris pertinere arbitrantur; alii (2), quibuscum facimus, utrumque nomen glossema esse merito autumant: absentia utriusque nominis (vel saltem *Simonis*) in nepotis versione græca eorum authentiam maxime dubiam, ne dicamus improbabilem, esse ostendit (3).

3. *Quisnam fuerit ille Jesus, Jerosolymitanus certò dici nequit.* Syncellus (4) eum fuisse sacerdotem asserit, quod alii ex c. VII, 31-35 confirmare conati sunt (5). Verùm locus iste Jesum pium fuisse Israelitam suadet, eum sacerdotem fuisse minime probat. Neque ex eo quod medecinæ artem egregio extollit encomio (XXXVIII, 1-15) ipsum medicum fuisse apparet. Certò utique ex ipso ejus libro deducitur Jesum Siracidem per totam vitam studiose Sapientiam excoluisse, eumque in sacris Literis optime fuisse versatum. Omnes etenim libros protocanonicos suo tempore existentes cognovit, eorum mentionem habet vel eorum auctoritati saltem nititur in cc. XLIV-XLIX ubi majorum seu patrum laudes celebrat. Ut majorem sibi acquireret experien-

---

syra *Simeon bar Sira* (vel *Asira*) auctorem appellaverit, cùm ipsis libri codicibus — etiam syris — non satis fulciatur. Ad nomen Asira (vel Asiro) quod attinet, rite notat TOUZARD ap. VIGOUROUX, *l. c.:* « Asiro... représente en le défigurant le nom propre de Sirach de l'hébreu. En faisant d'Asiro un qualificatif, « le captif », on a éprouvé le besoin de préciser le nom propre que l'on regardait comme sous-entendu, et l'on a supposé au hasard le nom de Simon, peut-être en l'identifiant avec l'un des grands prêtres qui ont jeté le plus d'éclat. »

(1) Uti KNABENBAUER, *o. c.*, p. 1 et 466.

(2) SCHÜRER, *l. c.;* — FRITZSCHE, *Die Weisheit Jesus Sirach erklärt und übersetzt,* Leipzig. 1859.

(3) Textus ille e s. XI-XII videtur oriundus, neque a mendis immunis apparet, uti jam notavimus.

(4) *Chron.*, ed. Dindorf, I, 525.

(5) Lectio ἱερεὺς ὁ Σολυμείτης in *cod. Sin.* e voce Ἱεροσολυμείτης oriunda apparet.

tiam, longa instituit itinera, in quibus multa quidem et gravia pericula atque hostium suorum calumniis etiam vitæ discrimen subiit (1). Versus finem vitæ ea quæ didicerat, literis mandare librumque nostrum exarare statuit, ut studia ejus aliis quoque proficerent.

II. **Tempus scriptionis**: *a. circ. 200-190 a. Ch. Auctorem enim hoc tempore scripsisse ex duobus indiciis eruitur quorum prius in libro ipso, aliud vero in prologo ad textum græcum reperitur* (2).

1. In *textu hebræo* recens invento legitur post encomium Simonis summi sacerdotis L, 24: « Maneat cum *Simone* misericordia ejus (Jahveh) et statuat ei pactum Phinees, quod non delebitur ei et semini ejus, sicut dies cœli ». Similiter legit versio syra: « stabiliatur cum *Simone* misericordia et cum semine ejus, sicut dies cœli » (3). Ex quibus verbis aperte colligitur auctorem scripsisse Simone adhuc superstite (vel recenter defuncto), eo vel magis quod ultimus virorum illustrium quos celebrat auctor est Simon Oniæ filius, summus sacerdos (L, 1-21), quem tam vividis coloribus depingit, ac si eum adhuc viderit pontificalibus vestibus indutum in medio populo hostias offerentem. Proin solum inquiratur oportet, quandonam Simon ille pontifex vixerit. Verùm difficultas oritur ex facto quod circa illud tempus duo fuerint summi sacerdotes Simon nomine (4) sc. Simon I (filius Oniæ) 310-291, et Simon II (filius Oniæ) 219-199. Ope prologi Jesum Siracidem librum suum vivente Simone II conscripsisse certo stabiliemus.

2. In *prologo* enim ad textum græcum auctoris nepos

---

(1) C XXXIV, 12 ss.; LXI, 4 ss. 18 ss.; *Prol.*

(2) Cf. Cornely, Knabenbauer et Schürer *ll. cc.*; — Driver, *An Introduction to the Literature of the Old Testament*, London, 1897, p. 407, n.

(3) Cum vero auctoris nepos versionem græcam conficeret, Simone jam dudum defuncto versum illum ac pium suspirium exprimendum satis censuit modo generali: ἐμπιστεῦσαι μεθ' ἡμῶν τὸ ἔλεος αὐτοῦ, quod Vulg. vertit: credere Israel *nobiscum* esse misericordiam Dei.

(4) Joseph *Antt.* XII, 2, 4; 4, 10.

testatur se in octavo et trigesimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis regis, pervenisse in Ægyptum, ibique versionem græcam avi sui adornasse. Contenderunt quidam Auctores interpretem non loqui de 38 anno regni Evergetis sed de suæ ipsius ætate. Verum hodie communiter (1) admittitur annum 38 regni Evergetis significari juxta communem usum loquendi Alexandrinorum (2). Nuperrime autem Deissmann (3), documentis ægyptiacis e s. III et II a. Ch. oriundis præpositionem ἐπι in textu græco (ἐν γὰρ τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπι τοῦ Εὐεργέτου βασιλέως παραγενηθεὶς εἰς Αἴγυπτον) pleonastice sumendam esse evidenter demonstravit.

Duo quidem recensentur Ptolemæi cognomine Evergetes sc. Ptolemæus III Evergetes I (a. 247-222) et Ptolemæus VII Physcon Evergetes II (a. 170-117) qui ab a. 170-145 simul cum fratre regnavit, sed annos regni sui ab a. 170 numerat quo primum ad thronum ab Alexandrinis erat evectus, « ita ut fratre moriente videretur ipse jam regnavisse viginti quinque annis ejusque anni regni censeantur quinquaginta quatuor » (4). Absque dubio igitur nepos in Ægyptum venerit sub Evergete II, cum Evergetes I nonnisi 25 a. regnaverit.

3. Nepos igitur in Ægyptum venit a. c. 132 a. Ch. ibique post aliquod tempus versionem adortus est. Avus ejus probabiliter vixerit ac opus hebraice exaraverit a. circ. 200-180 a. Ch. Neque enim audiendi sunt qui *avum* (πάππον) non de avo proprie dicto, sed de uno ex majoribus dici contendunt: modus loquendi adeo determinatus: ὁ πάππος μου Ἰησοῦς notionem generalem vocis πάππος profecto excludit.

Unde patet avum Jesum tempore Simonis II summi sacerdotis (219-199) vel paulo post, opus suum con-

---

(1) Cornely, Knabenbauer, Nestle, Schürer *ll. cc.*; — Peters, *Biblische Zeitschrift*, Freiburg i. B. 1903, p. 150.

(2) Cf. *I Mach.* XIII, 42; vers. græc. *Aggæi* I, 1; *Zach.* I, 7 etc.

(3) *Bibelstudien*, Marburg 1895, p. 255 ss.

(4) Eus. *Chron.* II, 22.

scripsisse (1), non autem tempore Simonis I qui fere integrum ante sæculum pontificatum gerebat (310-291).

Ecclesiasticus ergo a. 200-190 a. C. conscriptus fuerit.

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone an et quare necessaria fuerit Incarnatio.*

R. Duplex distinguitur necessitas: *absoluta* et *hypothetica;* absoluta est quando consequitur ad ipsam rem in se ipsa consideratam: incarnatio foret *absolute* necessaria, si ex ipsa Dei natura consequeretur Incarnatio; hypothetica est quando necessitas exsurgit aliqua hypothesi facta, v. gr. in hypothesi creationis.

De hac duplici necessitate inquirimus circa Incarnationem.

1. *Absolute* necessaria non est Incarnatio: nam quum Deus sit infinite perfectus, quum consequenter nullum perfectionis aut beatitudinis augmentum acquirere possit ex aliquo opere *ad extra*, sequitur Deum non natura sua velle Incarnationem, sed tantum ex libera electione. Quodsi libere vult Deus Incarnationem, in tantum hæc esset absolute necessaria in quantum Deus *obligaretur,* h. e. *morali* necessitate induceretur ad hoc opus *ad extra* faciendum: jamvero in Deo nulla

(1) Et, ut notat Knabenbauer, *l. c.*, non penitus deficiunt *indicia interna* in favorem hujus sententiæ. Simon pontifex multum laudatur quod curam templo renovando ac firmando impendit, murum exstruxit, lacum seu magnum aquarum receptaculum effodiendum curavit, populum contra latrones tuitus est, urbem munivit (L, 1-4 *hebr.*). Cum his autem bene congruunt quæ Josephus (*Antt.* XII, 2, 3) de tempore Simonis II narrat. De Simone autem I nihil aliud refert nisi eum « Justum cognominatum fuisse, quum propter pietatem in Deum, tum propter benevolum in cives animum ». Quare Jesus Siracides in suo illustrium virorum catalogo (XLIV, 1 — L, 26) eum eadem ratione omittere potuit qua multorum virorum piorum (Danielis, Mardochæi, Esdræ) memoriam prætermisit.

obligatio esse potest. Nec dicatur Deum, licet non obligetur, tamen ex amore suæ perfectionis sibi debere optimum facere: nam supposito quod Deus libere agat in communicanda sua bonitate, Ipse determinat qua mensura facienda sit hæc communicatio et nulla est communicatio necessaria: Deus amando seipsum in sui ipsius possessione perfecte quiescit: quælibet communicatio ad creaturas est effectus liberæ electionis divinæ et est Deo digna. — Assertio confirmatur ex hoc quod « fides docet Filium Dei *propter nos nostramque salutem* esse incarnatum et ita quidem, si sensum catholicum interrogamus, ut hominum necessitas eum ad id impulerit. Quodsi incarnatio est absolute necessaria, non propter nos, sed propter semetipsum Deus factus est homo: sicut nec propter nos nostramque salutem Pater ab æterno genuit Filium » (1).

2. A. *Hypothetice* necessaria non fuit Incarnatio:

a/ in hypothesi creationis (2): nam Incarnatio pertinet ad ordinem *supernaturalem:* nulli enim creaturæ debitum esse potest ut ejus natura hypostatice uniatur Deo, sed hæc unio excedit limites perfectionis cujuscumque naturæ finitæ, sive creatæ, sive creabilis (3).

b/ Nec in hypothesi *elevationis* humani generis: nam poterat Deus ad supernaturalem finem destinare homines, illisque media supernaturalia præbere, v. gr. revelationem, signa efficacia gratiæ, societatem religiosam, quin Ipse Deus incarnaretur: legatus enim Dei illa potuisset instituere.

---

(1) Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium,* Œniponte, 1896, T. II, n. 451.

(2) Quidam hanc hypotheticam necessitatem propugnaverunt: censentes quidem Deum libere creare, tenebant tamen Deum, decreta creatione, debuisse ex amore suæ perfectionis illum eligere mundum, quo sua gloria *perfectissime* manifestaretur. Ejusmodi est mundus ille cujus fastigium est incarnatio. Hujus opinionis, quæ *optimismus* vocatur, refutatio habetur ex illis quæ suprà diximus; cæteroquin incarnatio non potest nisi ad ordinem *supernaturalem* pertinere.

(3) Cf. S. Thomas, III, Q. 1, a. 3, ad 2.

c) Nec in hypothesi *lapsus* generis humani : nam post hominis lapsum Deus nullatenus obligabatur ad reparandum genus humanum, sed potuisset illud in statu, in quem inciderat culpa protoparentis, relinquere. Id plane patet, si consideramus bona, quibus propter Adæ peccatum omnes posteri ejus privati fuerunt, fuisse dona *gratuita,* naturæ humanæ prorsus *indebita.* Indebita enim erant dona illa supernaturalia et præternaturalia, ut gratia sanctificans et integritas ; indebita etiam promissa supernaturalis felicitas, cui assequendæ humanum genus capax non erat. Subtractis autem donis gratuitis, infirmitas ac difficultas ad bonum ex ipsa natura humana consequebantur. Potuisset igitur Deus homines in illo statu relinquere et justissime non velle reparare genus humanum (1). — Nec tamen iis subtraxisset auxilia naturalia ut bonum facere et ad statum quemdam felicitatis naturalis in altera vita pervenire possent: etenim non convenit ut propter solum originale peccatum homines priventur bonis naturæ debitis (2).

d) Nec in hypothesi quod *reparare voluerit Deus* lapsum genus humanum : « Nam Deus per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam aliis modis reparare. Poterat e. g. ex mera misericordia protoparentibus gratiam ad pœnitendum de peccato commisso concedere et etiam satisfactione non præstita eos cum posteris suis in statum supernaturalem restituere. Vel potuisset aliquem ex ipsis hominibus ut caput juridicum totius generis humani constituere, qui

(1) Ita fere JUNGMANN, *De Verbo Incarnato,* n. 285. — Nonnulli theologi ad hoc assertum confirmandum recurrunt ad analogiam: « Si enim angelis Deus peccantibus non pepercit, nec parcere debuit humano generi lapso ». HURTER, op. c., n. 453. Hæc tamen analogia non apta videtur : nam angeli *singuli personaliter,* h. e. proprio actu voluntario ac libero peccaverunt ; non autem sic homines. In hoc igitur quod Deus non pepercerit angelis, non possumus deducere illum nec hominibus parcere debere.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* T. IX, p. 689.

satisfactionem quamdam pro omnibus præstaret, ita ut ea præstita, quamvis peccato delendo nullatenus esset condigna, ex misericordia sua homines iterum gratia supernaturali ornaret. Et variæ viæ aliæ Deo erant apertæ ad genus humanum reparandum » (1). Hæc est etiam doctrina multorum Patrum et omnium scholasticorum (2).

B. *a/ Necessaria* fuit *unio hypostatica* in hypothesi quod voluerit Deus reparare genus humanum lapsum *per adæquatam satisfactionem*. Etenim ut adæquata sit satisfactio requiritur obsequium, quo quis satisfacit, tantæ esse æstimabilitatis quantæ fuit gravitatis læsio honoris per offensam. Porro æstimabilitas operis satisfactorii provenit ex dignitate personæ honorantis; e contrario, gravitas læsionis honoris æstimatur ex dignitate personæ offensæ (3). Unde ut satisfactio sit adæquata requiritur omnino ut persona satisfaciens conveniat cum persona offensa in eodem ordine, puta in eadem specie vel eodem genere saltem supremo: ergo ut pro peccato, quod divinæ majestatis est offensa, præstetur adæquata satisfactio necesse est ut satisfaciens gaudeat divina dignitate seu sit persona divina. Jamvero Deus, quamdiu in sola divina natura subsistit, nequit satisfacere: quum enim sit offensus secundum divinam naturam, nequit in eadem natura satisfacere; nec posset una divina Persona, secundum divinam naturam, alteri Personæ satisfactionem offerre, quia, quum unica sit divina natura trium Personarum, actus satisfactorius procederet æqualiter a tribus Personis (4);

---

(1) JUNGMANN, op. c,, n. 286.

(2) Cf. PESCH, *Tractatus dogmatici*, T. IV, Friburgi Br. 1896, n. 358-359. S. Anselmus tamen propugnavit veram necessitatem Incarnationis in hypothesi *reparationis* humani generis lapsi: *Cur Deus homo*, L. II, c. 4. Cf. JANSSENS, *De Deo-Homine*, Pars I, Friburgi Brisgoviæ, 1901, p. 40.

(3) Hoc assertum fusius exponetur in responsione nostra in proximo fasciculo tradenda.

(4) Non idem dicendum de *actibus notionalibus*, cf. Illmus ac Revmus WAFFELAERT, *Meditationes Theologicæ*, n. 134, in *Collat. Brug.*, T. III, p. 553; BILLOT, *De Deo Trino*, Romæ, 1893, Thes. XXXVII.

tandem nullo modo fieri potest satisfactio secundum divinam naturam: quia satisfactio importat *submissionem* vel *reverentiam:* quod Deo, qua tali, repugnat. Oportet igitur ut Deus aliam, nempe creatam, sibi assumat naturam ut, in ea subsistens, per eam satisfacere possit.

b/ Necessaria fuit *Incarnatio,* h. e. hypostatica unio Personæ divinæ cum *humana* natura in hypothesi quod Deus voluerit reparare humanum genus lapsum per adæquatam satisfactionem peractam *in humana natura:* et sane hæc est assumenda natura in qua et per quam est actio satisfactoria perficienda.

c/ Imo, ut videtur, necessaria est *Incarnatio* in hypothesi quod voluerit Deus adæquatam satisfactionem *pro peccato ab homine commisso.* Demonstravimus ad adæquatam satisfactionem pro peccato requiri ut Deus sibi assumat, in unitate personæ, naturam *creatam:* hanc naturam debere esse intellectu et voluntate præditam patet: secus enim non posset ab hac natura elici actus *satisfactorius.* Sed posset Deus sibi hypostatice unire *angelicam* naturam et in ea ac per eam elicere actum satisfactorium, cujus valor esset infinitus ratione suppositi divini agentis, et posset Deus talem satisfactionem acceptare; attamen hoc esset minus conveniens: nam ad perfectam satisfactionem et reparationem requiritur, uti videtur, ut ad illud genus spectet satisfactio ad quod spectavit transgressio; præterea si angelus-Deus satisfecisset pro peccato hominis, nunquam restitueretur homo in pristinum statum: tunc enim esset subjectus alii naturæ creatæ, scilicet angelicæ, a quo haberet suam redemptionem (1).

J. Van der Meersch.

---

(1) Ita docet S. Bonaventura in III, D. XX, Q. III, cujus hæc est conclusio: « Et ex hoc habetur quod non solum pura creatura non posset Deo satisfacere, si esset alterius generis (ac humanum genus), sed etiam, nec si esset a Deo assumpta, conveniret ut pro humano genere satisfaceret ». Idem S. Doctor in III, D. XII, Art. I, Q. I, ostendit quomodo multo magis conveniens sit Filium Dei assumpsisse carnem de genere Adam quam aliunde.

III

Q. *Explica qua ratione, in modo operandi gratiam, conveniant ac differant inter se sacramentum Baptismatis et baptismus sanguinis.*

R. Sacramentum Baptismatis operatur gratiam *ex opere operato*, adeoque, juxta notionem datam apud *Collat.*, III, p. 514-516, a/ *independenter* a dispositione subjectiva subjecti et ministri, et b/ *causaliter*. Baptismus autem sanguinis infundit gratiam ex opere, uti aiunt, *quasi operato,* ita scilicet ut eam operetur quidem *independenter* a dispositione subjectiva (cf. tamen infra, 2°, *b*) martyrium obeuntis, sed *occasionaliter* dumtaxat et minime causaliter.

Ex quibus sponte apparet

1°/ Utrumque Baptisma, quoad modum operandi, **discriminari** in hoc quod sacramento agnoscenda sit *virtus causalis* ad ipsam gratiam *positivo et efficaci influxu* infundendam; quæ virtus causalis omnino deneganda est martyrio.

Nimirum, dum signum sacramentale Baptismatis *causat* gratiam tanquam *vera causa efficiens*, licet dispositiva dumtaxat et ordinis intentionalis, martyrium, in ordine ad gratiæ infusionem, munus obit *meræ occasionis seu conditionis sine qua non*, qua posita, Deus infundit gratiam eamve adauget, *absque ullo influxu causali ipsius martyrii*. Unde dicuntur aqua abluti justificari *per* Baptismum, martyres vero non per martyrium sed *in* martyrio, ad modum quo vidimus Judæos antiquæ Legis justificatos *in* circumcisione. Cf. *Collat.*, III, p. 514.

Porro ratio ob quam martyrio, tanquam conditioni sine qua non, tantum adnectatur privilegium, est quia constituit realem repræsentationem passionis Christi, quodque martyr ad vivum imaginem refert Christi Domini patientis et morientis. Unde, uti monet S. Tho-

mas (1), de martyribus dicitur *Apocal.*, VII, 14 : « laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni ».

2°/ Utrumque Baptisma **convenire** in hoc quod in baptismate sanguinis non secus ac per sacramentum justificantur fideles *independenter ab ipsorum dispositione subjectiva,* et ideo dicitur martyrium gratiam infundere *in modum operis operati.* Quæ independentia a dispositione subjectiva apparet in infantibus martyribus, quippe qui omnis operis operantis sunt incapaces.

Quocirca attende a/ nullatenus excludi penes martyrem *meritum ex opere operantis*, quemadmodum jam vidimus, apud *Collat.*, III, p. 515-516, illud non excludi in sacramento ; seu nihil impedit quominus gratiæ, ex martyrii privilegio ac independenter a martyris dispositione infundendæ, addatur in adultis augmentum ex merito bonæ dispositionis martyrium occumbentis (2)

b/ rursus inductæ independentiæ martyrii, in operando gratiam, a subjectiva dispositione subjecti, non officere quod, sicuti in sacramento, requirantur quædam in adulto dispositiones *uti removentes prohibens.* Cf. *Collat.*, ibidem. Indispositio nempe subjecti potest constituere obicem ad fructum martyrii, sive *simpliciter*, sive *secundum quid.* Hujusmodi obex simpliciter esset in defectu, qui vix occurret in martyre (3), attritionis

(1) *In IV Sent.*, Dist. IV, Artic. III, quæst. 4ª, sol. 3ª, ad 1ᵐ.

(2) « Cum autem ad meritum de condigno essentialiter exigatur status gratiæ, si forte peccator ad martyrium accederet, nullo præmisso actu perfectæ contritionis, tunc martyrium in eo non esset æternæ vitæ meritorium, nisi ab eo instanti in quo, vi martyrii ipsius, tanquam ex opere operato justificatio conferretur ; et hoc instans tunc videtur adesse quando in naturalibus causis mors est jam determinata, seclusoque miraculo vitari amplius non potest ». Billot, *De Ecclesiæ sacramentis,* I, p. 222.

(3) « Revera, notat Billot, op. cit., p. 221-222, quando martyri datur optio inter mortem et apostasiam, ipse eligendo mortem ex motivo religionis, ostendit se plus detestari peccatum quam quodlibet damnum temporale, et ideo ex natura rei est quod habeat saltem attritionem necessariam. Itaque difficultas non est nisi de eo qui cum sola *habituali* acceptatione mortis pro Christo, in statu peccati hic et nunc existens,

de peccatis mortalibus; obex autem secundum quid esset in affectu ad venialia, qui impediret remissionem venialium quoad reatum culpæ et pœnæ. Cæterum circa obices ad fructum martyrii, cf. *Collat.*, III, p. 314-315.

Nota 1°/ Si contingat martyrium sustineri *cum obice secundum quid*, nihil prohibet quominus applicemus quæ docuimus, *Collat.*, III, p. 618, circa casum adulti ad Baptismi sacramentum accedentis et affectu ad venialia laborantis: in primo nempe instanti mortis, quod est ultimum vitæ, anima prorumpet in actum ferventem charitatis, tollentem omnem affectum ad peccatum veniale; obice autem sic remoto, martyrium quodammodo reviviscet, ita ut jam nulla culpa remaneat nec pœna luenda: qua ratione verum manet martyrem directe migrare in cœlum ac injuriam esse pro martyre orare.

2°/ Baptisma fluminis sane præstat baptismati sanguinis dignitate sacramenti, modo operandi ac virtute characteris imprimendi; « sed quantum ad ea quæ sunt res sacramenti, uti docet S. Thomas (1), excedit baptismus sanguinis, quia et gratia in baptismo sanguinis magis augetur habenti et amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit; et remissio peccatorum, quamvis non sit plenior, quia uterque omnem pœnam et culpam tollit, tamen est in baptismo sanguinis efficacior et fructuosior, quia secundis maculis non inquinatur, uti Damascenus dicit », quodque clarius enuntiat S. Gregorius Nazianzenus, *In Sancta Lumina,* Orat. 39ª, n. 29, eo augustius proclamans baptismi genus, martyrio et sanguine comparatum, « quod nullis postea sordibus contaminatur ».

---

trucidaretur in odium religionis »; et subdit « pie esse credendum quod divina Providentia non permittet verum esse martyrium quin simul adsint dispositiones requisitæ ad fructum ».

(1) *In IV Sent*, Dist. IV, art. III, quæst. 4ª, solut. 4ª.

IV

Q. *Quænam dispositiones requiruntur in baptizando adulto peccatore, ad* simpliciter fructuosam *Baptismatis susceptionem?*

Respondetur:

Præsupposita intentione saltem habituali implicita Baptismum suscipiendi, quæ intentio requiritur ad valorem, postulatur pro *simpliciter fructuosa* sacramenti susceptione, *attritio de peccatis mortalibus saltem habitualis, nitens actu supernaturalis fidei.*

Explicatur.

1°/ *Attritionem* illam requiri sequitur ex ipsa natura justificationis, quæ, utpote interior, ne concipi quidem potest quousque subjectum affectum ad peccatum lethale non retractaverit. « Nullus autem, docet S. Thomas, III^a P., qu. 68, art. 4, habens voluntatem peccandi simul potest a peccato mundari, ad quod ordinatur Baptismus, quia hoc esset ponere contradictoria simul » (1).

2°/ Non requiritur attritio de peccatis *venialibus*, cum hujus defectus non impediat nisi fructuositatem *secundum quid*, totalem scilicet remissionem peccatorum venialium ac pœnæ temporalis: ad fructuositatem nempe *simpliciter* sola postulatur attritio de peccatis *mortalibus;* quæ intellige *personalia*, quia attritio seu contritio imperfecta non datur de peccato originali. Et sane, uti ratiocinatur S. Thomas, *Supplem.*, qu. II, art. 2, « contritio est dolor respiciens et quodammodo comminuens voluntatis duritiem; et ideo solùm de illis peccatis potest esse quæ ex duritia nostræ voluntatis in nos proveniunt; et quia peccatum originale nostra voluntate non est inductum, sed ex vitiatæ naturæ origine con-

(1) « Quoad hoc, uti monet Instructio C. S. O., 28 Martii 1860, apud *Collectan.*, S. C. de P. F., n. 588, fides catholica flecti nescia nemini blanditur, nec unquam lucem cum tenebris, Christumque cum Belial conjungi sinit ».

tractum, ideo de ipso non potest esse contritio, proprie loquendo, sed displicentia tantum vel dolor »; quæ displicentia continetur in ipsa voluntate Baptismum suscipiendi (1).

3°/ Sufficit attritio *habitualis,* seu olim habita et non retractata, cum unice requiratur tanquam *conditio sine qua non,* seu tanquam *removens prohibens*, absque ullo influxu positivo in gratiæ collationem; contrà in sacramento Pœnitentiæ, attritio, quatenus est pars sacramenti, debet esse saltem *virtualis*, cum debeat influere in ipsam signi sacramentalis constitutionem.

4°/ Oportet ut attritio sit *supernaturalis* tum ratione principii, movente scilicet gratia actuali, tum signanter ratione motivi, ad Deum nempe relati et ex fide concepti.

In adulto igitur baptizando, ad hoc ut possit sacramenti fructum consequi, præsupponitur *fides,* eaque *explicita* in ea quæ sunt necessaria *necessitate medii;* quoad ea autem quæ sunt necessaria necessitate præcepti, sufficit ad fructum ut Baptisma suscepturus ea implicite credat ac paratum sese præstet eadem addiscendi.

Porro, uti exponitur apud *Collat.*, I, p. 290-294, ad veritates de necessitate medii credendas *certò* pertinent existentia unius Dei, ejusque remuneratoris bonorum et vindicis malorum, *probabiliter* autem dumtaxat mysteria Incarnationis et SS. Trinitatis.

Ex quibus sponte sequitur :

a/ adultos, antequam baptizentur, esse instruendos circa existentiam Dei prœmiatoris, necnon circa my-

---

(1) « Over de erfzonde is er geen oprecht leedwezen vereischt, aangezien wij die zonde door onzen eigenen wil niet bedreven hebben, en dat het leedwezen eigentlijk bestaat in spijt en droefheid over onze eigene kwaadwilligheid : het is genoeg dat de erfzonde aan den doopeling mishage omdat zij God oneer heeft aangedaan en ons de vijanden van God heeft gemaakt ». LAMBRECHT, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus*, III, bl. 920.

steria Incarnationis et SS. Trinitatis; nec sufficere promissionem neque bonam fidem, sed, uti docet decretum C. S. O., 25 Jan. 1703, (*Collectan.*, n. 549) ad quod decretum provocat eadem S. Congr. die 30 Martii 1898, « missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quæ sunt necessaria necessitate medii ». Item C. S. O., die 10 Maii 1703, in decreto quod etiam invocatum est anno 1898, docuit ad 2/: « missionarium non posse baptizare non credentem explicite in Dominum J.-C., sed teneri illum instruere de omnibus iis quæ sunt necessaria necessitate medii, juxta captum baptizandi » (1). Ipsum tandem decretum 1898 (2) expresse prohibet quominus baptizandus in bona fide relinquatur circa dictas fidei veritates.

Et sanè *probabile* est, uti vidimus, utrumque etiam illud mysterium explicite esse credendum ad hoc ut sacramentum fructuosè possit recipi, adeoque absque dicta fide explicita susceptum periculo exponeretur infructuositatis, quod fieri sub gravi prohibetur.

b/ nunquam, ne in extremæ quidem necessitatis casu, ubi omnino deficit tempus instructionem dandi moribundo, posse sacramentum Baptismatis conferri ignoranti existentiam Dei remuneratoris: in hanc duplicem enim veritatem *certo certius* requiritur explicita fides et ne levissima quidem datur probabilitas illa ignorantem posse fructuose baptizari; nulla autem ratio hic potest legitimare sacramenti administrationem certò frustraneam.

c/ videtur quod in anxiis circumstantiis, de quibus sub b/, quando nempe adeo instat mors ut omnimoda ulterioris instructionis possibilitas desit, quod sane rarò continget, posset ad Baptismum procedi, licet desideretur cognitio ac fides explicita SS. Trinitatis ac Incar-

---

(1) *Collectan.*, n. 551.

(2) *Analecta ecclesiastica*, 1898, p. 186; *Collat. Brug.* III, 452 sqq.

nationis et sola cognoscatur ac explicite credatur existentia Dei præmiatoris bonorum et vindicis malorum.

Sufficit namque quod *probabile* sit de necessitate medii non requiri fidem in utrumque illud mysterium, ut in extremis sacramentum ministretur, quantumvis periculo infructuositatis exponatur. Excusat nimirum ab irreverentia invocata necessitas, imo facilius licebit ministro sacramentum exponere periculo infructuositatis quam periculo nullitatis, cum valide collatum semper possit reviviscere.

Cui conclusioni sub c/ positæ non opponitur, etsi prima fronte opponi videatur, decretum 10 Maii 1703, ad quod provocasse jam vidimus S. Officium, die 30 Martii 1898, cujusque decreti tenorem modò suprà partim retulimus. Quærenti namque: « an possit baptizari adultus rudis et stupidus, ut contingit in barbaro, si ei detur sola Dei cognitio, et aliquorum Ejus attributorum, præsertim justitiæ remunerativæ et vindicativæ..., ex quo infertur adultum barbarum in certo casu urgentis necessitatis posse baptizari quamvis non credat explicite in Jesum Christum », simpliciter respondetur « missionarium non posse baptizare non credentem explicite in Jesum-Christum, sed teneri illum instruere... », attenta scil. in responso sola parte generica quæstionis et abstractione facta ab altera parte secundaria quæsiti.

Tradit nimirum S. Congr. *normam generalem,* docens, juxta dicta sub a/, generatim non posse baptizandum relinqui in bona fide circa mysterium Incarnationis, nec sufficere promissionem futuræ instructionis circa illud: cui normæ generali non contradicit exceptio facienda in casu urgentis necessitatis.

Nota sedulò, in casu sub c/ memorato, non esse conferendum Baptisma conditionatè sed *absolutè*, quia non agitur de dubio valore sed de dubia *fructuositate* tantùm; quod idem valet de dubio occurrente circa attritionem sufficientem. In omnibus namque casibus

in quibus, in tuto posito sacramenti valore, dubitatur de requisitis ad solum fructum, apposita conditio de præsentia hujusmodi conditionis requisitæ reddet sacramentum nullum ac irritum quotiescumque, tempore sacramenti collati, reipsa desideratur dicta dispositio, et sic via occludetur ad salutarem Baptismatis reviviscentiam. Cf. *Collat.*, VII, p. 548 et X, p.

In quo iterum iterumque insistimus eo vel magis quod in eo errare videmus egregios theologos, uti Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, II, n. 78, quodque in hunc sensum videtur olim inclinasse ipsum S. Officium, in decreto 10 Maii 1703 (1). Cæteroquin rectam doctrinam dilucidè proponit eadem C. S. O., in Instructione 6 Junii 1860 (2) (*Collectan.*, n. 589), cui tamen Instructioni, quod mirum videtur, adnectitur, non mutato tenore, præfatum decretum 1703.

V

Q. *Quænam dispositiones requiruntur ut* licite *baptizetur adultus peccator?*

Monitum: Solos præ oculis habemus adultos *primùm* baptizandos, vel rebaptizandos *absolute*, post priorem Baptismum certò nullum, et abstrahimus a speciali hypothesi Baptismatis *sub conditione* iterandi: de quo casu cf. *Collat.*, IV, p. 145-148 et V, p. 200-207.

Respondetur. Præter conditiones ad valorem et ad

---

(1) « Si missionarius prudenter credat infirmum barbarum, quando dicit: credo et faciam, revera tunc sufficienter credere serioque promittere se servaturum (mandata christianæ religionis), debere baptizari. Si autem de prædictis dubitet missionarius, et tempus non suppetat illum melius instruendi, imminéatque periculum mortis, debere itidem baptizari *sub conditione* ».

(2) En verba Instructionis: « In dubio utrum adultus morti proximus sufficienter instructus sit de fidei mysteriis, et ea sufficienter crediderit, atque in dubio utrum ipsum anteactæ vitæ sincere pœniteat... sacramentum *absolute* ei administrare debet *absque ulla conditione* ».

fructum sacramenti necessarias, sequentes ulterius dispositiones postulantur *regulariter* in adulto baptizando :

1°/ *Debita instructio in fide:* nempe oportet ut, præter mysteria quorum notitia requiritur ad fructum sacramenti, cognoscant baptizandi symbolum, decalogum, orationem dominicam, sacramenta, signanter Baptismatis, Pœnitentiæ et Eucharistiæ, actus virtutum theologalium eorumque motiva (1): in quibus sedulò instruendi sunt juxta captum neophytæ, etiam rudiores; ingenio autem alacriores altiora doceantur, præsertim si sint ab hæresi conversi.

2°/ *Prœvium quoddam exercitium in moribus christianis*, ut ad vitam renati idonei existant ad novæ vocationis semitam percurrendam. Ad quod signanter est attendendum cum neo-conversis, quos S. C. de P. F., in Instructione modò citata, monet longo tempore exercendos et crebra exercitatione probandos (2), in hunc præsertim finem experiendi utrum efficaciter renuntiaverint falsæ religionis praxibus.

Circa hoc utrumque requisitum monet R. Rom., Tit. II, cap. III, n. 1 : « si quis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum apostolicam regulam, in christiana fide ac sanctis moribus diligenter *instrui*, et per aliquot dies in operibus pietatis *exerceri* ».

3°/ « Pro hujus autem veneratione sacramenti, tam sacerdotem, qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos, qui sani sunt, *convenit* esse *jejunos* ». *Rit. Rom.*, l. c., n. 8, ubi, sub n° 9 additur : « quare non post epulas aut

---

(1) Instructio S. C. de P. F., diei 18 Oct. 1883, apud *Collectan.*, n. 594.

(2) Cf. Instr. S. C. de P. F. anni 1883, l. c., in qua Instructione noluit S. Congr determinare tempus ac curriculum catechumenatus, quam determinationem relinquit faciendam ab Episcopo vel Vicario Apostolico, notat tamen illud convenienter restringi, « cum agitur de senibus vel infirmis, et eo magis de iis qui signa extraordinaria conversionis præferant ». Circa modum autem quo in variis regionibus catechumeni præparantur ad Baptismum, cf. CORBLET, *Histoire du Sacrement de Baptême*, 1881, Paris, I, p. 472-474.

prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset), eorum Baptisma celebretur ».

Quæ consuetudo jejunium Baptismo præmittendi est antiquissima, ejusque mentio jam occurrit in vetustioribus documentis. Ita in *Doctrina XII Apostolorum*, cap. VII, legimus : « Ante Baptismum jejunato baptizans et baptizandus, et si qui alii possunt; baptizandum autem jube jejunare unum vel duos dies antea » ; S. Justinus, *Apol.* I, c. 61 : baptizandi, ait « precari et jejunantes priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus et jejunantibus. Deinde ducuntur a nobis ubi aqua est... » ; Tertulianus, *De Baptismo*, cap. XX, n. 1 : « Ingressurus Baptismum orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet » (1).

Dictum est suprà : *regulariter*, quia dictæ conditiones interdum non sunt urgendæ, quatenus nempe, proportionata de causa, subjectum possit circa illas relinqui in bona fide, vel quatenus earum adimpletio differri possit, ac sola sufficiat promissio postea supplendi defectui. Et ita nihil impedit quominus, sola attenta sacramenti susceptione (2), omittatur, in casu necessitatis instructio circa illa quæ ad solam liceitatem requiruntur cognoscenda, spondente baptizando sese debitam scientiam acquisiturum esse postquam convaluerit.

Et hæc est differentia notanda cum dispositionibus

---

(1) Cf. Corblet, op. cit., I, p. 368 et 393, quo altero loco memorat consuetudinem nestorianorum Syriæ apud quos « la mère elle-même doit être à jeun, et si le prêtre s'aperçoit qu'il n'en est pas ainsi, il doit remettre à un autre jour le Baptême de l'enfant ».

(2) Dicitur : *sola attenta sacramenta susceptione;* sunt namque nonnulla puncta, signanter illa quæ spectant renuntiationem faciendam falsis ac superstitiosis praxibus, quibus plerumque adhærent catechumeni conversi, circa quæ puncta severiorem sese exhibet S. Sedes, ne in bona fide relinquantur circa illa, eosque, excepto mortis periculo, jubet explicite dedoceri, non propter periculum inde imminens pro ipsa sacramenti susceptione, sed ob periculum ne sic regenerati gentiliter vivere pergant, caracterem suum baptismalem profanaturi.

ad valorem vel ad fructuositatem necessariis: hæ namque, si certò requirantur, *semper* sunt exigendæ, quia earum omissio, quantumvis inculpabilis, reddit sacramentum invalidum vel infructuosum, dum dispositiones ad solam liceitatem requisitæ nullum de se influxum exercent in sacramenti constitutionem ejusve fructum sacramentalem.

Nota. 1°/ Baptizando nullatenus *imponenda* est *confessio peccatorum,* cum sacramenti Pœnitentiæ suscipiendi sit incapax, ac plenissimam remissionem sit consecuturus per ipsum Baptisma (1). « Si qui tamen baptizandi, docet S. Thomas, P. III, qu. 68, art. 6°, ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda,... ad hoc quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur ». Imo *inducendum* catechumenum monet Pastorale Brugense, p. 39, « ad statum animæ suæ aperiendum ei quem in confessarium elegerit, ut doceatur modum pravos habitus eradicandi, onus reparandi damna illata, deponendi inimicitias etc. ».

2°/ Nec imponenda sunt baptizato *opera satisfactoria*, siquidem Baptisma ordinatur ad auferendum omnem reatum non tantum culpæ sed et pœnæ. « Ex quo, uti docet Catech. Conc. Trid., *De Baptismi sacramento*, n. 45, sancta Ecclesia semper intellexit sine maxima sacramenti injuria fieri non posse ut ei, qui Baptismo expiandus sit, ejusmodi pietatis officia, quæ usitato nomine sancti Patres opera satisfactionis vocarunt, imponantur ». Cf. etiam Conc. Florent., et S. Thom., III P., qu. 68, art. 5°, in corpore et ad 2^m (2).

---

(1) Sola confessio, uti habet S. Thomas, III P., qu. 68, art. 6°, quæ requiritur est confessio *interior* quæ fit Deo, qua scil. homo « sua peccata recogitans de eis doleat ».

(2) Opera quidem bona sunt injungenda neo-baptizatis, sed non in satisfactionem, ast in exercitium virtutis, in qua, uti subdit S. Thomas, l. c., « exercitandi sunt... per opera facilia, ut quasi quodam lacte facilis exercitii promoveantur ad perfectiora ». Quodsi olim catechumenis, ante Baptismum, imponebantur opera pœnitentiæ, ad hoc injungi solebant ut

3°/ Hac occasione in memoriam revocatur monitum Pastoralis Brugensis, l. c., p. 38: « antequam (parochus) de Baptismo ei (adulto) administrando statuat, rem ad Episcopum deferat, ejusque stet judicio ».

A. De Smet.

VI

Q. *Quomodo in cæremoniis baptismi parvulorum (Rit. Rom. tit. II, cap. II, nn. 3-7) facienda sunt exsufflatio, signa crucis, manus impositio et salis benedictio ac impositio?*

R. I. **Exsufflatio.** — « Ter exsufflet leniter in faciem infantis et dicat semel: *Exi ab eo* (vel *ab ea*), *immunde spiritus, et da locum Spiritui sancto paraclito* » (Rit. n. 3).

Exsufflatio facienda est *leniter* propter decentiam et ne infanti noceat. Ex Ritualis textu non constat utrum tota absolvenda sit ante verborum prolationem, ut communius fit, an vero facienda sit inter diversa formulæ membra, v. g. primo ante verba, iterum post: « exi ab eo », et tertio post: « immunde spiritus » (1).

Ter repetitur in honorem SS. Trinitatis, cujus nomine solet imperari dæmoni in exorcismis liturgicis (2), qualis certe est, ut patet ex verbis, ritus exsufflationis, cujus tamen significatio multum illustratur ex ritu si-

---

mediantibus illis ad perfectiorem contritionem de peccatis adducerentur, ac adeo uberius fructum sacramentalem consequerentur, perfectius remoto obice.

(1) Hanc ultimam sententiam tenet C. Kunz, *Die liturgischen Verrichtungen des Celebranten*, Regensburg, 1904, p. 183. Nec immerito ut videtur. Pro eadem enim cæremonia in baptismo adultorum ait Rituale (n. 8): « *exsufflet ter*... semel *dicens* ». Hoc loquendi modo requiri videtur actionis et verborum simultaneitas, quam liturgia semper et ubique pro posse intendit, et quæ magis obtinetur in hac sententia quam in modo agendi consueto.

(2) Cf. exorcismos baptizandorum (Rit. Rom. tit. II, c. II, nn. 7 et 12; cap. IV, nn. 24, 28); salis (R.R. tit. II, c. II, n. 6; tit. VIII, c. II, n. 2); aquæ (R.R. VIII, c. II, n. 2); obsessorum a dæmonio (R.R. t. X) etc.

mili in *Ordine baptismi adultorum*, in quo cæremoniæ antiquæ multo minus fuerunt contractæ. Hic enim statuitur : « 8. Tunc sacerdos exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens : *Exi ab eo, spiritus immunde, et da locum Spiritui sancto paraclito.* — 9. Hic in modum crucis halet in faciem ipsius et dicat: *N. Accipe Spiritum bonum per istam insufflationem et Dei benedictionem* ✠ *Pax tibi.* ℣. *Et cum spiritu tuo.* »

His pulcherrime exprimitur infusio gratiæ sanctificantis, quam catechumenus jam ex opere operantis obtinere potest (1) quamque ex opere operato in anima operabitur baptismi sacramentum. Ipsa gratiæ infusione potestative expellitur dæmon, quod per *exsufflationem* exprimitur, et simul suaviter accipitur Spiritus sanctus, quod significatur per *halitum* seu *insufflationem*. Quo ultimo signo Christus ipse usus est ad exprimendam gratiam et potestatem remittendi peccata (2). Gratia autem, quam meruit nobis Christus per *crucem* suam, est effectus benignitatis et *benedictionis* Dei et in animo producit *pacem* quæ exsuperat omnem sensum.

Ex præfata significatione diversa *halitus* qui fit per modum foventis et immittentis, et *exsufflationis* quæ est actio expellentis, liquet ex*sufflationem* in baptismo parvulorum faciendam esse ore angusto, leniter quidem sed cum quodam impulsu.

II. **Signa crucis** duplici modo diverso fiunt.

1. Identidem in rubricis ipsis (3) determinantur nominatim partes corporis vel rei quibus imprimenda est crux : solent tunc etiam rubricæ expresse præscribere ut signum crucis fiat pollice.

---

(1) Olim enim cæremoniæ illæ peragebantur super catechumenos adultos sat longo tempore ante diem baptismatis, in ipso ritu admissionis in catechumenatum, qui ritus inscribebatur : *ad christianum faciendum.*

(2) Ev. Joan. XX, 22. Cf. Genesim II, 7, de creatione hominis : « et *inspiravit in faciem ejus* spiraculum vitæ ».

(3) Cf. pro baptismate, Rit. Rom., tit. II, c. II, nn. 4; 8; c. IV, nn. 10, 13; pro evangelio missæ, cf. *Ritus celebrandi* VI, n. 2 et 5.

Sed etiamsi hæc ultima præscriptio non addatur, semper interna extremitate pollicis parva crux parti designatæ nudæ (ut in fronte) vel vestimento coopertæ (v. g. in pectore) tactu physico imprimenda est, digitis junctis et extensis et manu interiori ad locum signandum conversa.

2. Ubi vero partes corporis non nominatim specificantur (1), persona vel res non debet tangi (2), sed fiunt crucis signa modo consueto : manu tota extensa, junctis digitis, et parvo digito ad personam vel rem signandam converso, efformetur crux græca, cujus nempe quatuor brachia æqualis sint longitudinis.

III. **Manus impositio.** — « Deinde imponat manum, ait Rituale n. 5, super caput infantis et dicat... » Est igitur unius manus impositio, quæ protrahenda est per totam orationem recitandam. Ad manus autem impositionem non requiritur tactus physicus ; convenientius tamen sacerdos primo per momentum tangat infantis caput, puta in fronte, ac deinde per totam orationem teneat manum extensam supra et versus caput infantis.

Quodsi plures simul sint baptizandi primo tangat successive frontem singulorum, et deinde dexteram extendat ante se versus et supra infantes ; hoc modo fit manuum impositio in ordinatione presbyterorum.

IV. **In salis benedictione** faciendæ sunt cruces juxta modum indicatum sub II, 2°. Hæc benedictio omitti potest si præsto sit sal antea jam *pro baptismate* benedictum, non autem si habeatur sal, exorcizatum quidem et benedictum sed benedictione alia, v. g. ea quæ in Rituali invenitur in *Ordine ad faciendam aquam benedictam.*

Oratio pro salis exorcismo et benedictione recitanda duplicem complectitur partem. Prior est formula *impe-*

---

(1) Cf. pro baptismate, Rit. Rom , tit. II, c. II, nn 6, 7, 12. Sæpe simplex notatur crux rubra ad indicandum crucem esse faciendam.

(2) Hoc expresse notatur in *Ordine baptismi adultorum,* n. 13 : « in toto corpore, *illud non tangens,* manu producit signum crucis » Ex hoc loco diserte eruitur duplex diversus modus perficiendi crucem.

rativa, qua sacerdos, nomine Sanctissimæ Trinitatis et in virtute crucis, cujus signum pluries repetitur, sal subtrahit influxui dæmonis (1). Altera est *deprecativa* oratio, ad Deum directa, in qua efflagitatur ut Dominus benedicere et sanctificare dignetur creaturam salis ut fiat medium obtinendi gratiam ex opere operantis (2).

V. Ad **salis impositionem**, ex decreto S. R. C. 30 dec. 1881, in *Urgellen.*, n. 3535, ad 9, « adhiberi non possunt parva instrumenta ex sale confecta, quibus interna oris infantium tanguntur, sed servandum est Rituale Romanum quod salem ad hoc requirit bene confractum et attritum ». Sacerdos igitur pollice et indice dextræ manus accipit « modicum salis benedicti » illudque immittit in os infantis, hoc est, saltem in internam partem labiorum.

Interea dicit formulam qua exprimitur significatio salis quod exhibetur ut symbolum sapientiæ. Addito: *Pax tecum...* recitat orationem sequentem : *Deus patrum nostrorum... Per Christum Dominum nostrum,* quibus verbis completur cæremonia impositionis salis.

Scholion. Ea pars liturgiæ præparatoriæ ad baptismum, cujus ritus exposuimus (Rituale, a n. 3 ad medium n. 7), in antiqua liturgia romana peragebatur tota non in ipso die baptismatis sed in ritu admissionis ad catechumenatum. Sicut universa liturgia præparationis ad baptisma, ita etiam hæc pars præ se fert indolem luctæ contra dæmonem ex anima catechumeni expellendum. Et ita non tantum exsufflatio sed etiam crucis impressio et manus impositio simul pertinent ad complendum ritum exorcismi, ut fusius postea explicabimus.

C. Callewaert.

---

(1) Interdum in similibus formulis verba diriguntur directe ad ipsum dæmonem eique mandatum intimatur, v. g. in *Ordine baptismi parvulorum* nn. 3; 7 et 12, vel *adultorum,* nn. 8; 22; 23; 24; 28; 36; 38; 41; cf. etiam ritum *De exorcizandis obsessis a dæmonio,* passim.

(2) Eadem illa distinctio invenitur in benedictione salis pro aqua lustrali (Rit. Rom., tit. VIII, c. II, n. 2), in benedictione ipsius aquæ (ibid.), in pluribus cæremoniis baptismatis quæ sunt ritus exorcismales, et generatim in omnibus exorcismis.

De ritu absolutionis pro defunctis

Ut plurimis iisque diversis respondeamus quæstionibus ac dubiis de absolutione defunctorum non raro propositis, utile visum fuit nonnulla hanc materiam practicam spectantia breviter ita pertractare ut regulis quibusdam generalibus maxime inhæreamus.

I. Duplex, ratione ritus, distinguitur modus absolutionis pro defunctis.

A. ALTER SOLEMNIOR et usitatior, qui fit:

a/ vel **ad feretrum**, in exequiis, quando corpus est physice aut moraliter (1) præsens. Ritus ille describitur in Rituali Romano, tit. VI, cap. III, n. 7 seqq. et in ultimis editionibus *Missalis pro defunctis* in fine.

b/ vel **ad tumulum** seu castrum doloris, in ecclesia erectum, quando nec physice nec moraliter cadaver præsens sistitur, puta in anniversariis. Ritus hic a præcedenti differt in hoc quod omittenda est oratio *Non intres in judicio cum servo tuo* (2), et quod alio modo terminatur functio. Descriptus invenitur in Rit. Rom. tit. VI, cap. V, et melius ac omnino completus in editionibus recentioribus (3) Missalis pro defunctis, in appendice.

Ad neutram cæremoniam adhibendum est antiquum Pastorale Brugense, cujus rubricæ proscriptæ sunt in omnibus in quibus discrepant a Rituali Romano.

---

(1) Cadaver censetur *moraliter* præsens, quando ob vetitum civile, morbum contagiosum aut impedimentum liturgicum corpus non potest sepeliri cum missa de requie, et missa exequialis celebratur corpore nondum sepulto aut infra biduum post sepulturam.

(2) Quia verba illa desumpta sunt ex textu S. Scripturæ (Psalm. 142, v 2) nunquam licet ea mutare in alia v. g cum *ancilla tua*; decr. S. R. C. 21 Jan. 1741, n. 2355.

(3) In editione typica anni 1884 et in subsequentibus, ubi ex integro exhibentur post *Orationes diversas pro defunctis* ritus et preces præscripti in fine absolutionis.

Pro his cæremoniis adverte:

1. *De loco quo consistere debet celebrans* (cum diacono).

a/ Si corpus sit præsens physice aut moraliter, semper standum est « contra crucem *ad pedes defuncti* », quasi celebrans defunctum in faciem respiceret dum pro eo Deum deprecatur.

Corpus laici deponitur in ecclesia, pedibus versis ad altare, illudque quasi aspiciens, sicut vivens in ecclesia solebat. Cadaver vero sacerdotis, qui in vita auctoritatem et curam exercebat in plebem, deponitur capite ad altare verso, quasi populum aspiciens et regens (1).

b/ Corpore autem absente tum physice tum moraliter, celebrans semper se sistit « in capite loci *inter altare et tumulum*, aliquantulum versus cornu epistolæ, ita ut crucem subdiaconi respiciat » (2), etiamsi fiat absolutio pro defuncto sacerdote (3).

Utrum autem tumulus pro defuncto sacerdote ita erigi debeat ut repræsentet cadaver quasi ad altare an vero quasi ad populum conversum, non constat apud auctores (4).

2. *De loco crucis.*

Subdiaconus cum cruce semper se sistit « ex adverso » celebrantis, ut hic infra orationes et ritus habeat crucifixum ad se conversum eique debitas facere possit reverentias forsan occurrentes (5).

Tempore officii et missæ crux collocari nequit ad caput feretri (6): tunc enim nulla peragitur cæremonia

---

(1) Rit. Rom. tit. VI, cap. 1, n. 17 et cap. 3, n. 4. In *delatione* autem cadaveris etiam sacerdotis, corpus ita semper disponitur ut pedes sint a parte anteriori, ut nempe deferatur aliquatenus quasi pedibus procederet.

(2) *Ritus absolutionis post missam pro defunctis* in fine Missalis *pro defunctis*.

(3) Decr. S. R. C. 20 Julii 1899, n. 4034 ad 3. Cf. *Ephem. liturg.*, 1899, p. 651-655.

(4) Cf. De Herdt, *S. Liturgiæ praxis*, T. III, n. 266, 1° (p. 344) et auctores ibidem citatos; *Ephem. liturg.* 1899, p. 654; 1900, pp. 143-163.

(5) Similiter fiat in ritu sepulturæ ad sepulchrum.

(6) Decr. S. R. C. 30 Dec. 1881, n. 3535 ad 6. Cf. *Collat. Brug.*, 1898, p. 127.

sacra circa feretrum aut tumulum, et vices crucis processionalis agit tunc crux in altari erecta. Crux enim processionalis seu cum hasta effertur tantum in processionibus et in cæremoniis quæ in itinere peraguntur. Ita in ritu exequiali, effertur in processione ab ecclesia ad domum defuncti et vice-versa (1), et rursus in processione ab altari ad feretrum aut tumulum (2) et inde ad locum sepulturæ. Inter utramque processionem deponitur ad latus chori (3).

3. *De reverentiis faciendis* servanda est **regula** generalis :

a/ Quoties transitur ante Sanctissimum tabernaculo inclusum, genuflectunt omnes qui non sunt impediti.

b/ Quando transeunt ante crucem altaris aut crucem processionalem in quadam cæremonia elatam, celebrans (et canonici) caput — non corpus — profunde inclinant (4), ceteri vero ministri genuflectunt unico genu.

Hic notare juvat verba Ritualis, tit. VI, cap. III, n. 10, dicentis: « facta profunda inclinatione cruci quæ est ex adverso,... circumiens feretrum... aspergit... et incensat ». Posset quis hanc rubricam ita intelligere ac si sufficeret unica capitis inclinatio cruci facienda antequam celebrans feretrum aut tumulum circumire incipiat. Ast hæc interpretatio aperte contradicit præscripto Cæremonialis Episcoporum, lib. II, c. XI, n. 18, in fine (5), verbis *Ritus absolutionis post missam pro de-*

---

(1) Rit. Rom. tit. VI, c. 3, n. 1; c. 7, n. 1.

(2) *Ritus absolutionis post missam pro defunctis* in fine Missalis pro defunctis; Rit. Rom. tit VI, c. 3, n. 7; tit. VI, c. 5, n. 1.

(3) Hæc omnia adæquate explicantur ex antiqua disciplina juxta quam una eademque crux deferebatur in processione — notatim in deductione funeris — et hac finita, dimissa hasta, collocabatur in altari, pro missa.

(4) Inclinandum est *caput,* non corpus, quia inclinatio fit tantum in signum reverentiæ et salutationis, non vero in signum humiliationis et contritionis; inclinatio autem fit *profunda* quia reverentia exhibita cruci pertinet ad cultum latriæ. Cf. *Collat. Brugen.*, T. X. 1905, p. 160 et 304.

(5) « Similiter cruci reverentiam faciet transiens ante illam ad pedes lecti ». Item in Pontif. Rom. (De off. solemni post missam pro defunctis)

functis (1), communi auctorum et usus interpretationi, æque ac regulæ generali supra indicatæ et ab omnibus admissæ. Debent præfata verba ita intelligi ut quoties, in circumeundo tumulum, transitur ante crucem, toties eam revereatur celebrans capitis profunda inclinatione, et diaconus genuflexione.

4. Subdiacono crucem deferente, *solus diaconus celebranti assistit.* Qua in assistentia sequens servanda est semper **regula**: Quamdiu simpliciter assistit, quin aliquod ministerium præstare debeat celebranti, procedit, stat vel sedet a sinistris celebrantis cui honoris locum cedit. Est prima regula urbanitatis liturgicæ.

Quando autem ei ministrandum erit, generatim saltem, transit ad dexteram sacerdotis ut facilius ipsi ministerium requisitum præstet, ut v. g. offerat biretum, incensi naviculam, aspersorium, thuribulum, ut pluvialis fimbrias elevet (2). Ex natura rei patet.

5. *Incensum* hic est benedicendum more solito, sed a diacono ministratur sine osculis, juxta **regulam** generalem:

a/ Incensum semper benedicitur, nisi quando *solum* incensare oportet SS. Sacramentum (ut in laudibus vespertinis) vel etiam, juxta plures (3), reliquias SS. Crucis aut Passionis.

b/ In officiis pro defunctis omittuntur omnia oscula; coram Sanctissimo exposito omittuntur reverentialia.

6. *Biretum* assumitur a celebrante et diacono — non ab aliis — ad progressum ab altari ad feretrum et a

---

(1) In fine recentioris editionis Missalis pro defunctis: « accipit aspersorium... et *facta Altari reverentia,* circuiens tumulum, aspergit... *Cum transit ante crucem profunde inclinat,* diaconus vero genuflectit ».

(2) *Rubr. Gen. Missalis* XIII, n. 4; et *Ritus absolutionis ab Episcopo vel prælato faciendæ* (in fine Missalis pro defunctis).

(3) De Herdt, *S. Liturg. prax.* II, n. 199; Van der Stappen, *De administr. Sacrament.*, q. 365, p. 438; cf. etiam Coppin et Stimart, *Sacr. liturg. compendium,* n. 756. Contrarium tenent *Ephem. liturg.* 1899, p. 170; Kunz, *Die liturgischen Verrichtungen des Celebranten,* p. 143, aliique ibidem citati.

feretro ad sacristiam; deponitur autem toto functionis tempore (1).

Regulam generalem tradunt auctores: a ministris paratis, in ecclesia, biretum capiti imponi in accessu ad sacras functiones et in recessu aut locali transitu ab una functione ad aliam, non autem in actuali ministerio, nisi quando sedetur Sanctissimo non exposito.

B. ALTER MODUS peragendi absolutionem pro defunctis est minus solemnis, facilior sed infeliciter apud nos vix usitatus.

Fit **ad altare, super pannum nigrum** ut dicitur, et in Cæremoniali Episcoporum, lib. II, cap. XXXVII, sequentibus verbis præscribitur faciendus.

Finita missa de *Requiem*, celebrans, « accedet ad cornu epistolæ altaris ubi in plano, deposita planeta et manipulo, accipiet pluviale nigrum », ascendet altare a latere et « stans in dicto cornu epistolæ, versus ad altare, exspectabit finem responsorii *Libera me;* interim (2) clerici seu alii extendent pannum nigrum ante gradus altaris. Quando per cantores repetitur responsorium *Libera me* post versiculum *Requiem æternam* etc., celebrans imponet thus in thuribulum ministrante naviculam diacono... Dictò ultimo *Kyrie eleison*, stans, detecto capite in dicto cornu epistolæ versus ad altare, dicet intelligibili voce *Pater noster* quod secrete complebit; et interim accedet ad medium altaris et versus dictum pannum, ministrante Diacono aspersorium, asperget ter super eundem pannum... (3); tum ministrante eodem diacono thuribulum, simili modo ter thuribulum ducens, pannum thurificat; deinde conversus ad altare, ex libro super illud posito, in eodem cornu epistolæ, dicet versiculum *Et ne nos inducas* etc. cum aliis

(1) Cf. *Collat. Brug.*, IV, 1899, p. 63, ibique citatum decretum S. R. C. 30 Junii 1883.

(2) Hoc est, finita missa statim incipiunt clerici extendere pannum.

(3) Juxta regulam generalem hoc faciet: 1° in medio, 2° a sinistris *sui*, 3° a dextris *sui*.

versiculis, et oratione, atque in fine versiculum *Requiem æternam dona eis Domine*, etc. tandem, dicto per cantores versiculo *Requiescant* [vel *Requiescat*] (1) *in pace*, celebrans redibit in sacristiam ad se exuendum. »

Ad quæ animadvertere juvat:

1/ *Indumentorum mutationem* faciendam esse « ad cornu epistolæ in plano ». Ibidem ceteroquin facienda est etiam ante absolutionem ad tumulum aut feretrum (2) et regula generali in similibus adjunctis, v. g. inter aspersionem aquæ benedictæ aut benedictionem cinerum, palmarum etc. et missam. Minus enim convenit ut hæc peragatur in medio ante gradus altaris, multo minus ad ipsum altare in suppedaneo.

2/ *Crucem* non esse deferendam. Quum enim pannus niger extendatur prope gradus altaris, nulla instituitur processio.

3/ *Diaconum* — si celebrata fuerit missa solemnis — semper assistere a dextris celebrantis, ideoque locum esse mutandum cum subdiacono, post terga celebrantis, quando hic in medio altaris ad populum se convertit.

II. *Quomodo terminandus est ritus absolutionis?*

In Missali Romano (Rubr. gener. t. XIII, n. 4), in Rituali Rom. (tit. VI, c. 5, n. 2), in Pontificali Romano (De off. solemni post mis. pro def.), ultima verba (per cantores dicenda) sunt: *Requiescat in pace. Amen.* De precibus recitandis in reditu ad sacristiam nihil præscribitur.

Ad absolvendum ritum *sepulturæ* cadaveris statuitur in Rituali Romano (tit. VI, cap. III, n. 15): « Deinde a sepultura in ecclesiam vel in sacristiam revertentes, dicant sine cantu antiphonam: *Si iniquitates*, cum psalmo: *De profundis*, etc. *Requiem æternam*, etc. » Quæ quidem non videbantur applicanda ritui *absolutionis* absente corpore.

---

(1) Decr. S. R. C. 22 Jan. 1678, n. 1611.

(2) D. S. C. R. 7 Mart. 1861, *S. Marci*, n. 3108, ad 5 (*Coll. Prop.*, T. IX, p. 593).

Sed in editione typica anni 1884 et in subsequentibus editionibus *Missarum pro defunctis*, post « Orationes diversas pro defunctis in absolutione supra tumulum pro varia temporum opportunitate dicendas » ex integro describitur finis cæremoniæ :

« Post orationem celebrans faciens crucem manu dextera super tumulum, dicit: ℣. *Requiem æternam dona ei* (vel *eis*) *Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat ei* (vel *eis*).

« Et dicto per cantores ℣. *Requiescat* (vel *requiescant*) *in pace.* ℟. *Amen.*

« Celebrans dicit: ℣. *Anima ejus* (vel *animæ eorum*) et *animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

« Quibus expeditis, omnes in sacristiam, cruce præcedente, revertentes, voce submissa sed intelligibili celebrans dicit: *Si iniquitates.* Inde alternatim cum choro psalmum *De profundis*, et in fine: *Requiem æternam dona eis Domine* et repetita antiphona. *Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?* subjungit:

Kyrie eleison. Christe... Kyrie... Pater noster, secreto. ℣. *Et ne nos inducas...* ℟. *Sed libera...* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animas eorum.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine exaudi...* ℣. *Dominus vobiscum... Oremus. Fidelium Deus omnium...*

℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.* ℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

Has preces recitare incipit celebrans cum ministris statim ac discedit a tumulo (1), et pergit in itinere ad sacristiam, ubi eas, si necesse sit, absolvit stans ante sacristiæ crucem.

Sancta mater Ecclesia, nullius filiorum in purgatorio degentium immemor, has preces recitare præcipit *pro omnibus fidelibus defunctis*, ideoque semper in plurali dicuntur. Quum autem in die secunda novembris totum officium peragatur in suffragium omnium fidelium de-

(1) Non debet exspectare usque dum pervenerit ad altare et cruci fecerit debitam reverentiam, ut quidam putant.

functorum, omittuntur omnia præfata inde a ℣. *Anima eorum et animæ omnium*... inclusive. Ita ex ipso Missali « ex S. R. C. decretis 2 dec. 1684 et 28 julii 1832 » (1).

Preces illas dicendas esse post omnem absolutionem pro defunctis, excepto casu quo fit pro omnibus defunctis, patet ex sequenti decreto S. R. C., diei 11 martii 1899, in *Vicentina*, n. 4014.

« Utrum in reditu in sacristiam, absolutione ad tumulum expleta, in officiis et missis cum cantu pro uno vel pluribus defunctis, die septima, trigesima vel anniversaria, aut etiam extra has dies celebratis, dici debeat: *Anima ejus* (vel *animæ eorum*) *et animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*, et antiphona: *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis* et oratione *Fidelium Deus?* »

Respond.: « Affirmative, juxta Missale Romanum (2) et decreta in una *Brixien.* ad secundum, diei 28 Julii 1832 et in altera *Florentina* diei 31 Augusti 1872 ».

III. *Quæritur utrum liceat absolutionem peragere sequenti ritu?*

Celebrans finita missa, cum paramentis missæ, ad altare conversus, ante gradus, cantat vel recitat omnia verba absolutionis, sed deficit omnis pannus niger aut tumulus, omittunturque omnes cæremoniæ, aut ad summum fit aspersio cum aqua benedicta versus altare aut etiam versus adstantes?

Censemus hoc non licere.

Libri enim liturgici duplicem dumtaxat supra expositum ritum agnoscunt.

Inficias autem ibit nemo suppressione omnium cæremoniarum, absolutionis naturam et significationem esse mutatas.

In specie, altaris aspersio plane incongrua videtur.

---

(1) *Missæ pro defunctis*, editio recens, loco citato. Eadem exceptio supponitur etiam in dubio decreti S. R. C. 31 Aug. 1872, in *Florentina*, n. 3267.

(2) Intenditur textus supracitatus ex recentioribus editionibus *Missarum pro defunctis*.

Deficiente enim panno nigro aut tumulo defunctum repræsentante, jam non dirigitur aspersio ad defunctum, ut in ritu a rubricis præscripto, sed aliam significationem habere nequit præter altaris lustrationem, quæ optime quidem intelligitur *ante* summum sacrum, hic autem post missam in ritu pro defunctis vix non inepta recogitanti videbitur (1).

Tandem, quomodo hæc conciliari possint cum sequentibus S. R. C. decretis nescimus:

a/ *Urgellen.* 30 decemb. 1881, n. 3535 ad V.

« Num, quando in absolutione post missam de requie cantatam, nec tumulus erectus invenitur, nec lectica portatur, nec pannus extenditur ante altaris gradus, possit celebrans sistere in cornu epistolæ in plano vel in suppedaneo versa facie ad latus evangelii, prout moris est apud nos, et in eodem loco aspergere et orationem cantare? »

Resp. ad V: Negative.

b/ *Ceneten.* 5 martii 1904, ad I, (Cf. *Collat. Brug.*, 1904, t. IX, p. 592), (2) quo declaratur absolutionem non recte fieri « sine pluviali et *absque incensatione* ».

Non ideo tamen prohibetur quominus sacerdos qui celebravit in refrigerium animarum purgantium missam de *Requiem* aut de die, recitet ad pedem altaris, non depositis vestibus sacris, quasdam preces pro defunctis, v. g. *De profundis* cum oratione pro defunctis, actus fidei spei et charitatis, etc. Ratio discrepantiæ est quod hic agitur de precibus tantum, supra vero quærebatur de mutando ritu qui habet naturam sibi propriam et cæremonias sibi proprias in liturgia determinatas. Ut patet, nequeunt illæ preces addi quasi

---

(1) Alia prorsus est quæstio de lustratione solius *populi* post finem alicujus officii liturgici, v. g. missæ, laudum vespertinarum, installationis novi parochi: hanc consuetudinem, ubi viget servari posse censemus cum *Ephem. Liturg.* 1905, p. 299. Cf. De Herdt, *S. Liturg. praxis*, T. III, n. 132; Coppin et Stimart, *Sac. Liturgiæ compendium*, n. 735.

(2) Cf. Decr. S. R. C. 20 Junii 1899, n. 4034, ad 4.

quædam missæ pars, ut videtur obtinuisse in dubio proposito in decreto S. R. C. 13 aug. 1669, n. 1393. Et post missam privatam, semper dici debent prius orationes præscriptas a Leone XIII (ter *Ave* etc.) aut commendatas a Pio X (*Cor Jesu sacratissimum* etc.) (1).

IV. *Quonam habitu peragi debet absolutio?*

Nonnisi in nigris et nunquam cum omnibus missæ indumentis. Si fiat immediate post missam de *Requiem*, depositis manipulis, assumitur a celebrante pluviale loco casulæ. Si non fuerit celebrata missa de *Requiem*, omnes induunt superpelliceum et officium agens assumit insuper stolam et pluviale (2).

Quodsi quæratur utrum pluviale sit de præcepto, respondendum usum pluvialis requiri explicite a Rituali Romano (tit. VI, cap. III, n. 7 et cap. V, n. 1) a Missali Romano (appendice citata) et Cæremoniali Episcoporum (loco citato), item vel præcipi vel supponi in decretis n. 3108 ad 4 et 5, et 5 mart. 1904 (*Coll. Brug.*, 1904, p. 592-593). Quidam tamen auctores (3) applicant hic in casu verba *Rubric. gener. Missalis* tit. XIX, n. 4: « ubi pluviale habere non potest, in benedictionibus quæ fiunt in altari, stat sine planeta cum alba (4) et stola ».

C. Callewaert.

---

(1) Cf. decreta S. R. C. *Portus Ludovici*, 23 Maii 1893, n. 3805; *Mechlinien.* 31 Aug. 1867, n. 3157, ad 7, coll. n. 1393. Cf. *Ephem. liturg.*, 1905, p. 301.

(2) Cf. *Collat. Brugen.*, t. IX (1904), p. 606 ss ; t. X (1905), p. 241.

(3) Ita *Ephem. liturg.* 1905, p. 300; De Herdt, *S. Lit. praxis*, T. III, n. 267; Kunz, *Die liturgischen Verrichtungen des Celebranten*, p. 257, nota 3. Si celebrans non posset habere pluviale, etiam dimittendæ essent dalmatica et tunicella, ut notat Coppin et Stimart, *S. Liturgiæ compendium*, n. 713.

(4) Ut ex supradictis patet, loco albæ assumendum esset superpelliceum casu quo absolutio non fieret immediate post missam de *Requiem*.

E S. C. Episcoporum et Regularium

Dubia circa votum simplex paupertatis.

—

I

RESPONSUM 21 NOV. 1902 (1).

Die 21 Novembris anni 1902, S. Congr. Episcoporum et Regularium, proposito dubio: « Potesne religiosus, ante professionem suam statuere ut patrimonii sui fructus ipsis bonis accrescant, » respondendum censuit:

Negative.

Ità reperitur in fasciculo supplicum libellorum quod asservatur in archivio S. Congr. Episcoporum et Regularium.

In cujus fidem, etc.

Datum Romæ, ex eadem Secretaria, hac die, 29 Novembris 1902.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

II

RESPONSUM 2 JUN. 1905 (2).

Beatissime Pater,

Sanctimonialis..., præmisso pedis osculo, humillime exponit quatenus, ante religiosam professionem, ita de propriis redditibus disposuit, juxta normam proprio Ordini assignatam a S. Congr. Ep. et Reg., 12 Julii 1896, quæ in Collectanea Andreæ Bizzarii præscripta legitur pro Maristis in articulo: *quoad votum paupertatis...*, ut illos quasi ex æquo suo fratri et propriæ communitati cederet.

Jam vero frater nunc, ob auctas necessitates, majori

(1) VERMEERSCH, *De religiosis*, supplementa et monumenta periodica, 1ª Ser., nº 5, p. 122.

(2) *Nouv. rev. théol.*, T. XXXVII, 1905, p. 619.

subsidio indiget, quod illi concedere oratrix in votis habet. Quapropter humillime postulat:

1° An juxta normas a S. Congr. Ep. et Reg., die 28 junii 1901 datas, possit cum sola superiorissæ licentia dispositionem redditiuum mutare?

2° Et quatenus negative, ut Sedes prædictam facultatem indulgere dignetur.

Pro qua gratia...

Sacra Congregatio E^morum^ ac R^morum^ S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita super præmissis rescribendum censuit prout rescribit: ad I^m^. *Affirmative.* Ad II^m^. *Provisum in primo.*

Romæ 2 junii 1905.

L. ✠ S. D. Card. Ferrata, *Præf.*
Ph. Giustini, *Secret.*

Annotationes. — Obligationes quibus tenentur religiosi ratione voti simplicis paupertatis præfinitæ erant, ante hos paucos annos, formula, ut aiunt, Andreæ Bizzarrii. Hæc, præscripta primum Maristis (15 Juin 1860) aliisque Institutis deinde imposita, transiit ad omnes Congregationes religiosas et hoc nomine vocatur quia prima vice compilata et transcripta fuit in *Collectanea S. C. Episc. et Regul.* edita ab Em. Card. A. Bizzarri.

Ex illà, professi Institutorum tum votorum temporalium, tum votorum perpetuorum conservare valent radicale dominium bonorum suorum, nullo vero modo eorum administrationem, usumfructum et usum; ergo ante professionem *cedere* tenentur cui placuerit, etiam communitati, *administrationem, usum et usumfructum;* huic cessioni apponi tamen poterit conditio, quod ad beneplacitum cedentis revocabilis sit, sed professus hac facultate revocandi in conscientia uti non poterit, nisi de consensu *S. C. Episc. et Regul.* (1).

Normæ secundum quas procedere solet S. C. Episc. et

---

(1) Battandier, *Guide canonique pour les constitutions des Instituts à vœux simples*, 3 éd., p. 133 sv., Paris, 1905.

Regul. in novis Institutis votorum simplicium approbandis, anno 1901 in codicem authentice redactæ, has dispositiones mutaverunt, posita genuina definitione voti simplicis paupertatis, quod in eo situm est, ut religiosi priventur jure licite disponendi de re quacumque temporali, sine venia legitima superiorum (a. 113 *Normæ*).

Operæ pretium est afferre textum *Normarum:*

a. 115. Propterea ante primam votorum emissionem *disponere* debent *de usu et usufructu* redditiuum vel fructuum bonorum suorum quo modo ipsis placuerit et etiam, si ita pro earum arbitrio existimaverint, in favorem sui Instituti. Debent etiam ante prima vota *cedere administrationem* suorum bonorum personæ vel personis sibi benevisis; et, si libere velint, etiam proprio Instituto præmonito et acceptanti.

116. [Cessioni administrationis] apponi poterit conditio quod sit quandocumque revocabilis.

117. Revocatio autem, et etiam mutatio horum actuum cessionis licite fieri nequit durantibus votis sine licentia *moderatricis generalis.*

Attenta illa definitione voti simplicis paupertatis et inspectis textuum allatorum differentiis, varia exorta sunt dubia.

1° An religiosi simpliciter professi ita disponere possunt de usufructu, ut percepti fructus suis bonis accrescant?

Res controvertebatur. Alii (1) attendentes ex una parte, authenticæ definitioni voti simplicis paupertatis et textui *Normarum*, vi cujus licet religiosis disponere, modo quo placuerit de usufructu vel illum cedere, et ex altera parte, interpretationi et praxi sat communiter etiam ante publicationem *Normarum* vigenti, in sensum affirmativum quæstionem solverunt. Alii interpretati sunt *Normas* ac si ibidem ageretur de dispositione

(1) VERMEERSCH, *De religiosis*, T. I, n° 246, 3°; T. II (ed. 3), p. 143, n° 71; BATTANDIER, *o. c.*, n^is 174, 176, 179.

ususfructus per illius cessionem seu per renuntiationem juri faciendi fructus suos, per abdicationem ipsius redditiuum proprietatis ante professionem faciendam; eo vel magis quod secundum *Normas* professæ retineant solum dominium radicale bonorum, proinde non dominium indirectum (1). Confirmatio hujus sententiæ eruebatur ex art. XI Decreti « *Perpensis* », 3 Maii 1902 pro monialibus votorum solemnium, vi cujus cedere tenentur professæ ante simplicem professionem administrationem bonorum, usum et usumfructum cui placuerit, retento solo dominio radicali.

Hanc secundam opinionem secuta est S. C. Episc. et Regul. in primo adducto responso, sane authentico, etsi via privata communicato. Prudentioris judicio (2), videtur hæc S. A. decisio ad omnes pertinere, quotquot faciunt simplicem professionem, nisi a probatis constitutionibus contrarium edicatur.

Tamen quoad vim Decreti, plene assentire fas est annotationibus, quas doctissimus P. Vermeersch huic decreto adnexuit. (3) « *a*/ Illud responsum non pro-
» hibet quin ex reditibus solvantur omnia impendia
» necessaria vel utilia ad patrimonium servandum in-
» tegrum (4); *b*/ Nec vetat quin in finem pium novicius
» velit per aliquot annos servari reditus donec v. g.
» perficiatur summa quædam isti fini sufficiens; *c*/ cum
» simplici paupertatis voto radicale servetur dominium,
» contraria dispositio quamquam illicita, non tamen
» fuerit invalida; *d*/ tam generalem putant esse con-
» trariam multorum religiosorum persuasionem *scri-*
» *ptores Rev. théol. française* (5) ut nondum ausi fuerint

---

(1) *Rev. théol. franç.*, T. IX, 1904, p. 395; *le Canoniste Contemporain*, T. XXVII, 1904, p. 39.

(2) VERMEERSCH, *De religiosis*, suppl. et docum. periodica *l. c.*

(3) *O. et l. c.*

(4) Sive patrimonium constituatur bonis immobilibus, sive actionibus et obligationibus etc. Cf. BATTANDIER, *o. c.*, nº 174, *d*/; 179, *d*/.

(5) *Rev. théol. franc.*, l. c., p. 395-396. Secundum illud period. hoc sensu

» ob sic editam declarationem rem religiosis stricte
» imponere; *c/* Quod si ex Instituti *consuetudine*, a
» decem saltem annis recepta, ista fructuum conser-
» vatio non videatur repugnare disciplinæ paupertatis
» ut est, silentibus constitutionibus, intellecta, hujus-
» modi consuetudinem hac responsione tolli vel impro-
» bari non arbitramur. »

2° Semel authentice publicatis *Normis*, eas ut jus sibi commune observare tenentur nova Instituta approbanda. Sed quid de extensione *Normarum* ad Instituta jam approbata? Possuntne hæc sese conformare recentibus illis dispositionibus, casu quo propriæ constitutiones a Sancta Sede approbatæ contrarium (1) edicunt? Respondendum est negative, propter solemnem illam appositionem manus pontificiæ in approbatione constitutionum verificatam, nisi aliud declaret Sedes Apostolica. Hujusmodi declarationis exemplum præbet jam secunda decisio superius transcripta.

In hac agitur de quadam sanctimomali, quæ juxta præfatam formulam Bizzarrianam proprio Ordini assignatam, ante professionem ita de redditibus disposuit ut eos quasi ex æqua parte, suo fratri et propriæ communitati cederet. Facta professione, fratri necessitatibus laboranti partem reddituum augere exoptat sanctimonialis. Anceps vero hæret, num prætermissa regula Bizzarii qua reportare teneretur consensum S. C. Episc. et Regul., possit secundum *Normas*, cum sola Superiorissæ licentia dispositionem reddituum mutare. S. Congregatio de hac re interrogata, non specialem indulsit facultatem sed modo generali responsum dedit affirmativum.

---

intelligebant religiosi præscriptiones formulæ Bizzarii ac si eà ipsis potius prohiberetur libera dispositio reddituum quam retentio eorum dominii.

(1) Etenim si *sileant* constitutiones, in votis est Ecclesiæ ut Instituta approbata conformiter ad *Normas* vitam religiosam agant; imo ad hoc tenentur casu quo stylus Curiæ, authentice in hunc codicem redactus vim jam induit consuetudinis legalis.

Inde sequitur quod, etsi ex tenore Responsi videatur agi de aliqua moniali antiquiorum Ordinum quæ, uti apud nos, simplicem tantummodo emisit professionem, ratio hujus Decreti extendi possit ad omnia Instituta votorum simplicium. Ad mutandum ergo actus quibus disponunt religiosæ ante professionem, de usu et usufructu reddituum, sicuti ad revocandum administratorem bonorum, omnia Instituta votorum simplicium, nuntium possunt mittere formulæ Bizzarrii et ei substituere textum Normarum. Ex illo responso quod mentem Ecclesiæ clare indigitat, jam etiam vales concludere, qua via jus recenter statutum pro novis Institutis, suaviter et efficaciter ad antiquiora traducatur Instituta (1), quin per se eis modo obligatorio imponatur.

A. De Meester.

Kyriale seu Ordinarium Missæ Editionis Vaticanæ.

Solerti cura SS. D. N. Pii Pp. X, summo studio et diligentia Commissionis pontificiæ, die 14 Augusti, in lucem prodiit *Kyriale* seu *Ordinarium Missæ* editionis vaticanæ cantum gregorianum S. R. Ecclesiæ proprium continentis. Hic liber, ad similitudinem *Libri Gradualis* anno 1895 a Rev^mo D. Pothier publicati confectus, cum juxta fidem novorum et meliorum codicum sit exaratus et numerosiores cantilenas comprehendat, priore quoad qualitatem et quantitatem multò præstantior habendus est (2).

(1) Vermeersch, *o. c.*, T. II, p. 122, nº 9.

(2) In ultima sessione Conventus generalis cultorum cantus gregoriani Argentorati 16-19 Aug. 1905 coadunati, sequens lecta fuit declaratio: « La commission pontificale pour l'édition Vaticane des livres de chant liturgique a l'honneur de porter à la connaissance du congrès que les feuilles du Kyriale de l'édition vaticane ont reçu le bon à tirer définitif. Elle est heureuse de déclarer que ce travail, tout en se basant sur l'édition

Ad modum introductionis hujus opusculi, hoc perpendendum legitur documentum :

DECRETUM

Post Apostolicas litteras SS. D. N. Pii divina Providentia Pp. X, Motu Proprio datas die XXV Aprilis MCMIV, quibus decernitur nova committenda typis Vaticanis editio librorum, cantum gregorianum S. R. Ecclesiæ proprium continentium, prout ab ipsomet Pontifice restitutus fuit, Commissio Pontificia, mandata et desideria ejusdem Pontificis adimplens, ipsam editionem summo studio ac diligentia paravit, atque perfecit.

Hæc vero S. Rituum Congregatio, hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus habendam esse declarat atque decernit; ita ut in posterum melodiæ gregorianæ, in futuris hujusmodi librorum editionibus contentæ, prædictæ typicæ editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato, adamussim sint conformandæ, etiamsi agatur de excerptis ex libris iisdem.

Nulli tamen fas erit librorum cantus gregoriani sic restituti, in totum vel ex parte editionem suscipere aut evulgare, nisi prius a S. Sede facultatem obtinuerit, normis servatis et instructionibus, quæ in Decreto S. R. C. diei XI Augusti MCMV continentur (1).

Denique hæc eadem S. Rituum Congregatio de mandato SSmi declarat vivissimum esse ejusdem Sanctitatis Suæ desiderium, quod ubique locorum Ordinarii curent, ut quilibet libri hucusque editi cantum liturgicum referentes, etiamsi quocumque pontificio privilegio muniti, aut quavis adprobatione commendati, sensim sine sensu, quamprimum tamen, ab ecclesiis, etiam Regularium, romanum ritum sectantibus amoveantur, ita ut libri liturgici gregorianos concentus continentes ii tantummodo adhibeantur, qui, juxta normas supradictas compositi, huic typicæ editioni plane fuerint conformes.

---

de 1895, et d'accord avec les dispositions du Saint-Siège à ce sujet, représente le fruit des recherches patientes et éclairées des RR. Pères de Solesmes. »

(1) *Coll. Brug.* T. X, p. 572.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Præfectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Initium *Ordinarii Missæ* exhibet notissimas cantilenas ad aspersionem aquæ benedictæ, adjectis duobus aliis cantibus *asperges* ad libitum. Sequuntur decem et octo Missæ completæ cum *Kyrie*, *Gloria*, *Sanctus*, *Agnus Dei*, *Ite Missa est* vel *Benedicamus*.

Hæc prima pars concluditur sequenti animadversione: « Qualislibet cantus hujus Ordinarii superius in » una Missa positus adhiberi potest etiam in alia ; item- » que licet, pro qualitate Missæ, aut gradu solemni- » tatis, aliquis assumi ex iis qui subsequuntur. » Hi autem inscribuntur *Cantus ad libitum* et numero sunt undecim *Kyrie*, tres *Gloria*, tres *Sanctus*, duo *Agnus Dei*.

Jam ex nunc, prostant apud Societatem S. Joannis evangelistæ (Desclée, Lefebvre et Cie), apud Pustet etc., variæ editiones *Kyrialis*, quæ omnes commendantur elegantià formæ et claritate impressionis. Tres apud Desclée et Soc. habentur editiones (in-8, in-12, in-18) quæ plane concordant cum editione typica ; tres vero æque conformes editioni vaticanæ, sed signis rythmicis a Solesmensibus monachis ornatæ; una demum rythmica, notis musicalibus modernis concinnata. Publicabitur quoque editio cum organo comitante, operâ Giulio Bas.

Editionem in-8 (21 × 14 cent.) absque rythmicis signis, nº 631 catologi inscriptam, uti maxime commendabilem habemus (1), utpote quæ principiis executionis ab omnibus admissis facili de modo aptari valeat, dum editio rythmica, usùs ceteroquin subtilis, certas præjudicet interpretationis quæstiones, acriter inter gregorianistas disputatas.

A. De Meester.

(1) Prix, broché 0,75; relié, tranche rouge, titre doré sur plat fr. 1,25.

Consultationes

I

Q. In interpretatione Quinquennalium quæ nuper renovata sunt in gratiam Ordinarii Brugensis, apud *Collat.*, X, p. 492, sermo fit de operariis transeuntibus de una diœcesi in aliam, relate ad quos specialiter attendendum esse monentur parochi, quotiescumque cum illis Ordinarius dispensat pro foro externo, vi facultatis apostolicæ a S. C. de P. F. acceptæ. Dubium autem movetur de quonam transitu agatur, utrum nempe intendatur transitus momentaneus, an vero transitus cum mora protractus, puta ad famulandum.

Respondetur.

Propositum dubium solvitur ex ipsa subjecta materia. Nimirum, apud *Collat.*, l. c., necnon ibidem, V, p. 478-479, notavimus Episcopum, ex ipso tenore quinquennalium S. C. de P. F., non posse, vi hujus facultatis, dispensare nisi hac lege ut, *momento quo dispensatio conceditur, ipsi dispensandi intra fines diœceseos versentur*. Momentum autem quo dispensatio, vi dictæ facultatis, ab Ordinario conceditur, cum semper in forma gratiosa detur, momentum, inquam, illud non est illud quo instrumentum dispensationis accipitur a parocho vel oratoribus communicatur, sed illud quo fulminationis decretum in Officialitate episcopali subsignatur.

Requiritur ergo ut illo ipso descripto momento dispensandus in diœcesi reipsa præsens extiterit, adeo ut irritetur dispensatio non tantum si dicto illo instanti dispensandus diœcesim dereliquerit et in aliam diœcesim domicilium vel quasi-domicilium mutaverit (1), aut

(1) Si nupturientes, mutato domicilio vel quasi-domicilio, subditi effecti sint alienæ diœceseos, etiam ex hoc capite irritaretur dispensatio, cum Episcopus non valeat dispensare nisi cum propriis subditis. Cf. *Collat.*, V, p. 476-477.

cum mora diœcesim deseruerit, sed etiam quotiescumque constat eum illo momento non adfuisse intra fines diœceseos, licet mere *transeunter* et momentanee in aliena diœcesi commoratus sit.

Quo pacto quivis transitus obstat valori dispensationis, sive momentaneus, sive cum mora institutus, modò dispensandi absentes fuerint a diœcesi Ordinarii dispensantis, illo præfato momento quo dispensationis instrumentum est subsignatum.

Sufficeret tamen ut hæc clausula de præsentia in diœcesi verificetur circa unam partem : catholicam nempe, si agitur de impedimento relaxando mixtæ religionis vel disparitatis cultus, vel illam quæ directe afficitur impedimento absoluto, vel alterutram, si agitur de aliis impedimentis utrique parti communibus, qualia cæteroquin omnia sunt quæ, vi Quinquennalium S. C. de P. F., ab Episcopis Belgii relaxari queunt. Ita nempe *directe* dispensatur cum persona circa quam verificatur conditio ad dispensationis valorem requisita ac adeo, mediante illa, *indirecte* attingitur altera pars et liberatur ab impedimento matrimonio obstante.

Ex iis quæ præcedunt sequitur quod, quando impetranda est ab Episcopo dispensatio pro foro externo, vi quinquennalium S. C. de P. F., puta super consanguinitate vel affinitate legitima infra 2^{m} gradum, parochus sedulò curare debet ne, momento quo dispensatio in Officialitate prævidetur indulgenda, absit dispensandus vel etiam momentanee, utque, accepto dispensationis instrumento, ac inspecta concessionis data, inquirat, si suspicioni est locus, utrum nupturientes vel saltem pars cum qua directe dispensatur, dicto instanti intra terminos diœceseos manserint.

Quæ clausula severa utique videbitur et anxietatibus obnoxia; ideoque dolendum diximus eam in nuperrimo tenore non fuisse deletam. Difficultas eluderetur si Episcopus dispensaret in forma commissoria, sed aliunde majora exsurgerent incommoda. Ideo postulatum est

et impetratum, in gratiam Statuum Fœderatorum Americæ Sept., indultum, vi cujus « Ordinarius etiam subditis *extra diœcesim morantibus* dispensationem indulgere possit, dummodò in aliena diœcesi saltem quasi domicilium ad normam juris non contraxerint » (1).

Nota 1°/ Præfata dispositio non est observanda ab Episcopo, quando dispensat ex potestate *quasi-ordinaria,* uti notavimus apud *Collat.*, V, p. 478, neque etiam, juxta moderatum tenorem, quem videsis, tom. X, p. 493, quando Ordinarius relaxat impedimentum pro foro interno, vi quinquennalium S. Pœnitentiariæ. Sufficit, in hoc utroque casu, ad valorem dispensationis, ut utraque pars, vel illa saltem pars cum qua directe dispensatur, momento elargitæ gratiæ, subdita manserit Episcopi, nec domicilium vel quasi-domicilium transtulerit in aliam diœcesim.

2°/ In memoriam revocamus etiam illam clausulam nullatenus afficere executionem rescripti Romani pro foro externo, ad quem committitur passim Ordinarius: hic nempe potest, juxta decretum 20 Febr. 1888, ad 4^{m}, hujusmodi dispensationem exequi « etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius diœcesis domicilio, in aliam diœcesim discesserint non reversuri ».

II

Q. Liceat dubium proponere circa extensionem facultatis, die 20 Febr. 1888, Ordinariis concessæ pro moribundis concubinariis, ac parochis, positis ponendis, habitualiter communicabilis, juxta Litteras C. S. O. 1 Martii 1889, necnon de facto parochis diœceseos Brugensis communicatæ inde ab anno 1892 (2). Nimirum quæritur utrum parochi dictam facultatem exercere valeant erga solos moribundos *parochianos*, an vero etiam erga alienos.

(1) Cf. Putzer, *Commentarius in Facultates Apostolicas,* n. 52. Quod indultum ostendit nos non nimium severe interpretatos esse formulam « intra fines diœceseos », uti nonnullus suspicatur.

(2) Cf. *Lib. man.*, ed. 2^{a}, p. 181 et seq.; *Collat. Brug.*, V, p. 419 et seq.

Respondetur.

1°/ Etiamsi usus invocatæ facultatis restringeretur ad solos moribundos respective *parochianos* parochi dispensantis, posset nihilominus parochus cum moribundo alienæ parochiæ dispensare *indirecte*, directe scilicet dispensando cum parte sana, subdita sua, ad modum quem proposuimus suprà, in responso ad consultationem præcedentem.

Exercitio namque hujus facultatis, licet in gratiam moribundi concessæ, non obstat quod directe dispensetur cum parte bene valente, uti constat ex declaratione C. S. O., 1 Julii 1891, quæ refertur, l. c., p. 420.

Sufficeret proinde ut pars bene valens sit subdita, modò ipsa sit catholica, ubi agitur de impedimento disparitatis cultus (1), vel si prostat impedimentum absolutum, ut ipsa illi sit immediate obnoxia.

2°/ Atvero negatur suppositum, cum dicta restrictio nullibi occurrat, neque in decretis Romanis, in quibus indulgetur amplissimam illam facultatem parochis posse habitualiter communicari, neque in documento quo eam Episcopus Brugensis communicandam censuit parochis diœceseos.

Nulla igitur ratio est illam restrictionem urgendi, et sic validè possunt parochi dispensare in descripto casu, licet ambo nupturientes ad alienam parochiam pertineant. Imo parochus, data necessitate, valet, uti notavimus, apud *Collat.*, V, p. 421 et 424 et ll. cc., hujusmodi extraneorum matrimonio assistere, prævie impertita dispensatione super impedimento clandestinitatis.

Probè tamen nota omninò requiri ut dispensandi vel saltem pars cum qua, ad tramites modò dictorum, directe dispensatur, domicilium habeat vel quasi-domicilium in diœcesi aut vagus existat. Ratio est quod ipsa facultas Episcopi subdelegantis non intelligitur concessa nisi pro solis *diœcesanis*. Cf. *Collat.*, V, p. 476-477.

---

(1) Impedimentum mixtæ religionis non cadit sub præsenti facultate, quippe quæ limitatur ad sola impedimenta *dirimentia*.

Casu igitur occurrente quo parochus reperiat moribundum concubinarium cum concubina matrimonio conjungendum, utramque autem partem, vel partem cum qua directe est dispensandum, noverit alienæ diœceseos subditam, non potest cum illis dispensare nec eos ad matrimonium admittere, sed advocandus est parochus proprius vel facultates opportunæ sunt impetrandæ ab Ordinario competente.

Nota. 1°/ Ne inde concludas parochum pariter uti posse cum non parochianis facultate ipsi, in nostra diœcesi, subdelegata dispensandi, positis ponendis, super occulto impedimento *affinitatis illicitæ* (1). Et sane aperte constat de mente Episcopi non extendendi exercitium hujus alterius facultatis ultra respective subditos parochorum. Ita in *Libro Manuali*, ed. 2ª, p. 192, monentur confessarii non parochi ut remittant pœnitentes hujusmodi (obnoxios dicto impedimento) ad *proprium* parochum. Pariter, l. c., p. 191, notatur præfatam facultatem esse subdelegatam parochis « in favorem *suorum subditorum* ».

Si igitur parocho confessario occurrit pœnitens *non parochianus*, nequit erga eum uti prædicta facultate, eumque remittere debet ad *proprium* parochum, vel ab Episcopo impetrare necessariam facultatem.

2°/ Attende etiam discrimen inter utramque descriptam facultatem quoad *forum* in quo singulæ exerceri possunt: altera nempe facultas est concessa pro solo foro interno, eoque sacramentali tantùm, dum prior intelligitur impertita pro utroque foro, adeo ut hac uti possit parochus erga moribundum concubinarium tum in foro externo, tum in foro interno, pro subjecta materia, prouti scilicet agitur de impedimento publico vel occulto; imo dispensando pro foro interno potest dispensare extra actum sacramentalis confessionis.

A. De Smet.

---

(1) Cf. *Librum Manualem*, ed. 2ª, p. 191-193 et *Collat. Brug.* I, 381.

III

Presbyter N., in Asiatico Turcarum regno sacro ministerio addictus, Directori periodici *Collationes Brugenses* exponit 1°:

Mos est ut certo anni tempore die dominica aut festiva de præcepto præter missam communem ab eodem sacerdote versùs horam quartam celebretur altera missa, in gratiam venatorum qui a summo mane venationis exercitio, recreationis causa, vacare cupiunt, cui missæ assistere solent 6 vel 7, quandoque 10 personæ. Quæritur utrum illa praxis sit licita.

Respondetur: Negative; etenim illa ratio recreationis anticipandæ minime est causa necessitatis ob quam solam S. Sedes permittit ut missa eadem die ab eodem sacerdote iteretur: quæ necessitas tunc tantùm obtinet quando, nisi binetur, populus vel magna ejus pars die dominica vel festiva de præcepto sacro interesse non posset; uti explicavimus apud *Collat. Brug.*, T. III, p. 111 sqq. Ceterum ipse Benedictus XIV, *De sacrificio Missæ*, lib. III, cap. V, de similibus imo paulò magis urgentibus causis (uti si iter facientes aut hospites, aut etiam princeps vel episcopus secus die festo missam audire non possent) aperte pronuntiat illas non inducere talem necessitatem quæ valeat binationem reddere legitimam.

Nec consuetudinem contrariam utiliter invocari posse apparet ex eo quod hujusmodi consuetudo sine necessitate iterandi missam a S. Sede uti abusus ac corruptela fuit reprobata. Cfr. *Instructio S. C. Fidei propagandæ* de die 24 Maii 1870, n. 7 (1).

H. Van den Berghe.

Exponit 2°: Sub protectoratu Austriæ degimus et mos viget ut in laudibus SS. Sacramenti decantetur

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, T. VI, p. 549 sq. — *Collat. Brug.*, T. III, p. 116.

oratio pro Imperatore. Qua in re sequenti ordine proceditur: post *Tantum ergo* et orationem SS. Sacramenti, cantatur oratio *Deus regnorum omnium et christiani maxime protector imperii;* deinde recitantur *Pater*, *Ave* et *Gloria* et tandem datur benedictio cum Venerabili Sacramento. Estne hæc agendi ratio rubricis conformis?

Respondetur: Negative. Nam ex pluribus S. R. C. decretis, quæ explicant textus Ritualis Romani et Cæremonialis Episcoporum describentes modum dandi benedictionem in fine processionis SS. Sacramenti, eruitur non licere aliquid recitare vel cantare inter *Tantum ergo* cum oratione SS. Sacramenti et ipsam benedictionem. Una tantum admittitur exceptio: decreto nempe S. R. C. 11 Mart. 1871, n. 3237 ad 1, admittitur in diœcesi Burgi S. Domnini vigens consuetudo recitandi immediate ante vel post benedictionem laudes approbatas: *Dio sia benedetto; benedetto il suo Santo Nome.* Omnes alii cantus aut recitationes sive latina lingua sive vernacula *immediate ante benedictionem* semper prohibiti fuerunt. Vide decr. S. R. C. 3 Aug. 1839, in *Bobien.* n. 2791 ad 2 et præsertim 23 Mart. 1881, in *Neapolitana*, n. 3530 ad 1 et 2. Confer etiam decreta nn. 665, 2464, 2698, 2725 ad 3, 3058 ad 2 et 3, 3513.

In supposito autem præfatam orationem pro Imperatore esse debite approbatam nihil obstare censemus quominus de consensu Ordinarii, hæc oratio cantetur sive ante hymnum *Tantum ergo* sive melius post benedictionem. Cf. decreta nn. 2791 ad 2; 3530 ad 1 et 2; 2698.

C. Callewaert.

Fabriques d'église

Les conseils de fabrique se réuniront en séance obligatoire, le 7 Janvier, premier dimanche du mois. Voir *Coll. Brug.*, T. IX, p. 710.

Libri dijudicantur.

P. Joannis Reuter, S. J. **Neo confessarius practice instructus.** — Editio nova, emendata et aucta cura *A. Lehmkuhl, S. J.* — Friburgi-Brisgoviæ. — Herder. Prostat apud Beyaert, Brugis, pretio 5 fr.

Anno 1750 Coloniæ prodiit *Neo-confessarius practice instructus*, opera J. Reuter (n. 1680 † 1762) S. J., in Academia Trevirensi theologiæ moralis professoris, qui eodem anno edidit *Theologiam Moralem,* quadripartitam. Praxim illam confessarii, quam conscripsit, ut ipse notat in Proœmio, iteratò instantibus discipulis, in tres partes divisit: « prima tractat de iis quæ generatim confessario in sacro tribunali sunt observanda; secunda complectitur ea quæ ad peccata magis obvia, personasque ætate, sexu, statu vel conditione diversas spectant; tertia agit de iis quæ specialiter observanda sunt circa personas diversis vitiis, peccatis, defectibus tum physicis tum moralibus obnoxias.

Quam acceptum autem fuerit opusa probant variæ brevi exhaustæ editiones, notissimaque qua semper est fruita laus. Quo non obstante, « propter quasdam doctrinas decursu temporis magis dilucidatas, sive propter tempora conditionesque sociales non parum mutatas, nonnulla aliter explicanda, augenda, resecanda erant ».

Cui emendationis operi laudabiliter sese accinxit Lehmkuhl, curando pro posse servare textum Auctoris, hinc inde nonnulla expungendo vel augendo aut mutando, additamentis sedulò notatis asterico, ut lector facile intelligat « quæ habeat veteris auctoris auctoritate commendata, quæ novo editori sint adscribenda ». Novum etiam inseruit caput « de confessario virorum » (p. 145-149), quorum curam valde commendat confessariis ut in eis fides languescens foveatur, utque ad frequentiorem sacramentorum susceptionem adducantur; item caput « de dominis seu patronis et de opificibus conductis » (p. 214-220); signanter prolixam disquisitionem « de consuetudinariis et moribundis » (274-306), quem tractatum anno 1897 publici juris fecit, germanice conscriptum, apud *Theol. Prakt. Quartalschrift.*

Neo-Confessarius non fuit conscriptus nec de novo editus pro theologis scientia et experientia doctis, sed pro tyronibus in sacro ministerio, ut ipsis sit ad instar manualis in addiscendo regimine animarum, quod merito vocatur ars artium; supponit tamen, ut decet, lectorem principiis theologicis jam instructum.

Eximium plane opus, omnium votis probatissimum, simplici ac eleganti sermone exaratum, solida doctrina refertum, et passim sagacem, experientia moderatam, solutionem referens practicam. Liceat tamen quædam raptim excerpta suggerere quæ minus placent:

Agitur, p. 74-87, de observandis *in materia luxuriæ,* sed, pro frequentia hujusmodi peccati ejusque tractandi difficultate, æquo brevius absolvitur hæc quæstio, potuissetque concretiori modo ac ampliori exponi qua ratione confessarius interrogare debeat, prudenter simul et efficaciter, circa salebrosam hanc materiam, præsertim cum puellis, adeo ut uterque excessus vitetur, tum illorum qui nimium urgent, tum illorum qui timidius ab interrogando reformidant. Desideratur etiam latior descriptio remediorum, quæ vix unicam paginam occupat.

Ubi autem res est de confessario *conjugum,* accuratius solvi posset controversia de copulam habentibus, voluptatis causa, adhibita distinctione quæ proponitur apud *Collat.*, V, p. 168 et seq. Magis etiam insistendum foret onanismo et mediis hoc pessimum ac in dies ingravescens flagitium oppugnandi. Vix etiam verbum dicitur de directione ac instructione danda sponsis (p. 135) et nupturientibus, signanter si interrogant circa officia status conjugalis.

Non inopportunum tandem videretur latius disserere circa duplex præcipuum offendiculum confessarii, et notatim neoconfessarii, hunc sedulò ac instanter monendo contra *zelotypiam*, ex qua tot ac tantæ miseriæ natæ sunt oriri, necnon contra gravissima pericula quibus exponitur improvidus confessarius in audiendis confessionibus *mulierum:* quod alterum punctum vix tangitur p. 131, quocirca tamen adeo practica ac salutaria proponi possent monita, brevi addita descriptione varii temperamenti (de quo præter notionem, p. 413, nihil) et animi complexionis, necnon variarum perturbationum systematis nervosi; quorum omnium sapienter

ratio est habenda a provido confessario in dirigendis pœnitentibus utriusque sexus, et signanter sexus feminei, imo et in ipso judicio ferendo circa gravitatem peccati admissi.

A. De Smet.

* * *

E. Valvekens, Docteur en Philosophie et Lettres. — **Foi et Raison.** Nouvelle édition. Roulers, Jules De Meester, 1904. Pr. 3,50 frs.

Ce livre est un cours complet d'apologétique, c'est-à-dire « la démonstration rationnelle des fondements de la foi catholique » p. 2. L'importance de cet enseignement ressort 1° de son *objet*, 2° du *caractère de l'époque* à laquelle nous vivons, p. 2-3. Il est à noter combien, de nos jours plus que jamais, est urgente la nécessité du cours d'apologétique pour les jeunes gens arrivés aux dernières années des humanités : beaucoup d'entre eux, après avoir quitté le collége, n'auront plus l'occasion de s'instruire sur ces questions fondamentales, et entendront cependant autour d'eux une foule d'objections répandues à profusion par les journaux, revues, brochures et livres : il faut donc qu'ils soient prémunis contre ce danger, par une étude approfondie, bien conduite et leur découvrant le moyen de repousser les attaques multiples des adversaires de la vraie Religion.

L'ouvrage, que nous signalons, sera pour eux de la plus haute utilité : ce sera un arsenal auquel ils ne recourront jamais en vain. L'Auteur y suit la méthode traditionnelle, la seule qui fournisse une démonstration objectivement solide et complète de la vérité ou origine divine de la Religion catholique (1), et divise son œuvre en quatre parties : la première traite de la religion

(1) Cf. Le Bachelet, *De l'apologétique traditionnelle et de l'apologétique moderne*, Paris, Lethielleux, 1897.

naturelle : ici se place la preuve de l'existence de Dieu et de son infinie perfection, de l'origine de l'homme et de sa destinée, de la nécessité d'une religion en général et du culte interne, externe, social. La seconde partie traite de la religion *surnaturelle* en général : de l'ordre surnaturel, de la révélation et des critères auxquels on la peut connaître ; dans la troisième partie est démontré le *fait de la révélation chrétienne :* ici est exposée l'autorité historique des Evangiles ; enfin la quatrième partie est consacrée à l'Eglise et fait voir que la seule Eglise fondée par Jésus-Christ est l'*Eglise catholique* et qu'en elle seule, par conséquent, se trouve la véritable Religion chrétienne. Trois appendices exposent successivement la question de l'Infaillibilité pontificale, celle de la règle de Foi et celle de l'indifférence en fait de religion.

L'Auteur a eu soin d'examiner et de peser la valeur de ses preuves, en tenant compte des idées émises en ces derniers temps, sur plusieurs questions, par les théologiens et les historiens ; il met toujours ses démonstrations en forme syllogistique : ce procédé est de la plus haute utilité ; cependant, en voulant l'employer d'une manière continue, l'Auteur a été amené parfois à une recherche qui nuit à la clarté : une autre forme, l'enthymème, par exemple, aurait bien souvent remplacé avantageusement le syllogisme (1). Les objections modernes sont bien exposées et il y est répondu adéquatement. Une ample documentation se trouve, en note, au bas des pages : c'est une bibliographie, qui sans être toujours complète, rendra cependant de grands services aux professeurs d'apologétique. Il est regrettable que beaucoup de citations sont incomplètes : il y manque fréquemment la date et l'endroit de l'édition du livre ; de plus, il arrive à l'Auteur de rapporter une phrase ou

(1) V. p. ex. p. 120. — Parfois ce qui est donné comme mineure est en réalité la majeure : v. p. ex. p. 136-137, 149-150.

un passage d'un ouvrage, dont il indique l'auteur et le titre, mais omet le chapitre ou la page.

Nous nous permettrons de faire encore quelques remarques concernant l'exposé de la doctrine. L'Auteur intitule la première partie: « Il est raisonnable d'admettre la religion naturelle » p. 11. Il eût été plus exact de dire: il est raisonnable d'admettre une religion; ou mieux encore: la raison démontre le devoir naturel de la religion.

Les deux définitions de la loi naturelle (p. 107-108) ne définissent pas la même formalité: la première regarde la *participation* ou la *conséquence* de la loi éternelle dans l'homme; la seconde définition concerne la loi, considérée dans le législateur, et c'est cet ordre, conçu et voulu par le Législateur, qui constitue *formellement* et *essentiellement* la loi (1).

Dans la démonstration de la divinité de Jésus-Christ, le premier argument exposé est celui de l'appellation: *Fils de Dieu*. « Dans le premier groupe nous rangeons 1° les passages où *Jésus est proclamé Fils de Dieu*..... 2° les passages où Jésus lui-même, interrogé par ses contemporains *s'il est le Christ, le Fils de Dieu*, répond: *Je le suis*... » p. 282-283, A la p. 289, l'Auteur constate que les critiques *catholiques* diffèrent d'avis sur le vrai sens à donner aux textes du premier groupe et après avoir exposé leurs diverses opinions il écrit: « En somme, concluent ces auteurs, si, dans ces passages du premier groupe, la divinité de Jésus n'est pas explicitement enseignée, on n'est pas fondé à affirmer que le titre de Fils de Dieu *doive* être ramené au niveau humain du titre de Messie, tel que l'entendaient les Juifs. *Rien ne s'oppose* à ce qu'il soit interprêté dans le sens d'une véritable filiation divine » p. 293. Dès lors les témoignages du premier groupe ne fournissent plus une démonstration de la divinité de Jésus-Christ: en effet, pour qu'il y ait démonstration, déduite de ces témoignages, il faut que ceux-ci *ne puissent pas s'interpreter autrement* que dans le sens d'une veritable filiation divine (2).

---

(1) Cf. Ferretti, *Institutiones Philosophiæ moralis*, Romæ, 1887, T. I, p. 259, 263, 279; Zigliara, *Summa Philosophica*, Parisiis, 1900, T. III, §§ 24 et 25; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii 1900, n. 461, 462.

(2) Autre chose est *démontrer* par des témoignages la divinité de Jésus-

Quant aux miracles de Jésus-Christ, l'Auteur les divise en catégories : la première comprend « les miracles opérés sur les *éléments* et les *êtres privés de raison* » p. 313 ; la seconde « les miracles opérés sur les *hommes* ». p. 314-315. Après l'énumération de ces faits, on lit : « Mais ces faits étaient-ils *miraculeux ?* Sans doute, il serait difficile de faire ressortir le caractère exclusivement divin de chacun de ces faits. Aussi bien, ce n'est pas nécessaire. Ce que nous pouvons affirmer, sans crainte d'être contredit par un lecteur non prévenu, c'est que *plusieurs de ces faits* nous présentent tous les éléments requis pour un véritable miracle ». p. 317. Mais alors, pourquoi ne pas choisir ces faits-là, en montrer le caractère miraculeux et fournir ainsi une preuve rigoureusement logique et capable de convaincre aussi les lecteurs prévenus ?

« Les apôtres devaient prêcher la doctrine du Christ à l'univers tout entier, et l'imposer à toutes les nations. Tous les hommes sont donc tenus d'entendre la parole de Dieu et de se soumettre à sa sainte volonté. Par conséquent, la véritable Eglise du Christ doit être *catholique* ». p. 468. Cette conclusion n'est pas claire. Il faut distinguer entre la *destination universelle* de l'Eglise et sa *catholicité* (1). La mission des Apôtres démontre que l'Eglise est destinée à tous les hommes, que tous sont tenus, obligés d'y adhérer ; mais il ne résulte pas de là que l'Eglise soit *de fait* répandue dans le monde entier : or c'est cette *diffusion réelle* qui constitue la *note* appelée catholicité. Cette dernière propriété est démontrée par l'Auteur, p. 472.

Malgré ces quelques défauts, l'œuvre de M. Valvekens est un cours solide et complet d'apologétique, bien adapté aux nécessités du temps présent.

De cet ouvrage l'Auteur a publié un résumé sous le titre *Démonstration rationnelle des fondements de la foi catholique*. Pr. 2,00 frs.

J. Van der Meersch.

Christ, et autre chose, montrer que dans tels témoignages est contenue l'affirmation de la divinité de Jésus-Christ, *supposée connue et démontrée par ailleurs*.

(1) Cette distinction s'exprime aussi par les termes ; catholicitas *juris* et catholicitas *facti*. Cf. De Brouwer, *De Ecclesia Christi*, Brugis, 1891, p. 275 ; Billot, *De Ecclesia*, Romæ, 1898, T. I, p. 216.

INDEX

Documenta Romana

Pag.

Allocutio S. S. Pii X in consistorio 14 Nov. 1904 circa concordatum a. 1801 a Republica Gallicana violatum et persecutionem ab eadem contra Ecclesiam motam 81

Encyclica S. S. Pii X de *christiana doctrina tradenda* (15 Apr. 1905). 337

Encyclique de S. S. Pie X aux Evêques d'Italie sur l'*action catholique* (11 Juin 1905) 521

Ex Secretaria Brevium. — Indulgentia concessa recitantibus ter salutationem angelicam cum invocatione « *per tuam* etc. » ad servandam castitatem (6 Decembris 1904). . . . . 117 coll. 124

Indulgentia adnexa invocationi: *Nostra Domina a S. Corde, o. p. n.* (28 Junii 1904). 121

Indulgentia adnexa invocationi in numismate miraculoso inscriptæ (6 Junii 1904) 121

Indulgentia adnexa recitationi parvi officii SS. Cordis Jesu (1 Martii 1904). 123

Indulgentiis ditatur Jaculatoria in honorem S. Cordis eucharistici Jesu (19 Dec. 1904). 239

Breve Beatificationis Ven. J. Vianney, Parochi vici *Ars* 308

Ex S. Congr. Concilii. — Decretum de observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione (11 Maii 1904). — (*Cum adnotationibus*. Finis). . . . 43

Varia dubia soluta circa Decretum de observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione (19 Decemb. 1904). — *(Cum adnotationibus)* . 315 et 628

Ex Sacra Congr. Indulgentiarum. — Decretum augens potestatem concedendi indulgentias (28 Augusti 1903). 118

Indulgentia adnexa Jaculatoriæ: *Deus sit benedictus!* (28 Nov. 1903) 119

Indulgentia adnexa invocationibus in honorem Immac. Virginis Mariæ (23 Martii 1904) 120

Indulgentia adnexa invocationi SS. Nominum Jesu et Mariæ (10 Oct. 1904) 122

Indulgentia adnexa orationi in honorem S. Pauli a Cruce (27 Sept. 1904) 123

Indulgentia adnexa exercitio secundi gradus Apostolatus orationis (18 Nov. 1903) 123

Pag.

Indulgentia adnexa actui resignationis ad mortem (9 Martii 1904) 125

Explicatur distantia requisita inter ecclesias pro lucranda indulgentia Portiunculæ (14 Sept. 1904). — *(Cum adnotatione)* 178

In erectione stationum Viæ Crucis, Cruces affigi possunt super scamna, dummodo sint inamovibilia et satis erecta (14 Sept. 1904) 179

Indulgentiis ditatur exercitium in honorem Virg. Immac. primis cujusque mensis sabbatis (1 Julii 1905). 568

Sanantur receptiones ad confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo invalidæ (28 Junii 1905) 569

Utrum ad ecclesiam reædificatam transferatur privilegium Viæ Crucis (7 Junii 1905) 569

Conceduntur indulgentiæ occasione primæ communionis (12 Julii 1905) 570

Indulgentiis ditatur quoddam pium exercitium pro conversione peccatorum (12 Aprilis 1905). 571

Ex S. Congr. Rituum. — Decr. *Ordin. Fratr. Min. Prov. Portugalliæ* de expositione SS. Sacramenti, S. Communionis distributione et cruce altaris (11 Junii 1904). — *(Cum adnotationibus)* 181

Decr. *Ceneten.* de duplicandis antiphonis in omni anniversario (4 Nov. 1904). 184

Decr. *Carpen.* de genuflexione ad *Agnus Dei* in missa solemni coram Episcopo (4 Nov. 1904) 184

Decr. *Plurium diœcesium:* qualis debeat esse candelarum cera (14 Dec. 1904). — *(Cum adnotationibus).* . . 398

Decretum de instrumentorum usu (15 Apr. 1905). — *(Cum adnotationibus)* 504

Decr. *Placentina in Hispania* de hora anticipandi matutinum (12 Maii 1905). — *(Cum adnotationibus)* . . . 510

Decr. *Societatis Parisiensis missionum ad exteros:* color violaceus adhibendus in missa votiva *de fidei propagatione* 512

Instructiones circa libros cantus Gregoriani edendos et approbandos (11 Aug. 1905) 572

Decretum præmissum editioni Vaticanæ libri cantus Gregoriani: *Kyriale* seu *Ordinarium Missæ* (14 Aug. 1905). 688

Ex S. Congr. Episcop. et Regul. — De extraordinariis confessariis monialium (5 Aug. 1904). — *(Cum adnotationibus)* 235

E Sacra Congr. super negotiis eccl. extr. — Indulgentiis ditatur oratio initio Missæ cui quis assistit recitanda (5 Julii 1904) 238

Pag.

Ex Commissione Pontificia de re biblica. — Decretum circa *citationes implicitas* in S.S. contentas (13 Febr. 1905). — (*Cum adnotationibus*) 446

Decretum circa indolem historicam SS. Librorum (23 Junii 1905). — (*Cum adnotationibus*). 635

—

Documenta episcopalia

Acta Congregationis Prosynodalis diei 6 Junii 1905 Brugis habitæ. 409

—

Meditationes

Meditationes theologicæ ab Illmo ac Rev^mo D^no G. J. Waffelaert, Episcopo Brugensi, clero suo dicatæ. . . . 5
137, 185, 257, 349, 537.

Quædam meditationes seu contemplationes devotissimæ *de Nativitate Domini* 641

—

Conferentiarum quæstiones et responsa

Ex S. Scriptura Veteris Test.

Explicatur Psalmus CXXVI: *Nisi Dominus ædificaverit.* 541

Explicatur Psalmus CXLIX: *Cantate Domino canticum novum* 578

Exponitur quisnam fuerit *auctor Ecclesiastici et quo tempore* scripserit 647

Ex S. Scriptura Novi Test.

Ostenditur quomodo cum *Gal.* V, 2, 6 et VI, 15 non pugnent *Act.* XVI, 3 et *Gal.* II, 3 20

Exponitur *doctrina de justificatione* proposita a S. Paulo *Eph.* I, 3-14 89

Explicatur *Philipp.* III, 2-7 145

Datur analysis partis dogmaticæ *Ep. ad Col.* I, 13-III. 195

Exponitur quasnam *doctrinas* impugnet S. Paulus, *Col.* II, 16-23 277

Exponitur *quando, qua occasione* et *ob quem finem* conscripta fuerit, *I^a ep. ad Thess.* 362

Pag.

Exponitur *status ecclesiæ Ephesinæ* tempore quo S. Pāulus conscripsit *I ad Tim.* 420
Explicatur *I ad Tim.* III, 14-16 458

Ex Theologia Dogmatica.

Ex Tractatu de Deo creante.

Exponitur quænam sit peccati originalis *pœna* post hanc vitam terrestrem luenda 26
Ostenditur quomodo Deus, qua creator animæ carentis gratia, immeritò diceretur auctor peccati originalis 93
Explicatur quo sensu a Concilio Tridentino dicatur totum Adam per peccatum fuisse secundum corpus et animam in deterius commutatum 148
Ostenditur Mariam, etsi immaculate conceptam, a Christo tamen fuisse redemptam. 198
Refutatur argumentum quoddam propositum a S. Bernardo contra Immaculatam Conceptionem B. M. V. 282
Disseritur de mente S. Thomæ circa Immaculatam B. M. V. Conceptionem 366
Ostenditur debitum *proximum* contrahendi peccatum originale non repugnare perfectæ sanctitati Mariæ . . 426
Explanatur Theologorum assertum: Peccato originali homo fuit *vulneratus in naturalibus* 462

Ex Tractatu de Verbo incarnato.

Exponuntur rationes ob quas conveniens fuerit Deum incarnari 544
Resolvitur difficultas contra convenientiam Incarnationis quatenus hæc involveret exinanitionem Deo indignam 581
Exponitur an et quare necessaria fuerit Incarnatio . 652

Ex Theologia Morali.

Ex Tractatu de Justitia (De Restitutione).

Utrum *possessor malæ fidei* restituere debeat pro rebus quæ apud ipsum perierunt, sed et apud dominum periissent 29
Quid *possessor malæ fidei* restituere debeat quando res varium habuit valorem tempore detentionis 32

Pag.

Quinam restituere debeant quando res aliena, donatione aut venditione, per manus *plurium possessorum malæ fidei* transierit 34

Determinatur cuinam et quomodo restituendum sit quando *persona læsa incerta* est vel penitus *ignoratur* . . 96

Item quo *loco,* cujus *expensis* et *periculo* restitutio sit facienda. 101

Item *quandonam sit restituendum:* utrum et quando adsit obligatio restituendi *damna ex dilatione orta* . . . 103

Explicantur conditiones requisitæ ut valida et efficax sit *condonatio restitutionis* 150

Quandonam *condonationem restitutionis præsumere* liceat. 153

Quandonam a restitutione hîc et nunc facienda excuset *impotentia moralis debitoris* 156

Explicantur conditiones requisitæ ut *actio damnificans* inducat obligationem ex stricta justitia restituendi . . 201

Utrum *famam* injuste læsam reparare sufficiat apud auditores immediatos tantum. 205

An et cur liceat pro *fama* læsa accipere *occulta compensatione pecuniam* 208

Ex Tractatu de Virtute Religionis.

Conditiones requisitæ ut oratio sit *infallibiliter* impetratoria 288

Qualis requiratur *attentio* ut satisfiat obligationi recitandi officium divinum 294

An et quare obligationi suæ satisfaciat qui officium certæ diei assignatum cum alio permutat 298

Ex Tractatu de Temperantia.

Ostenditur abstinentiam esse virtutem specialem . . 372

Exponitur disciplina apud nos vigens circa abstinentiam jejunio quadragesimali propriam 374

Exponitur lex benedictina de non miscendis epulis . 378

Data notione jejunii stricte dicti, explicatur natura præcepti de unica refectione 429

Quomodo quis possit constituere in gula finem suum ultimum 432

Notio ebrietatis formalis 435

Quomodo gula et luxuria sint vitia capitalia . . . 468

Ad mentem S. Thomæ exponitur notio virginitatis ut est virtus specialis 472

Pag.

Quandonam perdatur irreparabiliter virginitas moralis 477

Ex Tractatu de Sacramentis in genere.

Quæritur an et quomodo administrari possit sacramentum in dubio positivo circa valorem 550

Dijudicatur an et quare graviter peccet qui sacramentum conficit conscius peccati mortalis 552

Disputatur an et quare toties peccet minister quoties Sacramentum conficit indigne 555

Exponitur an et quare graviter peccet scienter sacramentum suscipiens cum obice simpliciter ad fructuositatem sacramenti 585

Quæritur utrum liceat sacramentum petere administrandum *a*/ a ministro in statu peccati mortalis versante; *b*/ publice hæretico vel schismatico 588

Ex Tractatu de Baptismo.

Describitur gratia baptismalis et ostenditur eam meritò dici regenerativam 592

Explicatur qua ratione, in modo operandi gratiam, conveniant ac differant inter se Sacramentum Baptismatis et baptismus sanguinis 657

Exponuntur dispositiones requisitæ in adulto peccatore ad simpliciter fructuosam Baptismatis susceptionem 660

Exponuntur dispositiones in adulto exigendæ ut licite baptizetur 664

Ex jure canonico-civili.

Les fabriques d'église ne sont point des administrations subordonnées à la commune et à la province . . 36

De la capacité des fabriques d'église d'acquérir de nouveaux presbytères 105

Attributions du Commissaire d'arrondissement dans l'administration fabricienne 214

Le bourgmestre peut être président d'un conseil de fabrique 381

Les conseillers de fabrique peuvent-ils être révoqués, par qui et pour quelles causes? 481

Ex jure canonico.

Indicantur media præveniendi judicia in materia disciplinari et criminali clericorum 595

Ex S. Liturgia.

Pag.

De corporis profunda et mediocri inclinatione facienda in missa privata. 160

De capitis inclinatione facienda sub Missa ad nomina Jesu, Mariæ, Sanctorum aut Summi Pontificis . . . 304

Describuntur cæremoniæ servandæ a celebrante ab ultima postcommunione ad ultimum evangelium . . 438

Quomodo facienda sit ablutio baptismalis 557

Quomodo in cæremoniis baptismi parvulorum facienda sunt exsufflatio, signa crucis, manus impositio et salis benedictio ac impositio? 668

—

Dissertationes

Le liber memorialis des églises du diocèse de Bruges (suite et fin) . . . . . 58 et 110

De frequenti communione . . . . . 218 et 325

De tempore quo *Actus Apostolorum* conscripti sunt . 619

De ritu absolutionis pro defunctis 672

—

Miscellanea

Expenditur duplex casus dispensationis matrimonialis invalidæ 69

Animadversiones in recentem quamdam disceptationem circa *fœticidium medicale* 72

Canisiusblad. — De catechizandis et educandis pueris. 74

Casus matrimonialis solvitur, signanter circa obligationem revelandi impedimentum 164

Disseritur de morte reali et apparenti respectu absolutionis impertiendæ et Extremæ Unctionis ministrandæ. 166

Opus S. Infantiæ: Privilegia sacerdotibus collata . . 386

De Gregoriano tricenario 442

Animadversiones ad facultates quinquennales Episcopis Belgii concedi solitas et nuper in gratiam Ordinarii Brugensis renovatas 488

De humana Christi scientia. 497

Indulgentia *toties quoties* in festo SS. Rosarii . . . 500

Pag.

Circa vitium obreptionis in dispensationibus matrimonialibus. 561
De nova quadam dogmatis notione 603
De impedimento affinitatis ex copula matrimoniali in 1° gradu lineæ collateralis æqualis *coram jure nostro civili*. 606
Expenditur duplex casus matrimonialis 608
Nota circà requisita ad quasi-domicilium in ordine ad matrimonium contrahendum 613
Confraternitas S. Missæ Reparatricis 615

—

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Mars 173
» » » d'Avril. 177
» » » de Juillet. — Observations sur la confection du budget 395
Séance légale du mois d'Octobre. 503

—

Jurisprudence administrative

Divers arrêtés royaux pris en matière d'approbation du compte 174
Divers arrêtés royaux pris en matière d'approbation du budget 396

—

Jurisprudence des Cours et Tribunaux

Obligation de pourvoir aux réparations. — Accident. — Responsabilité et dommages-intérêts. — Marguilliers. — Fabrique. Tribunal civil d'Anvers, 12 Mars 1904. 176

—

Consultationes

Utrum ex integro cantari debeant *Kyrie* et *Gloria* in omni missa cantata 80
Quatenus tum in cathedra, tum in confessionali, de peccato mortali argui possint aut debeant electores suffragio faventes socialistis aut liberalibus candidatis. 126

Pag.

Qualis et quomodo procuranda sit dispensatio in gratiam nupturientis qui cum defuncta sorore sponsæ sponsalia inierat et copulam habuerat onanisticam . . 129

De colore stolæ induendæ a præbente sacras reliquias venerandas. 240

De modo concludendi Matutinum in recitatione privata a Laudibus separatum 240

Circa absolutionem ad tumulum post missam *de die* aut *de festo* 241

Utrum sacerdos sub laudibus vespertinis, toto functionis tempore servare possit velum humerale . . . 326

Utrum ab omnibus legi possit versio gallica S. Scripturæ auctore A. Crampon 402

Quousque mulieres prægnantes aut lactantes excusentur a lege jejunii 575

Utrum sacerdos possit in die Nativitatis D^ni^ tres missas applicare animæ pro qua Tricenarium Gregorianum celebrandum accepit 637

An, ad lucrandas indulgentias, requiratur meditatio passionis repræsentatæ in Singulis Stationibus Viæ Crucis 637

Solvitur dubium circa interpretationem Quinquennalium in gratiam Ordinarii Brugensis nuper renovatorum. 688

Quæritur utrum parochus dispensans super impedimentis matrimonii cum moribundo concubinario, dispensare possit cum solis parochianis suis. . . . 690

Utrum in casu sufficiens sit causa concedendi binationem 695

An in laudibus vespertinis aliquid cantare vel recitare liceat inter *Tantum ergo* cum oratione SS. Sacramenti et benedictionem. 695

—

Libri Dijudicati

E. Rembry, *Les remaniements de la hiérarchie épiscopale et les sacres épiscopaux en Belgique au XIXe siècle.* . . . 132

P. Godts, *Exagérations historiques et théologiques concernant la communion quotidienne.* 134

Chatel, *La doctrine catholique sur la communion fréquente.* 134

L. Habrich, *Pedagogische zielkunde* (vertaling van G. Siméons) 242

A. Vermeersch, *Quæstiones de Justitia* (2^a^ ed.) . . . 244

A. Vermeersch, S. J., *De religiosis institutis et personis...* T. II, *Supplementa et monumenta* 247

Pag.

Chan. A. Duclos, *Introduction à l'exécution du chant grégorien d'après les principes des Bénédictins de Solesmes.* . 248

Chan. A. Duclos, *Sa Sainteté Pie X et la musique religieuse.* 251

V. M. Liekens, ord. Præd. *Liber manualis rectoris confraternitatis Rosarii.* 404

Beringer, S. J. *Les indulgences, leur nature et leur usage,* 3e édition franç. 405

Fouard, *St Jean et la fin de l'âge apostolique* 405

G. E. Howe, *Le catéchiste expliquant la doctrine catholique* (trad. De Breyne) 450

D. G. *Le Bonheur des familles assuré.* — Conseils pratiques aux personnes mariées, aux jeunes gens et aux jeunes filles 454

J. Loosveldt, *Une mutualité de retraite à Bruges.* . . 456

A. Vermeersch, S. J. *Méditations sur la S. Vierge.* 2 vol. . . . . 513 et 639

Destrée, O. S. B. *Une mystique inconnue du XVIIe siècle. La Mère Jeanne de St Mathieu Deleloë.* 514

C. Sentroul, *L'objet de la métaphysique selon Kant et selon Aristote* 516

De Weerdt (Kanonik), *Onderwijzingen over de Christelijke Leering naar den Mechelschen Catechismus* . 518 et 639

Sieuw, *Catechismus of Christelijke leering* 576

P. J. Reuter, *Neo confessarius practice instructus* — editio nova, cura A. Lehmkuhl, S. J. 697

E. Valvekens, *Foi et Raison.* 699